VINDOBONEN

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

CLEMENTIS MARIAE HOFBAUER

SACERDOTIS PROFESSI

E CONGREGATIONE SANCTISSIMI REDEMPTORIS
AC PROPAGATORIS INSIGNIS EJUSDEM CONGREGATIONIS

SUMMARIUM

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus fide, spe et charitate in Deum et proximos, nec non de cardinalibus prudentia, justitia, fortitudine et temperantia earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum, de quo agitur.

VINDOBONEN

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

Ven. Servi Dei Clementis Mariae Hofbauer Sacerdotis professi e Congñe SSñi Redemptoris ac Propagatoris insignis ejusdem Congñis ultra Montes.

Num. 1. *Decretum de validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria auctoritate constructorum.*

In Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Clementis Mariae Hofbauer praefati quum agi deberet in Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria de validitate omnium Processuum in eadem Causa constructorum ad instantiam R. Patris Brixii Queloz, Procuratoris generalis memoratae Congregationis et Causae Postulatoris, Emus et Rmus D. Cardinalis Aloysius Bilio, Causae Ponens, in ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, sequens proposuit Dubium, nimirum: *An constet de validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria auctoritate constructorum; Testes sint rite ac recte examinati, et jura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?* Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post accuratum omnium examen, audito etiam R. P. D. Petro Minetti

S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative.* Die 10 Decembris 1870.

Facta autem de praemissis SSmo Domino Nostro Pio Papae IX. ab infrascripto S. Rituum Congregationis Secretario fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam S. Congregationis ratam habere ac confirmare dignata est. Die 15 iisdem mense et anno.

C. Ep. Ostien. et Velit. Card. Patrizi, *S. R. C. Praef.*
L. ✠ S.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

VINDOBONEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

Ven. Servi Dei Clementis Mariae Hofbauer Sacerdotis Professi e Congregatione SSmi Redemptoris et Propagatoris insignis ejusdem Congregationis ultra Montes.

Num. 2. *Apostolica dispensatio a compulsatione Processuum Ordinariorum in Apostolicum.*

Quum in constructione Processus Apostolici Vindobonensis super Virtutibus et Miraculis in specie praedicti Ven. Servi Dei Clementis Mariae Hofbauer praetermissum fuerit in eodem compulsare Processum ordinarium in praedicta Civitate constructum quumque die 10 vertentis Mensis et Anni, Sacrorum Rituum Congregatio admiserit validitatem omnium Processuum in hac Causa constructorum, Rmus Pater Brixius Queloz Procurator generalis memoratae Congregationis et hujus Causae Postulator Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam IX. humillime rogavit ut ab ejusmodi compulsatione dispensetur, adeo ut in Causae prosequutione Processus Ordinarius Vindobonensis admitti et recipi valeat in linea aequalis probationis Processus Apostolici ac si reapse fuisset compulsatus. Sanctitas Sua referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario benigne annuit, ut non obstante praetermissa compulsatione enunciati Processus Ordinarii in casu perinde habeatur ac si revera in Apostolicum fuisset compulsatus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 15. Decemb. 1870.

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. Patrizi, *S. R. C. Praef.*
L. ✠ S.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

Num. 3. A. *Catalogus Testium in Processu Apostolico examinatorum cum eorum scientiae causa.*

§ 1.

Ven. S. D. familiaris fuit, eoque confessore usus est.

I. Testis Rev. P. Joannes Kral, Sacerdos professus ex Congregatione SSmi Redemptoris annorum 74, *juxta* 7. *Interrog. Proc. fol.* 144. *ter. respondit:* « Ven. Ser-

vum Dei coram noveram; Joannes Madlener, qui tunc temporis meus condiscipulus fuit, anno 1818 Ven. Servum Dei cognoscere me fecit. Jam annis 1813. et 1814. de eo audivi, videlicet magnum esse concursum populi ad audiendas in Ecclesia Ursulinarum ejusdem conciones, easque praecellere tenore in omnibus plane catholico; tunc enim tales conciones Vindobonae raro audiebantur. Ab anno 1818., Ven. Servum Dei saepe invisi et sex hebdomadibus ante ejus obitum ultima vice cum visitavi. Colloquia nostra circa materias Religionis instituebantur, et aliquoties apud eum peccata mea confessus sum.

II. Testis Rm̃us Ernestus Maximilianus Hurez, Metropolitanae Ecclesiae ad S. Stephanum canonicus, annorum 74; *juxta 7. Interrog. Proc. fol.* 220. *respondit*: Ven. Servum Dei coram cognovi, cumque aliquando invisi. Ipsum adivi, ut in re quadam conscientiam tangente instructionem et tranquillitatem reciperem, etiam de vita monastica ex ejus ore consilia recipere quaesivi, nam uti virum in vita religiosa illuminatum, animarum zelo plenum et pium sacerdotem eum veneratus sum.

§ 2. *Ven. S. D. cognovit, et ad capessenda consilia adivit.*

III. Testis Illm̃us D. Clemens Maria de Klinkowstroem, Concipista in C. R. Archivio secreto, annorum 53., *juxta 7. Interrog. Proc. fol.* 231. *respondit*: Ven. Servum Dei coram noveram; saepissime in domo mea paterna et ab amicis patris mei nec non a membris Congñis SS. Redemptoris de eo narrari audivi. Ex personis, de quarum ore relationes circa Ven. Servum Dei accepi, sequentes nominatim adduco. Ipsos meos parentes, sororem defunctae meae matris Iustinam Augustam de Mengershausen, quae postea in Conventum Visitationis B. Mariae V. in Gleink ingressa est, Patrem Martinum Stark, Patrem Ioannem Madlener, Sorores Rosaliam et Iosepham Biringer, aliosque, quorum nomina mihi in mentem non veniunt. Ex hisce omnibus solum Iosepha Biringer, adhuc vivit. Isti mihi narraverunt de vita virtuosa, et de illis mirabilibus factis quorum deinde mentionem facturus sum. Quaedam perpauca, quae de vita Ven. Servi Dei scio, ex libris cognovi, exempli gratia, quaedam ex Vita Ven. Servi Dei, a Friderico Poesl conscripta, et quaedam ex libro Sebastiani Brunner, cui titulus est: « Clemens Maria Hofbauer. »

§ 3. *Ven. S. D. noverat et plura de eo a patre audivit.*

IV. Testis Dom. Sebastianus Stehlin, officialis Serenissimi Ducis Mutinensis, annorum 68, *juxta 7. Interrog, Proc. fol.* 249 *ter. respondit*: « Ven. Servum Dei coram cognovi. Erat, credo, anno 1819, cum apud eum exomologesim peragerem. Saepius etiam ejus concionibus in Ecclesia Ursulinarum interfui. Carolus Kaul

§ 4. *Saepe Ven. S. D. audivit et apud eum sacramentales confessiones peregit.*

ad fidem conversus, primus mihi indigitavit eum. Dixit enim mihi locum ubi Ven. Servus Dei sacras confessiones excipiebat; ad satisfaciendum devotioni bonum esse, cum camera (sacristia) calefacta esset. Proprie intendebat, ut pium sacerdotem me faceret cognoscere. Quantum scio, ille Carolus Kaul adhuc vivit, sed propter gravem aetatem mente debilitatus est. Quantum recordor, extra confessionem numquam cum Ven. Servo Dei collocutus sum. »

§ 5.
Testis ex auditu.

V. Testis Augustissima Austriae Imperatrix Carolina Augusta, vidua Imperatoris Francisci I, annorum 77. *Proc. fol.* 268 *ter. dicit:* « Attestor, quod, quamvis praedictum Ven. Servum Dei coram non cognoverim, tamen testimonio summa fide digno ejus fama tamquam sacerdotis in vita et in operibus apostolici mihi innotuerit. »

§ 6.
Contestis de sanatione miraculosa.

VI. Testis Clara Wodsedalek, infirmarum Curatrix, annorum 43, *juxta* 7. *Interrog. Proc. fol.* 279 *ter. respondit:* « Quae de vita et laboribus Ven. Servi Dei scio, ex relationibus tum scriptis, tum oretenus mihi factis novi. »

§ 7.
Ab anno 1810 *usque ad mortem Ven. S. D. assidue vidit et audivit.*

VII. Testis Dom. Josepha Biringer, vitam privatam agens, annorum 68 *juxta* 7. *Interr. fol.* 297 *respondit:* « Gratia mihi contigit, ut Ven. Servum Dei anno 1810 cognoscerem. Me et sororem meam Rosaliam defunctam in sancta religione instruxit, nosque ad primam sacram confessionem et communionem praeparavit. Fortunatae etiam fuimus, ut eum usque ad obitum confessarium habere potuerimus. Saepius in domum parentum venit, qua occasione eum etiam extra confessionem alloqui potui, dum filii et parentes eum cingebant. Hoc ipsi proprium erat, ut omnes sermones ad res sanctas et divinas dirigeret. »

§ 8.
Notissimum habuit V. S. D. utpote conscientiae moderatorem ab anno 1813 *usque ad ejus obitum.*

VIII. Testis Rev. Mater Jacoba de Welschenau, Ordinis S. Ursulae, annorum 75, *juxta* 7 *Interr. fol.* 337. *ter. respondit:* « V. Servus Dei confessarius mihi fuit a tempore, quo directionem spiritualem Ursulinarum suscepit, et in domo nostra locatitia habitare incepit; ipsoque confessore usus sum per septem annos, usque ad obitum suum. Ego enim Conventum Ursulinarum ingressa sum die 31. Maji anno 1813, et eodem die Ven. Servus Dei in praedicta domo habitare coepit. Fere omnia, quae tum in S. Tribunali, tum extra illud mecum locutus est, ad vitam spiritualem referebantur: semper in id intendebat, ut me recte instrueret, consolaretur, animum erigeret; ejusque exhortatione tanto magis indigebam, quia saepe infirmabar. »

§ 9.
Testis V.S.D. confessarium habuit.

IX. Testis Soror Thaddaea Taxboeck, Ordinis S. Ursulae, annorum 71, *juxta* 7. *Interr. fol.* 375. *ter. respondit:* « Sedecim annos nata fui, cum in Conventum Ursu-

linarum ingressa sum. Tum Ven. Servus Dei factus est mihi confessarius, eoque usque ad obitum usa sum. Contigit mihi etiam feliciter, ut saepius eum eo etiam extra sacrum Tribunal colloqui possem. Materia colloquiorum semper ad res spirituales referebatur. »

X. Testis Rñus et Eñus D. Josephus Othmarus Rauscher, Princeps Archiepiscopus Vindobonen. et S. R. E. Cardinalis, annorum 71. *fol.* 447. *ter. sic scribit*: « Ipse venerandum hunc omnibus bonis virum saepe vidi, visitavi, verbum divinum praedicantem audivi, ab anno 1818. usquedum spiritum Deo reddidit, conscientiae Judicem habui; novi praeterea nonnullos, quibus quotidianum ferme cum eo commercium erat, et de Servo Dei cum adhuc in vivis ageret, sive paulo post obitum multa ab eis percepi. » § 10. *Ven. S. D. conscientiae judicem habuit.*

XI. Testis Rev. Mater Henrica Henn, Superiorissa Conventus Visitationis B. M. V., annorum 57, *juxta* 7. *Interr. fol.* 532. *respondit*: « Ven. Servum Dei coram quidem non noveram, sed saepe de eodem loquentes audivi. Tum pater meus, tum aliae personae parentes meos invisentes, qui concionibus Ven. Servi Dei intervenerant, eumdem tamquam sanctum sacerdotem praedicaverunt. Effigiem Ven. Servi Dei possedimus, quam in magno honore habuimus. » § 11. *Contestis de sanationibus miraculosis.*

XII. Testis Rev. Soror Francisca Salesia de Gaechter, Ordinis Visitationis B. M. V. annorum 54, *juxta* 7. *Interr. fol.* 541. *ter. respondit*: « Ven. Servum Dei coram non cognovi, cum post ejus obitum tantum Viennam venerim. Relationes de eo a sacerdotibus Congñis SSñi Redemptoris, P. Madlener et P. Kosmacěk accepi, sed contenta in iis memoriae meae elapsa sunt; certum est, eos de illo cum gaudio et veneratione esse locutos. » § 12. *Contestis de iisdem sanationibus.*

XIII. Testis Rev. Soror Aloysia Elisabetha de Revitzky, Ordinis Visitationis B. M. V., annorum 32, *juxta* 7. *Interr. fol.* 551. *respondit*: « Fuit, credo, anno meae sanationis, quo de Ven. Servo Dei primas cognitiones recepi. Quantum memini, occasione exhumationis et translationis corporis defuncti Ven. Servi Dei a personis nostri Conventus, quae ejus vitam virtutibus plenam noverant, relationes factae sunt, sed non recordor a quibus personis istae relationes factae fuerint. » § 13. *Contestis de iisdem sanationibus*

XIV. Testis Rev. Soror Anna Maria Auersperg, Ordinis Visitationis B. M. V., annorum 33, *juxta* 7. *Interr. fol.* 561. *ter. respondit*: « Ven. Servum Dei coram non cognovi, sed ultimis temporibus saepe de eo sermo factus est tum a sororibus Conventus, tum ab aliis personis nos invisentibus. Quae de Ven. Servo Dei audivi magnam fiduciam in ejus intercessionem mihi instillaverunt, parvam quoque biographiam Ven. Ser- § 14. *Contestis de iisdem sanationibus.*

vi Dei a P. Haringer Congñis SSñi Redemptoris sacerdote conscriptam legi; et hic notare volo, me circa vitam et acta Ven. Servi Dei alia referre non posse, nisi quae in dicta biographia continentur. »

§ 15. *Contestis de iisdem sanationibus.*

XV. Testis Rev. Soror Maria Salesia Bombelles, Ordinis Visitationis B. M. V., annorum 50, *juxta* 7. *Interr. fol.* 575. *respondit*: « Ven. Servum Dei coram non cognovi, sed a multis annis tenera veneratione in eum afficior, et nisi memoria me fallit, opinor, relationes super Ven. S. D. a Patre Rinn, Societ. Jesu sacerdote receptas iisdem sensibus venerationis plenis me affecisse. Non recordor, me aliquod scriptum vel librum de vita et rebus gestis V. Servi D. tractantem legisse. »

§ 16. *Contestis de iisdem sanationibus.*

XVI. Testis Rev. Soror Maria Paulina Strachwitz, Ordinis Visitationis B. M. V., annorum 48, *juxta* 7. *Interr. fol.* 585. *ter. respondit*: « De se intelligitur me V. Servum Dei non nosse. Tum demum, cum ossa V. Servi D. Vindobonam transferrentur, de eodem ejusque potenti intercessione relationes, (quarum tamen hodie memoriam non teneo) recepisse mihi videor. Tempore sanationis praedictae nullum librum de vita V. Servi Dei agentem legi. Postea utique ejus biographiam legi, quae (cum quadam certitudine id dicere possum) Patrem Haringer auctorem habet.

§ 17. *Officia testi praestitit V. Servus Dei, ejusque curam gessit.*

XVII. Testis Rev. Soror Maria Antonia Ott, Ordinis Visitationis B. M. V., annorum 75, *juxta* 7. *Interr. fol.* 598, *respondit*: « Ven. Servum Dei coram cognovi, sequenti modo ad eum noscendum perveni. Solita fui, Vindobonam in viculum Sailerstaette mercatum ire, et ova, butyrum et similia ibi vendere. Quodam die, quo iterum ad praedictum finem in eodem foro essem, Sacerdotem transeuntem vidi, et continuo haec mihi in mentem venit cogitatio: » Iste Sacerdos adjuvare te poterit, diu enim jam desideraveram religionem ingredi, nesciebam autem, quomodo facerem; nam nec consiliarium, nec ducem spiritualem habui. Oculis meis vestigia sacerdotis, qui nullus alius fuit, quam V. S. D. quantum potui prosecuta sum, usque dum in viam lateralem declinando e conspectu ablatus est. Hoc erat anno 1816. Ex eo tempore imago hujus Sacerdotis et desiderium eum noscendi, ac ejus consilio circa cordis mei desiderium fruendi, alte menti meae impressa manebat, sed nesciebam, quis esset ille sacerdos, et ubi eum invenire et alloqui possem. Ita duo anni elapsi sunt. Anno 1818 feria quinta in Coena Domini in Ecclesiam Ursulinarum me contuli, ut sacro interessem; et quanto stupore et gaudio affecta fui, cum ibi eundem Sacerdotem conspicerem, in quo hucusque omnem spem circa electionem status posueram. Eo momento

divinum sacramentum facta processione ad altare laterale portavit. Tum quaesivi, ubi habitaret, et quomodo eum alloqui possem. Erat, ni fallor, mense Junio, cum peccata confitendi causa ad eum accederem, eaque occasione ardens meum desiderium, Religionem ingrediendi ei manifestavi. Ipse animum inclinatum ad me juvandum in dicto proposito monstravit; ac postquam ipsi persuasum fuit, meum propositum sincerum et serium esse, mihi injunxit, ut Vindobonam venirem, ut in iis, quae ad vitam religiosam requiruntur, praepararer; imo habitationem mihi procuravit, et curam habuit, ut in iis, quae ipsi magis necessaria videbantur, instructionem reciperem. Mense Novembri anni 1818 Vindobonam veni, ut eo duce ingrediendo Ordini religioso idonea fierem. Revera ad ejus intercessionem in Conventum Visitationis Vindobonae recepta sum, et die 28. Octobris anni 1819. in illum ingressa sum. Ex eo tempore Ven. Servum Dei non amplius vidi, unde ex immediata observatione circa ea tantum depouere possum, quae illo tempore contigerunt, quo Ven. Servum Dei coram cognovi. Posterioribus hisce annis librum de vita et actis Ven. Servi Dei legi, cujus auctor, ut credo, P. Haringer, Congregationis SSmi Redemptoris sacerdos est. »

XVIII. Testis Georgius Maller, vespillo, annorum 68, *juxta* 7. *Interr. fol.* 613. *ter. respondit*: « Ven. Servum Dei coram non cognovi, sed de eo narrantes audivi, et duos libros super ejus vita et factis legi. Credo, unum ex his libris a P. Haringer scriptum esse, sed nescio quis alterum, praedicto majorem, typis dederit. Relationes verbales a personis excepi, quae Ven. Servi Dei sepulchrum in Maria Enzersdorf visitarunt. Numerus visitantium magnus fuit, sed hodie tantum nomen cujusdam Schmidt, officialis mensae publicae et cujusdam cauponis, nominis Krenn memoriae meae obversatur. » § 18. *Contestis.*

XIX. Testis Dom. Josephus Krenn, caupo, annorum 51, *juxta* 7. *Interr. fol.* 622. *ter. respondit*: « Ven. Servum Dei quidem coram non cognovi, sed ex eo tempore quo defuncti corpus translatum est, relationes de eo plures accepi, sed etiam antea de eo multa ad aedificationem utilia audivi, tum a sacerdotibus Congregationis SSmi Redemptoris tum ab aliis personis; plures insuper libellos super ejus vita et factis legi, quorum auctores indicare nescio. » § 19. *Contestis.*

XX. Testis Theresia Resinger nata Kostial, annorum 25, *juxta* 7. *Interr. fol.* 631. *ter. respondit*: « Primo de Ven. Servo Dei narrari audivi in nosocomio suburbii Wieden, cui stipendiata sum anno 1863. Tunc enim de miraculosa sanatione cujusdam foeminae artem § 20. *Contestis de sanatione miraculosa.*

suendi vestes elegantes exercentis, quae ad invocationem Ven. Servi Dei salutem obtinuit, narraverunt; sed hodie nec nomen hujus foeminae, nec alias circumstantias secutae sanationis recordor. Magnam fiduciam in Ven. Servum Dei tum in primis incepi habere, cum mihi narratum esset, apud Salesianas ad intercessionem Ven. Servi Dei quamdam infirmam miraculose fuisse sanatam. Circa vitam Ven. Servi Dei quaedam in libro legi, quem exactius indicare non possum. »

§ 21. *Contestis de eadem sanatione.*

XXI. Testis Anna Stanek, infirmarum curatrix, annorum 49, *juxta* 7. *Interr. fol.* 643. *respondit*: « Saepius ab aliis de Ven. Servo Dei narrari audivi; et etiam ex libro, quem melius indicare non possum, quaedam mihi praelecta sunt. »

§ 22. *Contestis de propria sanatione.*

XXII. Testis Anna Berger, nutrix, annorum 48, *juxta* 7. *Interr. fol.* 661. *respondit*: « Uno circiter mense ante sanationem prima vice de Ven. Servo Dei narratum est. Tum praefecta piae Unionis virginum cui adscripta sum, effigiem Ven. Servi Dei dono mihi dedit, dicendo illum sacerdotem magnum Dei famulum fuisse. Cum postea a Confessario mihi injungeretur, ut ad Ven. Servum Dei per novem dies ad levandam ejus intercessione infirmitatem preces funderem, etiam de virtutibus et potenti intercessione Ven. Servi Dei relationes accepi, quae fiduciam in eo ponendam in me excitabant. »

§ 23. *Ven. Servum Dei confessarium diu habuit, ac saepe cum eo verba fecit.*

XXIII. Testis I. ex officio Rev. Soror Aloysia Xaveria Pilat, Ordinis Visitationis B. M. V., annorum 62., *juxta* 7. *Interr. fol.* 674. *ter. respondit*: « Ven. Servum Dei coram cognovi, primam confessionem apud eum feci, ac ex ejus manibus primam Communionem accepi. Mater filios suos saepe ad P. Hofbauer conduxit, et ipse quoque saepe nos domi visitavit. Ipse instructionem, quam in materia religionis accepimus, sua auctoritate, ut ita dicam, dirigebat. Relationes de Ven. Servo Dei ejusque vita et actis saepe ab aliis quoque personis recepi, et tempore proxime elapso nonnullos libros de vita Ven. Servi Dei scriptos a P. Haringer, a D.re Sebastiano Brunner, et biographiam in lingua gallica a P. Hugues editam legi. »

§ 24. *Multa a familiaribus Ven. Servi D. audivit.*

XXIV. Testis II. ex officio Plurimum Rev. P. Mangold, Congregationis SSmi Redemptoris Sacerdos et Consultor generalis, annorum 63, *juxta* 7. *Interr. fol.* 716. *ter. respondit*: « Ven. Servum Dei coram non novi; nam cum Congregationem ingressus sum, octo jam anni ab ejus obitu elapsi erant; sed plures ex ejus discipulis coram novi, cum iis etiam per longius tempus simul habitavi et ex eorum ore multa et pulcra facta ex vita Ven. Servi Dei audivi, tum etiam scripta,

quae in Archivo generali asservantur, et ad vitam Ven. Servi Dei spectant, perlegi. Sic e. g. Franciscus Doll, quo Magistro novitiorum usus sum, quocum postea per plures annos simul habitavi, fervens Ven. Servi Dei discipulus fuit. Etiam P. Franciscus Weidlich et Bartholomaeus Pajalich, uterque sacerdos Congregationis SSmi Redemptoris, ejus discipuli erant, quibuscum pariter per plures annos cohabitavi. Omnes hucusque dicti jam defuncti sunt. Novi etiam plures tum ecclesiasticos, tum saeculares, qui discipuli et cultores Ven. Servi Dei erant, e. g. Dominum Eduardum de Unkhrechtsberg, Olomucensem Canonicum, duas sorores Josepham et Rosaliam Biringer, quae posterior defuncta est, a quibus omnibus diversa facta ex vita Ven. Servi Dei audivi. »

XXV. Contestis Illma Dna Agnes Baronissa Fiath (Mater), annorum 50, *juxta* 7. *Interr. fol.* 783. *ter. respondit*: « Ven. Servum Dei ipsa non cognovi, sed de ejus vita et laboribus libellum, a P. Haringer conscriptum, legi. » § 25. *Contestis de miraculosa sanatione filiae.*

XXVI. Contestis Rosalia Drechsler, operarii uxor, annorum 56, *juxta* 7. *Interr. fol.* 789. *ter. respondit*: « Ven. Servum Dei coram non cognovi, nec de ejus vita et actis quidquam legi, at utique circa ipsum ex ore Mariae Hoffmann, quae per invocationem Ven. Servi Dei a malo herniae liberata est, relationes accepi. » § 26. *Contestis de miraculosa sanatione.*

XXVII. Contestis Excmus D. Jos. Effenberger, medicinae doctor, annorum 66. *juxta* 7. *Interr. fol.* 805. *respondit*: « Ven. Servum Dei Clementem Mariam Hofbauer coram non cognovi; nam anno 1824 tantum Vindobonam veni studia absoluturus. De vita et actis Ven. Servi Dei tantum proxime elapso tempore per librum D.ris Sebastiani Brunner pleniorem cognitionem accepi. Alias relationes circa Ven. Servum Dei per Excmum D. Norbertum de Burkhardt, defunctum Praesidentem Consilii Imperii oretenus recepi. » § 27. *Testis ex auditu et expertus.*

XXVIII. Contestis Illma Dna Agnes Baronissa Fiath (Filia), annorum 15. *juxta* 7. *Interr. fol.* 854. *ter. respondit*: « De vita et actis Ven. Servi Dei plura scripta legi, sed nomina auctorum indicare nescio. » § 28. *Contestis de propria sanatione.*

B. *Catalogus Testium in Processu ordinario examinatorum cum singulorum scientiae causa.*

I. Testis Rev. P. Joannes Madlener, Sacerdos professus ex Congne SSmi Redemptoris, annorum 76., *juxta* 7. *Interr. fol.* 85. *respondit*: « Altero saltem anno ante conversionem meam (mense Majo anni 1815 ad finem conductam) ab Exjesuita Patre Brink, qui tunc temporis in nobili quadam familia Informatoris sive Mentoris gerebat officium, invitatus fui ad audiendam con-

cionem cujusdam sacerdotis, qui a certis hominibus multis fuerat affectus conviciis. Iste sacerdos, uti postea mihi innotuit, erat Pater Hofbauer. Post conversionem meam, cum primo anno Theologiae vacarem, pius quidam Theologiae studiosus (quarto probabiliter anno sacrae isti disciplinae incumbens), saepe saepius de Patre Hofbauer mihi verba fecit laude plena nominans ipsum verum virum Dei incitansque in me desiderium, hunc virum Dei melius cognoscendi. Paullo post obviam veni Patri Hofbauer comitem habenti dictum Theologiae Candidatum nomine Leopoldum Roeger, qui quidem illius in me direxit attentionem. Hac occasione a Patre Hofbauer ad se invisendum, et postea saepius ad prandium invitatus fui, quamvis hoc non indigerem. Saepius hoc modo Servum Dei frequentando factum est, ut cor meum raperet, illaque inde nasceretur intima cum eo et continua relatio, quae quotidie fere ad eum me conduceret. Pater Hofbauer e suggestu etiam disseruit in solemnitate, qua primitias Missarum obtuli et in me desiderium suscitavit, ipsi me adiungendi ingrediendique ipsius Religionem. Convenientibus nobis nisi de Deo deque gloria Dei non erat sermo; mox etiam conscientiae meae moderatorem ipsum elegi. »

§ 29. *Intima, assidua, et quotidiana consuetudine usus est cum Servo Dei quem conscientiae moderatorem habuit.*

§ 30. *Familiaritatem habuit continuam cum Servo Dei non secus ac filius cum parente optimo.*

II. Testis Rmus D. Joannes Nepomucenus Emmanuel Veith, Canonicus honor: Ecclesiae Metropolitanae Salisburgensis, annor. 76. *juxta 7. interr. Proc. fol.* 137. *respondit*: « Novi Patrem Hofbauer personaliter, ab anno millesimo octingentesimo decimo octavo, fere quotidie eum frequentavi et paterna bonitate ipsius adstrictus pernoctare saepius debui in ipsius cubiculo, cum propter temporis injuriam in suburbium remeare mihi non permitteret. Quando eum primo viderim vel cum eo locutus fuerim, recordari praecise nequeo; scio solum, me, cum publico Theologiae studio vacarem, cum Reverendo Patre Madlener eo tempore iisdem studiis incumbente contraxisse familiaritatem ipsoque mediante relationem cum Dei Famulo iniisse. Ex eo tempore in continua usque ad ejus mortem relatione cum ipso permansi. Ipse mecum agebat uti pater cum filio impubere, uti benignus et antiquus amicus cum juvene, rerum asceticarum parum perito. Colloquia nostra respiciebant veritatem fidei catholicae, gloriam Dei et Ecclesiae, et in qua conditione versaretur tum respublica scientifica, tum populus communis. »

§ 31. *Servum Dei coram cognovit; et cum eo saepe est collocutus.*

III. Testis Illmus D. Joannes Nepomucenus Passy, annor. 74. *juxta 7. interr. Proc. fol.* 174. *ter. respondit*: « Patrem Hofbauer coram cognovi, eum singulis hebdomadis pluries cum aliis juvenibus invisi, et colloquia nostra in pium semper tendebant finem ab eo dire-

ctum. Istae visitationes locum habebant ab anno millesimo octingentesimo decimo septimo usque ad ejus mortem. »

IV. Testis Illmus et Rmus D. Can. Laurentius Greif, consiliarius Principis de Schwarzenberg, annor. 79, *juxta* 7. *Interrog. Proc. fol.* 186. *ter. respondit*: « Abunde dixisse me puto, referens eum fuisse confessarium meum, et quidem ab anno millesimo octingentesimo decimo quarto ad annum millesimum octingentesimum vigesimum. Colloquia privata pauca fecimus, ea tractabant de temporis conditionibus et semper religiosum habebant finem. »

§ 32. *Testis Dei Famulum conscientiae moderatorem habuit.*

V. Testis R. P. Josephus Srna sacerdos Congreg. Ssmi Redemptoris, annor. 68, *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 193 *ter. respondit*: « Cum reverentia de eo (Servo Dei) homines loquebantur, publice praedicabant ejus virtutes, et religioso tracti amore illi appropinquare studebant. Fama erat universalis; etiam me feliciter haec fama universalis tetigit, ac anno millesimo octingentesimo decimo quinto ad hunc Sanctum Dei Famulum conduxit. Ut sanctam Dei voluntatem cognosceremus, orationes fuere institutae. Et Deus Optimus Maximus pro Sanctissima Sua Providentia rem ad meam disposuit salutem. Pater Hofbauer inter aspirantes suos me suscepit. Ego ipsi me adjunxi et aggregavi cum fiducia, sperans fore, ut mox fundaretur conventus, quod et factum est anno millesimo octingentesimo decimo octavo Friburgi in Helvetia. Pia ejus desideria haec erant, ut secum cohabitarem et essem, sperans fore, ut finem mox attingerem. Inaestimabili igitur bono fruebar, eo tempore cum illo cohabitandi, videndi et audiendi, quidquid sanctum perageret, de visu ejus observandi virtutes, aestimandi et admirandi, domi et in ecclesia, in sacristia, in vita privata et publica, quomodo se gerêret qua Sacerdos, religiosus, confessarius et moderator animarum. Prinsquam cohabitarem cum hoc Servo Dei, multa audiveram laudabilia et gloriosa de virtuosa ejus vita, quam in eo homines admirabantur. Quidquid vero de eo edisserebat mundus, nonnisi umbra erat eorum, quae in vicinia de eo videbam. »

§ 33. *Testis de visu fuit eorum quae S. D. gessit in vita privata et publica et cum eo cohabitavit.*

VI. Testis R. P. Aloysius Czech, sacerdos Congreg. Ssmi Redemptoris, annor. 74. *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 217. *ter. respondit*: « Absoluta quarta Gymnasii classe anno millesimo octingentesimo quarto a Patre Hofbauer Varsaviae in domum ad Sanctum Bennonem receptus fui. Quindecim tunc annos natus prope Patrem Hofbauer moratus sum parum amplius duobus annis educatus ab illo pro Congregatione. »

§ 34. *Duobus amplius annis Varsaviae cum Servo Dei moratus est.*

VII. Testis Soror Jacoba De Welschenau, Ordinis S. Ur-

sulae, eadem, quae Testis VIII. in Processu Apostolico.

VIII. Testis Soror Francisca Plaschka, Ordinis S. Ursulae, annor. 70 *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 251. *respondit:* « Patrem Hofbauer jam quindecim menses ante meum in hoc monasterium ingressum cognovi. Extraordinarius confessarius mihi erat, ipsoque mediante veni in hanc nostram religiosam domum. Colloquia a nobis habita de mea spirituali agebant vocatione. »

§ 35. *Cognovit Servum Dei et cum eo saepe est colloquuta.*

IX. Testis Soror Thaddaea Taxböck, Ordinis S. Ursulae, eadem, quae Testis IX. in Processu Apostolico.

X. Testis Dom. Rosalia Biringer annor. 65. *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 289. *ter. respondit:* « Cognovi Patrem Hofbauer circiter anno millesimo octingentesimo decimo. Parentes mihi et sorori meae instructionem procurarunt domi; usque ad illud tempus in religionis scientia addiscenda magistro carebamus, et Pater Hofbauer, ad domus heram, pistricem Aprich (in viculo Rauhensteingasse) veniens, a patre meo rogatus fuit, ut nos erudiret. Sic ille factus est mihi magister in addiscenda doctrina Religionis et simul confessarius, quod ultimum officium mihi usque ad suam mortem praestitit. Etiam parentes mei et frater ac sorores omnes confessarium ipsum habuerunt. Colloquia mea cum Patre Hofbauer habita ad negotia religiosa et res conscientiae se referebant. »

§ 36. *Ab anno* 1810 *usque ad mortem Servi Dei assidue illum vidit, et audivit.*

XI. Testis Dom. Josepha Biringer, eadem, quae Testis VII. in Processu Apostolico.

XII. Testis Dom. Josepha Gussl, annor. 65. *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 325. *ter. respondit:* « Novi Patrem Hofbauer anno millesimo octingentesimo nono, et quidem in domo paterna, quam ille saepe visitavit tum solus, tum cum Patre Martino Stark; rarius cum aliis venit. Prandere nobiscum saepe solebat, et fere singulis feriis sextis et sabbathis. Pater Hofbauer patris mei defuncti confessarius erat, egoque ab eo saepe sanctam benedictionem et salubria monita et instructiones accepi; ejus etiam concionibus saepius interfui. »

§ 37. *Frequentissime ab anno* 1809 *vidit, audivitque Servum Dei.*

XIII. Testis Rev. soror Aloysia Xaveria de Pilat ex Ordine Visitationis B. M. V., eadem, quae Testis XXIII. in Processu Apostolico.

XIV. Testis R. P. Joannes Kral, sacerdos e Congreg. SSmi Redemptoris, idem, qui Testis I. in Processu Apostolico.

XV. Testis Illmus Dom. Josephus Antonius De Pilat, Imperialis Gubernii Consiliarius, annor. 82. *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 373. *ter. respondit:* « Novi Servum Dei anno millesimo octingentesimo decimo quarto. Ab uxore mea per Patrem Hofbauer ad ecclesiam

§ 38. *A Dei Famulo ad catholicae fidei exercitium perductus, eo directore conscientiae usus est.*

catholicam reducta ad eundem ductus sum, et Servi Dei solicitudini conversionem meam ad fidem et vitam catholicam refero acceptam. Factus est confessarius meus, et usque ad mortem suam etiam mansit. Colloquia nostra de rebus ecclesiasticis agebant; cum Servo Dei saltem bis in hebdomade extra sacrum tribunal collocutus sum. »

XVI. Testis Illmus et Rmus D. Josephus Holzinger, annor. 74. *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 383. *ter. respondit*: « Novi Servum Dei anno millesimo octingentesimo decimo octavo. Causam dedit huic meae familiaritati contrahendae educatrix filiarum Comitis Gileis Maria Rizy, postea Superior conventus Monialium Sanctissimi Redemptoris in Stein. Ista erat poenitens Servi Dei, felicis memoriae, cumque cum Dominis suis in Schrattenthal, ubi ego fui parochus, domicilium figeret, mihi Patris Hofbauer loco ejus conscientiam moderari obtigit. Quo factum est, ut verno tempore anni millesimi octingentesimi decimi octavi Servum Dei inviserem in domo Ursulinarum viculi Scilerstätte hocque initium fuit relationis meae cum eo initae. Ex eo tempore saepius cum eo loquutus sum, ejus interfui concionibus, quoties Vindobonam veni, nec raro cum eo etiam manducavi. Colloquia nostra praeprimis agebant de rebus ecclesiasticis, et occasionem mihi dederunt noscendi spiritum hujus Servi Dei religione et fide penitus inflammati. »

§ 39 *Saepe saepius cum S.D. loquutus est, qui illi conscientiae Director fuit.*

XVII. Testis R. P. Fridericus Rinn, sacerdos e Societ. Jesu, annor. 73. *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 393. *respondit*: « Novi Servum Dei inde ab anno millesimo octingentesimo decimo sexto. Attraxerant me ejus conciones et desiderium ejus spirituali utendi moderatione. Usque ad ejus mortem familiaritate ei fui junctus, pluries expiavi conscientiam sacra confessione eidem facta, imprimis confessione generali decretoria. Colloquiorum nostrorum finis non erat, nisi institutio ad vitam sacerdotalem. »

§ 40. *Maxima familiaritate cum Dei Famulo junctus fuit.*

XVIII. Testis Dom. Clemens Maria de Klinkowström, idem, qui Testis III. in Processu Apostolico.

XIX. Testis R. P. Joannes Udalricus Petrak, sacerdos e Congreg. Sanctissimi Redemptoris; annor. 73. *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 413. *respondit*: « Philosophicis studiis tertio incumbebam anno (millesimo octingentesimo decimo quinto probabiliter) cum Servum Dei cognoscerem. Sanctitatis fama et concionandi ejus modus vere catholicus me attraxerunt. Per quatuor annos saepissime eum invisi, et ante susceptum sacerdotium confessionem generalem coram eo peregi. Colloquia a nobis habita res ecclesiae et conscientiae fere semper respiciebant. »

§ 41. *Invisit saepissime Servum Dei per quadriennium.*

§ 42.
Testis de visu et de auditu.

XX. Testis Rm̃us D. Can. Josephus Columbus, annor. 60 *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 457 *ter. respondit* : « Servum Dei brevi tantum ante eius mortem tempore (circa quatuor vel quinque menses) coram cognovi, mihique valde tunc iuveni (quindecim vel sexdecim annos nato) defuit necessarium judicium ad aestimandam plene hujus viri omnino extraordinarii pietatem et sanctitatem. Paullatim tantum, et quidem praesertim in ejus morte et postea magis magisque perspexi, quem mirum impulsum pius iste vir omnibus hominum classibus dederit, tametsi jam eo vivente varia audierim de ejus industria et auctoritate longe lateque vigente. »

XXI. Testis Rm̃us Can. Ernestus Maximilianus Hurez, idem, qui Testis II. in Processu Apostolico.

§ 43.
Novit S. D. et cum eo sermones habuit.

XXII. Testis Illm̃us et Rm̃us D. Can. Carolus Comes de Welsersheimb, annor. 66. *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 480 *respondit:* « Servum Dei cognoscere nequibam nec coram novi ante priores duas hebdomadas mensis Novembris anni millesimi octingentesimi decimi noni; tunc ad eum directus a Reverendo Canonico Zacharia Werner, qui mense Octobri Gracii confessionem generalem meam excepit. Certus sum, me semel vel bis in habitatione apud eum fuisse ex academia nobilium Theresiana, in qua jurisprudentiae studio tertio jam anno incumbebam. Certe adhuc scio, me bis cum eo (in ejus comitatu) per plateas incessisse. Semel vel bis etiam concionantem eum audivi. Colloquia nostra erant brevia, et quod ipsum attinct, admodum benevola et religiosa. »

§ 44.
Testis de auditu.

XXIII. Testis Rmus D. Can. Alexius Antonius De Prusinowski, annor. 45 *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 489. *ter. respondit:* » Ipse ego junior sum, quam qui Servum Dei coram cognoverim. Depositiones autem meae his nituntur fundamentis. 1. Relationibus generalibus matris meae quae in juventute sua eo tempore missa Varsaviam discendi causa Sancti Bennonis Ecclesiam tunc a Congregatione Sanctissimi Redemptoris administratam visitavit, ibique lubenter devotionibus suis incubuit. 2. Documentis historicis authenticis, praesertim libro polono « Litterarum commercium sexenne, auctore Comite Ignatio Raczynski, Principe Archiepiscopo Gnesnensi. »

§ 45.
Persaepe cum S. D. familiariter est conversatus eumque confessarium habuit.

XXIV. Testis Illm̃us D. Eques Eduardus de Josch, annor. 65. *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 497. *respondit*: « Anno millesimo octingentesimo decimo nono a condiscipulo meo, Eminentissimo nunc Cardinali Equite de Rauscher, (qui tunc tertio anno jurisprudentiae operam dabamus) attentio mea in Patrem Hofbauer est directa. Audivi nonnullas ejus sacras conciones in ecclesia Ursulinarum hic loci: similes conciones nun-

quam audivisse mihi visus, conscientiam meam ei confidere constitui. Praefatus meus condiscipulus Patris Hofbauer familiaritatem mihi procuravit, et die decima tertia Maii anni millesimi octingentesimi decimi noni confessione generali conscientiam meam apud eum expiavi. Accepta absolutione, quae sequenti die in Ecclesia Ursulinarum denuo fuit impertita, sacra synaxi refectus sum. Susceptis his sacramentis tranquillitatem et laetitiam sensi internam, quae exsuperat omnem sensum mundanum, et fidelis Patris Hofbauer semper mansi assecla. Obsequutus ejus consilio altera quavis hebdomada, et postea singulis hebdomadis poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta per Patrem Hofbauer usque ad ejus mortem suscepi. Eiusdem anni aestate pater meus hic loci aegrotavit, et a me rogatus Pater Hofbauer eum die decima octava Julii invisit, consolatusque cum eo oravit. Quavis fere hebdomade semel vel bis vespertino tempore visitavi Patrem Hofbauer ibique complures discipulorum ejus unitos inveni. In ejus propinquitate felicissimum me esse sentiebam, et tamquam patrem meum spiritualem eum adamabam. »

§ 46. *Familiariter usus est D. Famulo, eumque conscientiae moderatorem habuit.*

XXV. Testis R. P. Fridericus De Held, sacerdos Cong. Sanctissimi Redemptoris, annor. 65. *juxta* 7. *inter. Proc. fol.* 508. *respondit*: « Juvenis eram decimum octavum agens annum, et Philosophiae in Vindobonensi Universitate vacabam, cum mediante Patre Springer felicis recordationis familiaritatem contraherem cum Servo Dei Clemente Maria Hofbauer, qui tantam illico mihi indidit fiduciam, ut donec viveret, ergo per tres fere annos, conscientiam meam apud eum expiarem. Vespere ad eum saepe veni multosque alios, praesertim juvenes, unitos inveni in ejus habitatione, et Pater Hofbauer ordinarie aliquid ex historia ecclesiastica legendum curavit et lectiones ingeniosis suis condivit observationibus. Quandoque, probabiliter ut respectum humanum vincere nos doceret, per munimenta valde frequentata nos conduxit. Ejus colloquia finem semper habebant religiosum et moralem. »

§ 47. *Assiduam familiaritatem cum S. D. exercuit.*

XXVI. Testis R. P. Joannes Baptista Pilat, sacerdos e Congr. Ssmi Redemptoris annor. 65. *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 533. *ter. respondit*: « Exeunte anno millesimo octingentesimo decimo quinto, ni fallor, primum Vindobonam veni. Per fratrem meum, ejusque uxorem a Patre Hofbauer ad christianam vitam et catholicam fidem jam reductos (fratris uxor antea erat protestantica) relationem inii cum Patre Hofbauer. Ei deinde conscientiam aperui, ejus concionibus interfui, saepiusque eum in habitatione visitavi. Elapsis aliquot mensibus Pragam reversus studia ibidem absolvi polytechnica. Versus finem anni millesimi octingentesimi

decimi septimi Vindobonam reversus munus inter aediles aulicos accepi, et Vindobonae moratus sum, donec aliquot menses ante Patris Hofbauer obitum iter instituerem in Italiam Romamque. Dum Vindobonae morabar continuam cum Servo Dei relationem habebam, singulis hebdomadis eidem confitendo, diebus dominicis et festis ejus concionibus interveniendo, eumque saepe in habitatione invisendo. Colloquia nostra nonnisi de rebus sanctis agebant apta cor meum magis magisque semper avellendo a mundo et ad Deum elevando. Ipse mihi etiam amorem erga Sanctum Alphonsum, ejusque Congregationem instillavit. »

XXVII. Testis D. Sebastianus Stehlin, idem, qui Testis IV. in Processu Apostolico.

§ 48.
Plura ex auditu excepit ab amicis et familiaribus Servi Dei.

XXVIII. Testis Rev. D. Franciscus Hasel, annor. 57. *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 566. *ter. respondit*: « Puer undecim ad duodecim annos natus saepe veni in Ecclesiam Ursulinarum, in cujus vicinia habitabam. Ibi Servum Dei in pulpito et ad aram vidi, sed cum eo nec locutus sum, nec alio modo usum habui. Inter vicinos meos saepe de eo fiebat sermo, virum nempe eum esse valde pium. Eis annis, quibus studiis incubui, saepe conversatus sum cum viris Servi Dei discipulis et intimis amicis, nempe Friderico de Klinkowström, Antonio Buchner c. r. inspectore domestico (qui cum Servo Dei quovis fere die loquebatur et hodiedum adhuc vivere, et in civitate Sancti Hippolyti habitare posset), Patre Madlener, Veith, Leopoldo Maximiliano Horny, spirituali directore Alumnatus Archiepiscopalis et parocho decano ad Sanctum Petrum jam defuncto. »

§ 49.
Frequenter invisit Servum Dei, quem conscientiae moderatorem habuit.

XXIX. Testis I. ex offic. Illmus ac Rmus Canon. Eduardus Eques de Unckhrechtsberg, annor. 67. *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 578. *respondit*: « Ab educatore meo priore, nunc defuncto presbytero Congregationis Sanctissimi Redemptoris Francisco Springer anno millesimo octingentesimo decimo septimo ad Patrem Hofbauer fui conductus, et cum eo tali modo relationem inii, ex quo tempore Servus Dei usque ad obitum suum confessarius et conscientiae moderator meus erat. Praeterea saepissime Patrem Hofbauer visitavi horis vespertinis tempore hyemali, aestate enim ruri degebam.

Plures jam annos, antequam cognovi Patrem Hofbauer, nonnulli juvenes et viri juniores uti cultores et discipuli eidem sese aggregaverunt, per quos, prout ego, novi Servo Dei adducebantur. Pater Zacharias Werner etiam multorum animos concionibus suis commovens, ad christianam vitam reversuros ad Patrem Hofbauer direxit.

Tali modo paulatim discipulorum numerus ad vigiuti et

ultra crevit juniorum virorum, horis vespertinis aedificationis et instructionis causa ad eum convenientium. Quos inter cujusvis ordinis et classis erant viri, plerique tamen juvenes studentes, sed et qui artes et mercaturam exercebant, imo et nonnulli, qui publicis fungebantur officiis. Pater Hofbauer cum omnibus, sive pauperibus sive opulentis, eadem charitate et familiaritate agebat. Quicumque adveniebat, manum illi tanquam venerando patri deosculari ab eoque benedictionem recipere solebat, dum ille simul genam praeberet osculandam. Hunc salutationis et abitionis usum a duobus Sacerdotibus Congregationis, Patre Sabelli et Patre Stark, apud eum habitantibus observatum vidimus, eumque imitati sumus.

Regulariter ex libro instructivo, et aedificanti aliquid legebatur, ex quo Pater Hofbauer ansam cepit, explicationes vel instructiones adjungendi, quibus attentas praebuimus aures. His occasionibus praesentes admonuit imprimis ad dilectionem Dei et Jesu Christi, ad cultum Beatae Virginis Mariae et Sanctorum. »

§ 50. *Pluries adiit Dei Famulum et cum eo sermonem habuit.*

XXX. Testis II. ex Officio Dom. Joannes Baptista Freyberger, annor. 66. *juxta* 7. *interrog. Proc. fol.* 610. *ter. respondit*: « Quod meminerim, finis anni millesimi octingentesimi decimi octavi vel initium currebat millesimi octingentesimi decimi noni, cum mater mea attentionem meam dirigeret in Patrem Hofbauer, quem in sua habitatione visitavi, saepius deinde istas repetens visitationes.

Matrem meam et duas sorores eum a confessionibus habuisse censeo; certum est minimam meam sororem Franciscam de Paula primam sanctam confessionem apud eum peregisse. Viva etiam teneo memoria me interfuisse concioni a Patre Hofbauer habitae, qua finita indulgentiam est impertitus. Semel etiam eum comitatus sum cum pluribus juvenibus in deambulatione. Colloquia nostra de religiosis tractabant argumentis finemque habebant moralem. »

XXXI. Contestis I. Dom. Franciscus Stohl, annorum 65. *Proc. fol.* 636.

§ 51. *Nomina contestium.*

XXXII. Contestis II. Rev. Mater Francisca Salesia Gaechter, Superiorissa Monasterii Visitationis B. M. V., eadem, quae Testis XII. in Proc. Apost.

XXXIII. Contestis III. Rev. Soror Aloysia Henn, Chorista ejusdem Ordinis, eadem, quae Testis XI. in Proc. Apost.

XXXIV. Contestis IV. Rev. Soror Antonia Ott, Chorista ejusdem Ordinis, eadem, quae Testis XVII. in Proc. Apostolico.

XXXV. Contestis V. Illm̃us Dom. Vincentius Schnattinger, annorum 36. *Proc. fol.* 660.

XXXVI. Contestis VI. Rev. Soror Maria Salesia Bombelles, ex Ordine Visitationis B. M. V., eadem, quae Testis XV. in Proc. Apost.

XXXVII. Contestis VII. Rev. Soror Anna Maria Auersperg, Chorista ejusdem Ordinis, eadem, quae Testis XIV. in Proc. Apost.

XXXVIII. Contestis VIII. Rev. Soror Maria Paulina de Strachwitz, Chorista ejusdem Ordinis, eadem, quae Testis XVI. in Proc. Apost.

XXXIX. Contestis IX. Excmus Dom. Joseph Effenberger, medicinae Doctor, idem, qui Testis XXVII. in Proc. Apostolico.

XL. Contestis X. Dom. Joseph Krenn, idem, qui Testis XIX. in Proc. Apostolico.

XLI. Contestis XI. Excmus Dom. Aloysius Lowy, medicinae Doctor, annorum 50. *Proc. fol.* 692. *ter.*

XLII. Contestis XII. Georgius Maller, idem, qui Testis XVIII. in Proc. Apost.

XLIII. Contestis XIII. Rev. P. Emmanuel Fleischmann, Custos Coenobii PP. Franciscalium ad Mariae Enzersdorf, annorum 63. *Proc. fol.* 706.

XLIV. Contestis XIV. R. D. Vincentius Willim, annorum 63. *Proc. fol.* 709.

XLV. Contestis XV. Excmus Dom. Fridericus Eichhorn, medicinae et chirurgiae Doctor, annorum 48. *Proc. fol.* 714. *ter.*

XLVI. Contestis XVI. Francisca Seidel, annorum 42. *Proc. fol.* 727.

XLVII. Contestis XVII. Antonius Seidel, annorum 44. *Proc. fol.* 737. *ter.*

XLVIII. Contestis XVIII. Rev. Soror Aloysia Elisabeth Reviczky, Chorista Ordinis Visitationis B. M. V., eadem, quae Testis XIII. in Proc. Apost.

XLIX. Contestis XIX. Excmus Dom. Carolus Riedlinger, medicinae et chirurgiae Doctor, annorum 46. *Proc. fol.* 769.

L. Contestis XX. R. D. Eduardus Doeberle, annorum 34, *Proc. fol.* 785.

LI. Contestis XXI. Anna Berger, eadem, quae Testis XXII. in Proc. Apost.

LII. Contestis XXII. Michael Essler, annorum 30. *Proc. fol.* 807.

LIII. Contestis XXIII. Margarita Hermann, Soror Tertii Ordinis S. Francisci, annorum 64. *Proc. fol.* 811. *ter.*

LIV. Contestis XXIV. Maria Hoffmann, annorum 51. *Proc. fol.* 827. *ter.*

LV. Contestis XXV. Susanna Clara Wodsedalek, eadem, quae Testis VI. in Proc. Apost.

LVI. Contestis XXVI, Anna Stanek, eadem, quae Testis XXI. in Proc. Apost.

LVII. Contestis XXVII. Theresia Kostial, eadem, quae Testis XX. in Proc. Apost.

LVIII. Augustissima Austriae Imperatrix, vidua Carolina Augusta, eadem, quae Testis V. in Proc. Apost.

ART. I.

De ortu, patria et parentibus Ven. Servi Dei,

Num. 4. De ortu, patria, Parentibus, pueritia et adolescentia V. S. D.

§ 1. Fides baptismatis.

Ex juribus compulsatis in Proc. Ord. fol. 884. ter. (Cfr. Proc. Apost. fol. 725): » Die 26. Decembris anni 1751. baptizatus est in Ecclesia parochiali B. Mariae V. Assumptae Tassovici, Dioecesis Brunnensis in Moravia, Joannes filius Pauli Hofbauer ejusque uxoris Mariae Steer. Baptizans fuit Reverendus P. Adolphus, Patrini autem fuerunt Michael Iahn ejusque uxor Barbara. In cujus fidem se subscripsit et sigillum curae suae adjecit.

Tassovici die vigesima quarta Aprilis anni millesimi octingentesimi sexagesimi quarti.

Wolfgangus Lobgott parochus manu propria.

Loco ✠ Signi

§ 2. Fides matrimonii parentum Servi Dei.

Fides matrimonii inter parentes Servi Dei rite initi.

Extractus ex libris parochialibus in Tasswitz = Ex libro matrimoniorum.

Parentes Servi Dei Joannis Clementis Mariae fuerunt:

Paulus Hofbauer, Lanio ex Moravo-Budwitz et Maria Steer, filia defuncti Pauli Steer ex Tasswitz, qui die trigesima prima Januarii anni millesimi septingentesimi trigesimi sexti sacramentum matrimonii rite inierunt.

Tassovici die vigesima quarta Aprilis anni millesimi octingentesimi sexagesimi quarti.

Wolfgangus Lobgott parochus manu propria.

Loco ✠ Signi

§ 3. Attestatio de liberis ex eo matrimonio susceptis.

Series liberorum ex hoc matrimonio procreatorum.

Extractus ex libro baptismorum.

Series filiorum, qui ex hoc matrimonio procreati sunt.

Primo - die decima Januarii anni millesimi septingentesimi trigesimi septimi Anna Maria.

Secundo - die prima Novembris anni millesimi septingentesimi trigesimi octavi Carolus.

Tertio - die tertia Octobris anni millesimi septingentesimi quadragesimi Franciscus.

Quarto - die octava Junii anni millesimi septingentesimi quadragesimi secundi Maria Theresia.

Quinto - die vigesima tertia Augusti anni millesimi septingentesimi quadragesimi tertii Maria Barbara.

Sexto - die vigesima sexta Martii anni millesimi septingentesimi quadragesimi quinti Hermannus.

Septimo - die vigesima septima Julii anni millesimi septingentesimi septimi Laurentius.

Octavo - die duodecima Martii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi Rosina.

Nono - die vigesima sexta Decembris anni millesimi septingentesimi quinquagesimi primi *Joannes.*

Decimo - die vigesima nona Aprilis anni millesimi septingentesimi quinquagesimi quarti Catharina.

Undecimo - die duodecima Junii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi quinti Paulus.

Duodecimo - die decima septima Decembris anni millesimi septingentesimi quinquagesimi sexti Paulus.

Annotatio. In libro baptismorum non invenitur inscriptus dies nativitatis, sed tantum baptismatis, qui tamen regulariter idem est ac nativitatis: in hisce enim regionibus ex pia praxi fidelium baptismus non differtur. Si tamen infans nascitur vespere aut inchoata nocte usque ad mediam noctem, tunc utique dies nativitatis et baptismatis erunt diversi, quia dies politicus incipit a media nocte.

Tassovici die vigesima quarta Aprilis anni millesimi octingentesimi sexagesimi quarti.

Wolfgangus Lobgott parochus manu propria.

Loco ✠ Signi.

(Ex Processu Apostolico)

§ 4. *Dies et locus nativitatis Ven. S. D.*

1\. Testis, *juxta* 9. *Interr. fol.* 145, *respondit*: « Quantum scio, Ven. Servus Dei die 26. Decembris anni 1751. Tassovici prope urbem Znaim in Moravia natus est: fidem baptismi ipse perlustrasse mihi videor, puto etiam a praeside loci, N. Schnattinger, audivisse Ven. Servum Dei eodem die quo natus est, fuisse baptizatum, ipsique nomen Joannis Evangelistae fuisse impositum. »

§ 5. *De nomine familiae.*

Et *juxta 1. Articulum, fol.* 215: « Super nomen familiae Ven. Servi Dei Clementis Mariae Hofbauer, in libris parochialibus Tasswitz, modo Hofbauer, modo Hoffbauer scriptum legitur. Sicut in libro matrimoniorum habetur, ejus pater, Petrus Paulus, ex Moravo-Budwitz ortus erat. Sed Moravo-Budwitz, sicut Pater Srna asseverat, qui etiam in Budwitz natus est, et sicut Decanus loci in litteris a me lectis scribit, numquam « Hofbauer » existebant. Dixit Pater Srna, tempore elapso saepius Moravos Slavos nomen Dvorzak in nomen germanicum Hofbauer immutasse, si scilicet in regiones germanorum emigrarunt: nam « Hofbauer » nonnisi est versio nominis slavici Dvorzak. Hoc etiam Pater Franciscus Hofbauer, nepos Ven. Servi Dei dixit Patri Hampl, Congñis nostrae sacerdoti. Etiam De-

canus Budvicensis, anno 1864, retulit vivere adhuc ibi mulierem octoginta tres annos agentem, quae meminit, audivisse a parentibus, cum adhuc infans esset, quemdam Dvorzak nomen suum in Hofbauer immutasse. Insuper in libro mortuorum Tassovici scriptum est, patrem Ven. Servi Dei die 26. Julii anni 1758. annum quadragesimum septimum agentem esse defunctum. Necessario igitur anno 1712. natus fuit. Et revera Decanus Budvicensis anno 1864. scripsit, juxta libros suae parochiae die 28. Junii anni 1712, Petrum Paulum Dvorzak natum esse. Haec facta equidem haurio ex epistolis praefati Tassoviciensis Vincentii Schnattinger et Decani Budvicensis Valentini Ceczvar. »

VII. Testis, *juxta* 9. *Interr. fol.* 297. *ter. respondit*: « Scio Ven. Servum Dei die 26. Decembris anni 1751. Tassovici in Moravia natum esse. Quotannis, die nativitatis suae, felicitationes nostras ei praesentavimus. »

§ 6. *Nomen Clementis a Pio VII. accepit, cum habitu eremitico indueretur.*

XXIV. Testis, *juxta* 9. *Interr. fol.* 717. *ter. respondit*: » Ven. Servus Dei natus est Tassovici in Moravia, die 26. Decembris anni 1751, et eodem die juxta ritum Sanctae Ecclesiae baptizatus est. In baptismate nomen Joannis ei impositum est, cui nomini postea illud Clementis apposuit, quod Episcopus Tiburtinus Barnabas Chiaramonti, postea Papa Pius VII., habitu eremitarum eum vestiendo ei dedit. »

III. Testis, *juxta* 15. *Interr. fol.* 232. *ter. respondit*: « Scio ex ore defuncti patris, Ven. Servum Dei pluries Romae fuisse, vitam eremiticam ibidem sibi elegisse et eremiticum nomen Clementis assumpsisse. Id hac de causa factum mihi videtur, quia Sanctum Clementem Ancyranum Patronum Ven. Servus Dei tum propter constantiam fidei, tum propter fortitudinem, qua omnia adversa passus est (nam per triginta octo annos martyrii dolores sustinuit) exemplum imitandum sibi proposuerat. Cum Ven. Servus Dei in baptismo mihi patrinus fuerit, idem nomen mihi inditum est, et hodie adhuc imaginem S. Episcopi et Martyris Clementis habeo, quam ex propriis manibus Ven. Servi De accepi. »

§. 7. *Confirmantur jam dicta.*

I. Testis, *juxta* 9. *Interr. fol.* 145. *ter. respondit*: « Quantum mihi innotuit, Ven. Servus Dei plures fratres et sorores habuit. Parentes, quorum nomina indicare nescio, simplices agricultores fuerunt; pater lanionis artem exercuit. Semper audivi, Ven. Servum Dei pietatem parentum, maxime vero matris virtutes laudibus extulisse. »

VII. Testis, *juxta* 9. *Interr. fol.* 298., *respondit*: « Audivi, Ven. Servo Dei plures fratres et sorores fuisse, sed de his nihil in particulari referre possum. »

IX. Testis, *juxta* 9. *Interr. fol.* 376., *respondit*: « Scio tantum, Ven. Servum Dei in Moravia esse natum, et

in sacro baptismate nomen Joannis Evangelistae accepisse. Parentes simplices agricolae, sed optimi christiani erant, et filios, sicut christianos decet, educaverunt. Quantum scio, Ven. Servo Dei plures fratres et sorores erant. »

XXIII. Testis, *juxta* 9. *Interr. fol.* 717. *ter. respondit*: Nomen patris erat Paulus Hofbauer, matris Maria, ambo catholici..... Plures habuit fratres et sorores; parentes pauperes quidem erant, de cultura agrorum viventes, sed vitam valde piam, uti bonos christianos decet, agentes. »

Concordant II. Testis *juxta* 9. *Interr. fol.* 220., et III. Testis *fol.* 232. *juxta idem Interr.*

(Ex Processu ordinario)

§ 8. *De nomine Clementis ut supra* § 6.

XXVI. Testis *juxta* 9. *interr. Proc. fol.* 534. *respondit*: « Nomen baptismale Servi Dei erat Joannis, Clementis Mariae nomen (prout Clemens Maria de Klinkowström mihi narravit) Tibure accepit, cum ab ejus loci episcopo Chiaramonti, postea Pio Septimo, eremitarum vestem reciperet. Frater quoque Kunzmann eodem tempore cum eo vestitus pro nomine Petri illud Emmanuelis accepit. Ejus Pater Petrus Paulus ex Budwitz stirpis Slavae erat; Mater Maria germana, ita ut in Patre Hofbauer sanguis slavus et germanicus misceretur, cui per commorationem et educationem in Italia romanum quoque accessit elementum, et isto modo divina providentia in Patre Hofbauer vocationem Congregationis pro Universo laborandi tanquam in prototypo expressit. »

XXII. Testis *juxta* 9. *interrog. Proc fol.* 481. *respondit*: » Memoratu dignum reputo, eodem tempore, quo desiderata beatificatio Martyris Joannis Sarcandri, olim parochi Olomucensis dioeceseos ad finem est perducta, similem causam inchoatam fuisse Servi Dei Joannis Clementis Mariae Hofbauer: deinde Sarcandrum quoque nomen suum anterius, quod Fleischmann sonabat, in graecum idioma transtulisse, praeterea ambos viros nomen *Joannis* primum in baptismate recepisse, indeque nomen idem gestasse, prout magnus celeberrimus Sanctus Pragensis (Joannes Nepomucenus). »

V. Testis *juxta* 9. *Interr. Proc. fol.* 194. *ter. respondit*: « Res est in tota Congregatione notoria, die vigesima sexta Decembris anni millesimi septingentesimi quinquagesimi primi Tassovitii in Moravia eum natum esse. »

XXXV. Testis *juxta* 9. *interrog. Proc. fol.* 661. *respondit*: « Servus Dei ex legitimo toro natus est die vigesima sexta Decembris anni millesimi septingentesimi quinquagesimi primi Tassowitii (in domo cui numerus

est triginta duo) in Moravia prope Znaim et eodem die baptizatus a Patre Adolpho (Dujardin, ut habetur in fide baptismi Proc. Apost. fol. 725. ter.) Sacerdote Praemonstratensi monasterii Bruck; (Patrinus nomen habebat Michaelis Jahn). Tasswitz enim monasterio praedicto erat incorporatum et Pater Adolphus ibidem capellanus. Haec depositio desumpta est ex libro baptismali a me inspecto: in quo Servus Dei inscriptus est nomine Joannis.

§. 9. *Parentes, dies, et locus nativitatis Servi Dei.*

Tasswitz nunc pertinet ad Dioecesin Brunensem, habet domos biscentum triginta quatuor et circa mille biscentum quinquaginta incolas. »

Et juxta 10. *interrog. Proc. fol. eod. respondit*: « Servi Dei parentes erant: Petrus Paulus Hofbauer et Maria nata Steer; mater nata erat in Tasswitz, pater in Budwitz Moraviae, prout patet ex libro matrimoniorum parochiae a me inspecto; ambo erant catholici, et possidebant dimidium praedium Numero 32. Tassowitii, cum agris et vineis junctum; pater artem laniariam exercuit et mortuus est anno quadragesimo septimo aetatis suae. Servi Dei mater, cui ejus educatio incumbebat, mulier erat valde pia, prout nunc adhuc Tassowitii notum est. Matertera mea, quae eam coram adhuc noverat, mihi dixit, eam orationis fuisse amantissimam, viduitatem suam sancte servasse, ecclesiam diligentissime visitasse et fere postremam ab ea recessisse. Ex quo deduci potest, quantopere sategerit, liberos suos in catholica educare pietate. Ex ejus matrimonio duodecim progeniti fuere liberi, quorum septem in infantia jam sunt defuncti. De reliquis quinque haec referre possum: Carolus, Laurentius et Hermannus artem laniariam addidicere, filia Barbara nupsit Andreae Prisching, et in dotem habuit domum paternam. Carolus Hofbauer in urbe Sancti Andreae in Banato prope Temesvar matrimonio inito unicam tantum reliquerat filiam Josepham, quae anno millesimo octingentesimo nupsit Josepho Kollmann, lanioni, ex quo toro unicus nunc superest filius, Joannes, prout ipse his ultimis diebus mihi scripsit.

§ 10. *Fratres et sorores Servi Dei memorantur.*

Hermannus Hofbauer filiam tantum reliquit Joannam matrimonio iunctam cum Mandler caupone in Znaim, quod tamen matrimonium absque prole fuit. Laurentius Hofbauer, qui matrimonium inierat, mortuus est lanio in Bratelsbrun in Dioecesi Brunensi et quod sciam filium reliquit Franciscum Hofbauer, qui anno millesimo octingentesimo quadragesimo quinto Veteris-Oettingae in Bavaria, Sacerdos Congregationis Sanctissimi Redemptoris obiit. Ex matrimonio Barbarae modo nominatae superstes est nepos Antonius Prisching, possessor domus natalis Servi Dei, et neptis Agnes, nupta Joanni Skrabel, coriario in Znaim.

XIX. Testis, *juxta* 9. *Interr. fol.* 413. *ter. respondit:* « Res est omnibus nota, Patrem Clementem Mariam Hofbauer Tassovitii in Moravia anno 1751. esse natum. Ad ejus diem natalem centesimum honorandum parochus Tassovitiensis tunc temporis, anno 1851, sacram Missionem dandam curavit, et varii Patres librum baptismalem inspicientes sibi persuaserunt, diem etiam (26. Decembris) convenire. An ejus pater agriculturae operam dederit, nescio; erat lanio. »

X. Testis, *juxta* 9. *Interr. fol.* 290, *respondit*: « Pater Hofbauer Tassovitii in Moravia ex piis natus est parentibus, prout ipse hoc saepe nobis dixit. »

XII. Testis, *juxta* 9. *Interr. fol.* 326., *respondit*: « Servum Dei Clementem Mariam Hofbauer in Moravia piis ex parentibns esse natum, parentes mei mihi dixerunt. »

XXV. Testis, *juxta* 9. *Interr. fol.* 509, *respondit*: « Servum Dei Tassovitii in Moravia anno 1751. fuisse natum, traditio est in nostra Congregatione. »

V. Testis, *juxta* 9. *Interr. fol.* 194. *ter. respondit*: « Res est in tota Congregatione notoria, die 26. Decembris anni 1751. Tassovitii in Moravia eum natum esse. »

Iterum XXVI. Testis, *juxta* 10. *Interr. fol.* 535, *respondit*: « Addere possum, tempore obitus patris, anno 1758, Joannem Hofbauer sex tantum annos cum dimidio habuisse. Etiam hanc circumstantiam scio ex relatione Parochi et Praesidis communitatis Tassovitiensis. »

ART. II.

De pueritia et christiana educatione.

(Ex Processu Apostolico.)

§ 11.
Matris pietas facto egregio elucet.

VII. Testis, *juxta* 10. *Interr. fol.* 298. *respondit*: « Ven. Servus Dei patrem jam in tenera aetate amiserat. Mater, quae erat mulier valde pia, parvulum Joannem manu ante imaginem crucifixi Salvatoris duxit, eique dixit: « Hic exinde Pater tuus est: attende, ut ea gradiaris via, quae Deo est placita. » Hoc ipse Ven. Servus Dei nobis narravit. De matre sua semper cum magna veneratione loquebatur, et tum in sacro tribunali, tum in pulpito impense hortabatur, ut filii quartum praeceptum Decalogi observarent, et parentibus venerationem et obedientiam exhiberent. »

§ 12.
Ven. S. D. jam ab infantia orationi, jejuniis et charitatis operibus se dedit.

IX. Testis, *juxta* 10. *Interr. fol.* 376. *ter. respondit*: « Ven. Servus Dei jam in infantia orationis studio se distinxit. Maxime rosarium recitare amavit, et fratres et domesticos ad orandum hortatus est. Post patris obitum, a matre sua ad Crucifixum ductus, ibique ab ea monitus est: « Hic (monstrando Crucifixum) ex tunc pa-

ter tuus erit: ita ambula, ut ei complaceas. » Libenter etiam cibis pepercit, et quod parcendo sibi subtraxerat, inter pauperes infantes distribuit. Amavit quoque in honorem Dei Genitricis jejunare, et quidem sabbato, ita ut usque ad vesperam parum tantum vel omnino nihil ederet.

A matre sua Ven. Servus Dei pulchras preces didicit, quas a prima jam infantia recitavit. In hujus rei argumentum hoc adducere possum. Ven. Servus Dei multis annis post cum suo amico Hübl Romam profectus est. In eo itinere, ni fallor, prope Cremonam canis magnus nigri coloris impetum in eos fecit, et maxime Taddaeum Hübl invasit, ita ut valde angustiaretur. Tunc Ven. Servus Dei dixit: « Recitemus psalmum: Qui habitat in adjutorio Altissimi etc. »; hunc psalmum mater mea me docuit, et qui eum devote recitat, contra omnes impetus et omnia pericula tutus est. Vix psalmo recitato, jam canis evanuerat. Quaecumque hic deposui, ex relationibus Ven. Servi Dei desumpta sunt. »

XXIV. Testis *juxta* 9. *Interr. fol.* 717. *ter. respondit:* « Pater praematura morte abreptus est; tum pia mater filium ad crucifixi Salvatoris imaginem conduxit, eique dixit: « Ecce hic jam pater tuus est; cave ne ullo peccato eum offendas. » Pia monita matris a puero optime excepta sunt: jam a tenera aetate orare, jejunare et eleemosynas dare ipsi deliciae erant. Si quandoque a matre aliquos obolos recepit, eos servavit, ut vel pauperibus daret, vel Missam dicendam curaret. Quae hic dixi, ex ore Francisci Doll, mei in Novitiatu Magistri, et sororum Biringer scio. »

(Ex Processu ordinario)

§ 13. *Confirmantur dicta in Processu Apostolico.*

I. Testis *juxta* 10. *Interr. fol.* 92. *ter. respondit*: « Audivi . . . . quod a matre religiosissime fuerit educatus. Pater Hofbauer ultimis vitae suae annis magna semper cum veneratione et pietate de ipsa loquebatur. Num a Servo Dei an ab alio audiverim, quod sequitur ignoro, (sed probabilius ab ipso) nempe matrem in Deiparae honorem (Sabbato probabiliter) jejunandi illi veniam dedisse, quando omnino bene sese gesserat.

XIX. Testis *juxta* 10. *Interr. fol.* 413. *respondit*: » Patri Hofbauer matrem valde piam obtigisse, religiosae pueri educationi summopore intentam, semper audivi. »

X Testis *juxta* 10. *Interr. fol.* 290. *respondit :* « Ipse nobis narravit, se a matre, de qua loquebatur magna cum veneratione, continuo ad magnam virtutem et pietatem fuisse incitatum, et (patre in prima infantia amisso) ab

ea ad Crucifixi imaginem adductum et his monitum fuisse verbis (postea in corde suo semper conservatis): « Ecce pater tuus, ex nunc attende, ut ea gradiaris via, quae ipsi est placita. »

XXV. Testis *juxta* 10. *Interr. fol.* 509. *respondit*: « Ex eadem traditione scio, parentes Servi Dei ambos fuisse catholicos, praesertim matrem pietate excelluisse, patrem vero mature obiisse. »

Et juxta 11. *Interr. fol.* 509. *respondit*: « Ex eodem capite novi, eum jam in pueritia, cum scholam frequentaret, pietate enituisse, ex eo praesertim tempore, quo mater, patre mortuo, ad Crucifixi imaginem conducto illi diceret: » Ecce iste exinde pater tuus est, attende, ut ea quae ei placuerit, progrediaris via. »

XXIX. Testis *juxta* 10. *Interr. fol.* 580. *respondit*: « Recordor solum audivisse me, aliquoties ipsum Servum Dei mentionem fecisse piae suae matris, magni a se habitae. »

§ 14. *Scholam frequentavit, ad altare servivit, omnibus fuit carus.*

XXXV. Testis *juxta* 11. *Interr. fol.* 662. *respondit*: « Servus Dei juventutem transegit in patria sua usque ad annum decimum sextum vitae suae. In frequentanda schola diligentissimus, a parochis valde dilectus, saepissime ad altare servivit, et principia linguae latinae probabilissime jam a pastoribus patriae suae edoctus est. Ita propria ejus soror Barbara narravit cuidam Laurentio Goetz, operario in ipsius domo et adhuc vivo. »

ART. III.

De adolescentia.

(Ex Processu Apostolico)

§ 15. *Artem pistoriam addiscit.*

I. Testis *juxta* 11. *Interr. fol.* 145. *ter. respondit*: « Ven. Servus Dei annos sedecim natus in Znaim se contulit, ut ibi artem pistoriam addisceret. In libro universitatis pistorum oppidi Znaim ejus nomen inscriptum est, et refertur, ipsum die 31. Martii anni 1767. ad addiscendam artem admissum fuisse, sicuti ego ipse in scriptis ex dicto libro extractis legi. »

IV. Testis *juxta* 11. *Interr. fol.* 250. *ter. respondit:* « Ven. Dei servum in juventute sua artem pistoriam didicisse, et per aliquod tempus exercuisse, scio ex relationibus fratris Emmanuelis Kuntzmann, fratris conversi Congñis SS. Redemptoris, qui pariter operarius pistor et Ven. Servi Dei intimus amicus fuit. Quae postea de Ven. Servo Dei edicturus sum, maxima ex parte ab illo Emmanuele Kuntzmann audivi. Ex dictis hujus viri, qui propter suam pietatem plenam fidem

meretur, testari possum, Ven. Servum Dei jam eo tempore, quo adhuc arti pistoriae operam dabat, vitam valde piam duxisse. »

IX. Testis *juxta* 11. *Interr. fol.* 377. *respondit.* » Ven. Servus Dei ipse mihi dixit, se in oppido Znaim artem pistoriam didicisse, sed semper impulsum se sensit ad eligendem statum., in quo multa in honorem Dei operari posset; unde die et nocte precatus est, ut ad talem vocationem pervenire posset. Hic obligatam me sentio sequentia edicere. Cum Venerabilis Servus Dei adhuc artem pistoriam addisceret, panem in loca vicina perferre ei injunctum erat. Mulier pistoris quae christianam pietatem colebat, puerum habebat quinque circiter annos natum qui patris sui discipulum valde amabat, eumque omnino comitari voluit. Cum vero parvulus lento tantum gradu incederet, et inde timendum esset, ne Venerabilis Servus Dei panes tardius afferet, parvulum propriis brachiis tulit. Evenit autem, ut saepius homines eum videntes exclamarent: » Ecce Sanctus Christophorus. » Cumque Venerabilis Servus Dei se verteret, ut Sanctum Christophorum videret, illi clamarunt: « Tu ipse Christophorus es. » Id cum pistoris mulieri retulisset, et explicationem accepisset, Sanctum Christophorum infantem Jesum brachiis suis gestasse, Venerabilis Servus Dei respondit: « Utinam essem Sanctus Christophorus, et Dominum manibus portare possem. » Haec quoque ex ore Venerabilis Servi Dei audivi. »

§ 16. *Ad sacerdotium semper adspirat.*

XXIV. Testis *juxta* 11. *Interr. fol.* 618. *respondit:* » Est in Congñe res notoria, Ven. Servum Dei in juventute sua in oppido Znaim artem pistoriam didicisse, quia mater propter paupertatem non potuit curare, ut studiis vacaret. »

Iterum I. Testis, *juxta* 12. *Interr. fol.* 146. » *respondit:* Nondum elapsis tribus annis ad addiscendam artem pistoriam praescriptis Venerabilis Servus Dei in conventum Praemonstratensium in Bruck prope Znaim se contulit. Lapsu temporis Gregorius, eo tempore Abbas, id fecit, ut in schola conventus studiis vacare posset. Haec scio ex quibusdam actis, quae in Archivo Vindobonensis domus conservantur. »

§ 17. *In conventu Bruck famulatur et studiis vacat.*

Et *juxta* 1. *art. fol.* 216. *respondit:* « Narravit Pater Srnas sibi dixisse Patrem Hofbauer, se quoque in Budvitz fuisse, quando autem, non liquet. Cum vero Venerabilis Servus Dei juxta narrationem Patris Srna saepius reverenter de Reverendo Domino Knesel loqueretur, qui ex Budvitz natus erat, et anno millesimo septingentesimo septuagesimo secundo sacerdos ordinatus est, et primo Capellanus, tum Parochus ibi erat, ac anno millesimo octingentesimo quarto mortuus est, concludendum videtur, Venerabilem Servum Dei eo tempore ibi fuis-

se, quando Monasterium Bruck reliquerat, sive ante sive post vitam suam eremiticam in Mühlfrauen, sed certe antequam Vindobonam venit.

§ 18. *Linguam Slavam addiscit.*

In Budvitz generaliter linguam slavam loquuntur, et ita Venerabilis Servus Dei occasionem habuit addiscendi hanc linguam, quae res ipsi postea in Polonia valde utilis erat.

IX. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 378. *respondit:* « Ven. Servus Dei mihi dixit, sibi in Conventu Praemonstratensium in Bruck de mensa struenda curam incubuisse, et occupationibus suis saepe impeditum fuisse, ne orationi, uti cupiebat, instaret. »

XXIV. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 718. *respondit*: « Postquam artem pistoriam didicerat, in Praemonstratensium Conventum Bruck venit, ibique tamquam structor sive famulus privatus Abbatis occasionem invenit frequentandi scholam conventus, et addiscendi linguam latinam. »

§ 19. *Eremiticam vitam in Mühlfrauen amplectitur.*

Et *juxta* 13. *Interr. fol.* 778. *ter. respondit*: « Cum ejus animus ad vitam solitariam vehementer trahi se sentiret, in recessum abiit prope Mühlfrauen: at breve tantum tempus ibi permansit. Spiritus illius temporis huic vitae rationi omnino adversarius fuit, et Imperator Josephus II, lege sua omnes eremitarum cellulas clauserat, unde Ven. Servus Dei eremum derelinquere coactus est. »

I. Testis *juxta* 13. *Interr. fol.* 146. *respondit*: « Audivi Ven. Servum Dei per aliquod tempus prope Mühlfrauen in Moravia vitam duxisse eremiticam; sed particularia de hac re deponenda non habeo. »

§ 20. *Vindobonam venit.*

Et *juxta* 14. *Interr. eodem folio*: « A Mühlfrauen Ven. Servus Dei quantum audivi, Vindobonam se contulit, ibique, juxta narrationem sororum Rosaliae et Josephae Biringer, in officina pistoris, quae posita est in facie Conventus Ursulinarum, tamquam operarius sodalis laboravit. Ulteriora nescio. »

IV. Testis *juxta* 14. *Interr. fol.* 250. *ter. respondit*: « Certum est, Ven. Servum Dei, cum esset pistor operarius, Vindobonae laborasse; sed ubi, non mihi innotuit; nec etiam audivi, quantum temporis hoc modo Vindobonae se occupaverit; puto per annum aut duos annos. Ab eodem Emmanuele Kuntzmann mihi narratum est, se Ven. Servum Dei Vindobona Romam comitatum esse. »

§ 21. *Artem pistoriam exercet.*

XI. Testis *juxta* 14. *Interr. fol.* 378. *respondit*: « Utique scio, Ven. Servum Dei Vindobonae, et quidem in domo dicta ad « pirum ferreum » tamquam pistoris operarium laborasse. Haec domus in regione Conventus nostri sita est, et Ven. Servus Dei, uti mihi dixit, in laboribus suis valde consolatus est, quod ecclesiam vicinam habebat, et Redemptorem suum in divino Sa-

cramento praesentem ex propinquo salutare poterat. Sine dubio jam tunc persaepe in nostram ecclesiam venit. »

XXIV. Testis *juxta* 14. *Interr. fol.* 718. *ter. respondit*: « Ven. Servus Dei Vindobonam se contulit, et iterum artem pistoriam exercuit, quin tamen pietatis exercitia remitteret. Quotidie ecclesiam metropolitanam ad S. Stephanum adiit, et sacerdotibus ad altare servivit. »

§ 22. *Quotidie Missae inservit.*

I. Testis *juxta* 15, 16, 17 *et* 18. *Interr. fol.* 146. *ter. respondit*: « Saepe audivi, Ven. Servum Dei pietatis causa Romam fuisse profectum, annum vero, quo hoc iter instituit, indicare nescio. Nec etiam referre possum, quibus virtutibus exercendis operam dederit, et quantum temporis ibi immoratus fuerit: certum est, eum Roma iterum Vindobonam fuisse reversum. »

Hic tantummodo edicere possum, saepe dictum fuisse, Ven. Servum Dei jam tum vehementer exoptasse, ut sacerdotio initiaretur, ipsum frequenter in ecclesia S. Stephani et in ecclesia Sanctissimi Salvatoris ad altare missis inserviisse, et subsidiis trium sororum factum esse, ut studiis ad recipiendos Ordines sacros necessariis vacare posset. Hae sorores ad talem actum charitatis viri juvenis devota modestia movebantur.

Vix dubitare licet, Ven. Servum Dei, peracto secundo itinere Romano cum socio suo Emmanuele Kuntzmann, Tibur se contulisse, ut ibi vitam eremiticam degerent: constat enim, illum Kuntzmann eodem tempore cum Ven. Servo Dei Tibure vitam eremiticam duxisse. Particularia circa hoc edicere nescio.

§ 23. *Romam profectus prope Tibur vitam eremiticam agit.*

Ven. Servus Dei Tibure non remansit. Semper impulsum se sentiebat, ut sacerdotio initiaretur, et hac de causa dictam eremum reliquit. Hoc quidem saepe audivi, sed certam causam hujus rei indicare nescio. Tibure relicto, Vindobonam venit, et postquam ibidem per breve tempus philosophiae operam dederat, iterum cum suo condiscipulo Thaddaeo Hübl Romam se contulit, ut ibi studiis theologiae vacaret: doctrinae enim sensui Ecclesiae plane contrariae, acatholicae et rationalisticae, quae tunc in cathedris Universitatis Vindobonensis tradebantur, taedio eum affecerant. Alia de hoc puncto referre non possum. »

VI. Testis *juxta* 15. *Interr. fol.* 251. *respondit*; « Ea quae hac de re deponenda habeo, ex annotationibus, quas ego ipse anno millesimo octingentesimo trigesimo mihi feci, verbotenus desumere possum. Omnia autem ex ore fratris Emmanuelis proveniunt. Pater Hofbauer in juventute sua Vindobonae laborabat in arte pistoria, cum desiderium in se sentiret peregrinandi Romam. Haec animi sensa aperuit amicorum uni, nempe Petro Kuntzmann, qui postea nomine Emmanuelis in

Congregatione Sanctissimi Redemptoris frater laicus fuit, et cum Patre Hofbauer omnes augustias et aerumnas passus est. Hi duo probi juvenes per aliquot menses, ut frater Emmanuel narravit, mercedem reposuerunt, ut ita iter Romam instituere possent. Totam viam feliciter pedites perfecerunt salvique Romam venerunt. Devotione ibi peracta et ecclesiis visitatis confortati in fide in patriam redierunt. Sed Hofbauer mundi tumultum diu ferre haud potuit: duobus annis vix elapsis vocatum sese sensit mundo renuntiare. Colloquio iterum habito cum amico Petro Kuntzmann, ambo consilium ceperunt denuo Romam meandi et in Statu pontificio vitam elegendi eremiticam.

Et *juxta* 27. *Interr. fol.* 251. *ter. respondit*: Viguit igitur in corde utrinsque amici, Hofbauer et Kuntzmann, consilium, eligendi in Statu pontificio vitam eremiticam. Sed agebatur de viatico. Hofbauer erat pauper, et itineris sumtus ferre nequibat, Kuntzmann pecuniam quidem habebat repositam, sed nec ista ambobus sufficiebat sustentandis. Ille igitur vendidit plures vestes, inter quas induculam cum aureis vel deauratis globulis, et haud parvâ pecuniae summa inde acquisita omnia ad iter aggrediendum parabantur. Pii juvenes Vindobona abeuntes iter pedites aggressi sunt. Per civitates et pagos, in viis publicis, diu noctuque orabant, et cantica spiritualia cantabant. Mundum jam pedibus calcarant, hilaresque peregrini ad locum destinationis festinarunt. Feliciter Romam ingressi devotionem suam denuo ibi peregerunt. Deinde Tibur se contulerunt, et ab Episcopo Civitatis facultatem eremiticam degendi vitam, et eremiticum habitum petierunt. Episcopus postea Papa, nomine Pius septimus, utrique difficultates eremiticae vitae exposuit, et obligationes explicavit, quas in isto statu subire deberent. Pii juvenes, qui patriam et omnia jam reliquerant, istis difficultatibus haud deterrebantur; animo firmati omnia ex amore Jesu pati. Episcopus perspecta eorum bona voluntate veniam eis dedit in sua dioecesi sedem figendi, et habitu vestitis nemus habitandum assignavit, in quo Sancta Deipara sub titulo « Madonna di Quintiliolo » colitur. Talium eremitarum tum in isto loco sex erant, quorum quilibet parvum habebat hortum, in quo herbas et olera plantabat, quibus vivebant. Transeuntes viatores ab eremitis cellam haud deserentibus invitabantur, ut Beatam Virginem salutarent. Eremitae enim finestram pulsabant, vel salutabant itinerantes, qui nonnunquam terrore percutiebantur, cum regio ista valde esset solitaria et silentiosa; « Chi è » clamabant itinerantes, nescientes, quis pulsaret et salutaret, et eremitae comiter et suaviter re-

sponderunt: « La Madonna di Quintiliolo. » Itinerantes ingressi deinde capellam silvestrem Eremitarum salutarunt Sanctam Deiparam, stipemque eremitis erogarunt, qua sumptus pro capella, et ceteris necessitatibus ferebant.

In isto statu juvenis Hofbauer dimidium fere annum transegit; quo tempore multum orabat et jejunabat. Cognovit autem se a Deo ad hunc statum non fuisse vocatum, sed ad sacerdotium; vocationem vero suam et cordis sensa celavit. Reliquit igitur istum locum, quin sociis suis verbum diceret, et in Germaniam reversus studiis vacare incepit. Hae quoque depositiones veniunt ex annotationibus, quas juxta relationes Emmanuelis Kuntzmann mihi feci. »

§ 24. *Vindobonam reversus studiis vacat.*

Et *juxta* 18. *Interr. fol.* 253. *respondit*: « Hic ex dictis a Fratre Emmanuele Kuntzmann hoc tantum deponere possum, Vindobonae piam viduam omnes expensas solvisse, quibus Hofbauer tum ad se sustentandum, tum propter studia, quibus incubuit, indigebat; transacta vero parte studiorum, iterum patriam dereliquisse, et tertio Romam petiisse, Religionem ibi ingressurum. »

IX. Testis *juxta* 16. *Interr. fol.* 378. *ter. respondit*: « Certum est, Vindobonae matrimonium ipsi fuisse oblatum: invitatus est, ut filiam pistoris ad « pirum ferreum » in matrimonium duceret. Sed hanc invitationem rejecit. Hoc scio ex relatione consanguineorum ejusdem in arte pistoria magistri. »

§ 25. *A piis matronis sustentatur; oblatum matrimonium rejicit.*

Et *juxta* 18. *Interr. ibid. respondit*: « Ven. Servus Dei nobis dixit, ope piae mulieris factum esse, ut studiis vacare posset, quae ad ineundum statum ecclesiasticum necessaria erant. Jam dixi, Ven. Servum Dei eum Thaddaeo Hübl Romam se contulisse. »

VII. Testis *juxta* 15, 16, 17 *et* 18. *Interr. fol.* 298. *ter.*, *respondit*: « De hoc ex ipsius ore tantum scio, Ven. Servum Dei saepius et maxima ex parte pedibus Romam esse profectum. »

« Utique compertum mihi est, Ven. Servum Dei Vindobonae studiis vacasse, ut fieret sacerdos; et tres pias sorores media studiis faciendis necessaria ei procurasse, ut finem posset obtinere. Hoc a Patre Martino Stark, Congñis SSm̃i Redemptoris sacerdote, audivi.

Scio Ven. Servum Dei Tibure fuisse, et per aliquod tempus ibi immoratum esse. Saepe nobis ipse de amoena regione Tiburtina narravit. Non recordor, ipsum nobis finem immorationis suae in illo situ indicasse, sed memoriae meae bene impressa sunt verba sua: « O infantes, si amoenam regionem Tiburtinam novissetis! ibi oratio bene procedit; ibi anima a mundo separatam et Deo penitus unitam se sentit. » De Tibure loquens mente penitus raptus erat.

Ad ea, quae jam dixi, et quae huc referri possunt, sequentia subjungere possum. Praelaudatus Pater Martinus Stark saepe nobis narravit, tres sorores Ven. Servum Dei Vindobonae adjuvisse, ut studiis se dare posset. Has tres sorores modo vere mirabili cognovit. Erat tunc pistoris adjutor, et, ut nunc memini, pulchram piamque consuetudinem habuit ministrandi sacerdotibus in ecclesia metropolitana ad S. Stephanum qualibet Dominica, ad unam vel duas Missas. Eamdem ecclesiam frequentabant etiam tres dictae sorores «Maul», et qualibet vice devotione, quam vir juvenis ministrando ad Missas monstravit, aedificatae fuerunt. Scire cupiebant, quisnam hic vir juvenis esset. Quadam Dominica cum ex ecclesia domum redire vellent, fortis pluvia eas coegit, ut ad portam expectarent usque dum imbres cessassent. Tum vir juvenis, videlicet Ven. Servus Dei, ad illas tres sorores accessit, easque interrogavit, an vellent ut currum venire faceret; cumque id affirmarent, statim currum procuravit. Nunc ipsum invitarunt, ut in eodem curru ipsas comitaretur. Per viam sorores eum interrogaverunt, quis esset, an forte studiis vacaret et sacerdos fieri vellet. « Certe, respondit ille, ab infantia quidem id desiderium meum fuit, sed renuntiandum mihi est, quia ob inopiam studiis vacare non possum. « Tunc tres sorores eum invitaverunt, ut ad ipsas veniat, se eum esse adjuturas, ut studiis vacare posset. Illae tres sorores domum possidebant in interiore parte urbis Vindobonae, in via dicta « Singerstrasse » et domus nomen habet « Faehnrichhof. » Una erat vidua, aliae duae innuptae. Ipsas a visu in ecclesia novi; et felices erant, cum postea concionibus Ven. Servi Dei in ecclesia Ursulinarum assistere possent. »

Ven. Servus Dei cum Patre Martino Stark saepius tres bonas sorores visitavit, easque tamquam a Deo electas particulares benefactrices valde venerabatur. De studiis Ven. Servi Dei Vindobonae factis nihil deponendum habeo; scio vero ipsum Vindobona Romam se contulisse, ibique studia terminasse. »

§ 26. *Eremus Tiburtina describitur.*

XXIV. Testis *juxta* 17. *Interr. fol.* 719. *ter. respondit*: « Cum S. Sedem Apostolicam amore et fidelitate prosequeretur, pluries una cum amico suo Emmanuele Kuntzmann, qui postea tamquam frater laicus cum ipso Varsaviam profectus est, piam peregrinationem Romam instituit. Postquam devotioni suae sanctuaria visitandi satisfecisset, vitae solitariae, quam semper summopere amabat, desiderio impulsus, Tibur se contulit, ibique per aliquod tempus, uti constat, vitam eremiticam duxit. Familiaribus suis saepe narravit, quam laetos dies in illa eremo transegisset. Equidem hanc eremum visitavi. Est ibi valde pulchra ecclesio-

la cum attigua habitatione eremitarum. Ecclesiola B. Mariae Virgini dedicata est, et vulgo dicitur « Madonna di Quintiliolo ». Imago B. Mariae Virginis coronata est, et a populo in magna veneratione habetur. Dicitur « di Quintiliolo » quia fundata est super amplis ruinis villae Quintilii Vari. Hodie adhuc vastissimae substructiones ruinarum conspiciuntur, super quibus nunc olivae plantatae sunt. E loco, ubi parva ecclesia sita est, amoenissimus est prospectus. Ex una parte domus civitatis Tiburis, et in hujus extremitate antiquum templum Sybillarum; proximae sunt magnificae cataractae Anionis; ad tergum vero alti montes, et ex altera parte ager romanus et Civitas princeps Christianorum cum basilica S. Petri, ejusque tholo magnifice eminenti conspiciuntur.

In hac pulchra eremo, ubi natura liberali manu dona sua effudit, pius animus Ven. Servi Dei valde alebatur, et facile intelligitur, ipsum in hac solitudine orando et cum Deo intime conversando vere beatum fuisse. Adhuc post annos saepe de ista commoratione cum summa voluptate locutus est: « O filii, dixit, nescitis quam jucundum ibi fuerit; ibi ex toto corde orare concessum fuit. »

Cum Emũs et Rmũs Card. de Rauscher, qui in juventute sua Patre Hofbauer confessario et duce spirituali usus est, Romae esset, eremum Tiburtinam visitavit, et postquam omnia exacte examinaverat, exclamavit: « Per hanc igitur portam magnus ille vir ingressus et egressus est. » Hoc mihi narravit Rmũs et Illmũs Dñus Riccabona, Episcopus et Princeps Tridentinus, qui erat cum Emõ Cardinali, et novit, de Ven. Servo Dei sermonem fuisse. Hoc refero ad monstrandum, quam altam opinionem et venerationem Emũs Princeps Ecclesiae de Ven. Servo Dei, suo quondam confessario et patre spirituali, habuit. Certe Ven. Servus Dei non erat vocatus ad vitam eremiticam, sed haec vivendi ratio optima praeparatio ad futuram vitam apostolicam ipsi fuit. In solitudine Deus ad cor loquitur, et multi sancti, inspirante Deo, per vitam solitariam ad futuram vocationem apostolicam se praeparaverunt. Commorationi Tiburtinae Ven. Servi Dei annus 1783. assignandus est, ut patet ex sequentibus factis historicis. Secundum librum in Archivo Generali Congñis Romae asservatum, in quo Novitiorum vestitiones et professiones scriptae sunt, Ven. Servus Dei die 24. Octobris anni 1784. Novitius vestitus est. Sed antea Vindobonae studiis vacaverat; id tantummodo anno studiorum videlicet ab anno 1783. in annum 1784. contigisse poterat; nam ex altera parte certum est, Barnabam Chiaramonti, Episcopum Tiburtinum, qui postea

ad Sedem Fori Cornelii translatus est, et tandem assumpto nomine Pii VII. Sedem Pontificiam conscendit, ipsi habitum eremiticum dedisse. Chiaramonti vero die 21. Decembris anni 1782. Episcopus Tiburtinus praeconizatus fuerat, et initio anni 1783. dioecesim gubernandam susceperat. Ex omnibus hisce concludendum est, Ven. Servum Dei per sex circiter menses in dicta eremo commoratum esse. »

Juxta 14. *Interr. fol.* 718. *ter. respondit* : « Interim divina providentia viam ei paravit, qua ardentissimis suis desideriis satisfacere posset; nam a quibusdam foeminis opulentis adjutus, eam in conditionem venit, ut studiis vacare posset. »

§ 27. *Confirmantur dicta* § 25.

Juxta 16. *Interr. fol.* 719. *respondit* : « Uti solitus erat, ecclesiam metropolitanam S. Stephani visitavit, piumque retinuit usum ministrandi sacerdotibus ad altare. Piae sorores, quae pariter ecclesiam frequentabant, pietate juvenis viri aedificatae sunt. Quodam die contigit, ut V. Servus Dei simul cum mulieribus ecclesiam derelinqueret; at cadente magna pluvia, illae sorores infra portam ecclesiae, dubiae quid facerent, consistebant: quod animadvertens Ven. Servus Dei ad petendum currum illis se obtulit. Mulieres valde contentae propositionem acceperunt, currumque ascendentes eum invitaverunt, ut et ipse assideret. Cum igitur simul veherentur, mulieres Ven. Servum Dei de conditione vitae suae explorabant, ipseque sincere fassus est, se quidem ardenter desiderare, ut studiis vacare et sacerdotio initiari posset, sed media ad hunc finem necessaria sibi deesse. Tum illae piae mulieres lubentissimo animo se eum adjuturas esse promiserunt, et deinde omnibus necessariis eum providerunt, ut studiis incumbere posset. Haec scio ex relationibus a P. Doll, P. Pajalich et sororibus Biringer mihi factis. »

Et *juxta* 18. *Interr. fol.* 721. *ter. respondit* : « Ven. Servus Dei Vindobonam rediit philosophiae studia subsidiis piarum trium sororum, de quibus jam supra sermo fuit, absoluturus. Hoc tempore cum Thaddaeo Hübl, pio juvene, familiaritatem iniit sequenti modo. Ven. Servus Dei aliquando ab ecclesia S. Stephani exeundo ad portam chartulam affixam vidit, in qua juvenis quidam habitationem suam indicando ad transcribenda folia se obtulit. Cogitans Ven. Servus Dei juvenem virum esse pauperem litterarum studiosum, statim ejus habitationem adiit, et Thaddaeum Hübl invenit, pauperem quidem sed egregium et ingenii dotibus ornatum adolescentem; subsidium ei promisit, eumque tribus dictis sororibus commendavit, quae exinde etiam Thaddaeum Hübl adjuverunt. Hic Thad-

§ 28. *Cum optimo juvene Thaddaeo Hübl amicitiam init.*

daeus cum Servo Dei Congñem SS. Redemptoris ingressus est, cum ipso Varsaviam venit, et unus ex praestantissimis sacerdotibus Congregationis fuit. Ven. Servus Dei ipsum, propter particularem curam et charitatem, quam erga fratres habuit, semper matrem Congregationis nominabat. Postquam admirabiliter laboravit, Varsaviae obiit cum fama sanctitatis. Omnes ejus mortem luxerunt, maxime vero Ven. Servus Dei. Varsaviensis Episcopus in ejus obitu ordinavit, ut in signum luctus campanae omnium ecclesiarum sonarentur. Cum ipso, ad finem aestatis anni 1784, Romam profectus est. »

III. Testis *juxta* 18. *Interr. fol.* 233. *respondit*: « Circa hoc Interrogatorium alia dicere non possum, nisi quod obscure ante mentem meam versatur, narrari scilicet audivisse, Ven. Servum Dei Vindobonae Professorem philosophiae publice correxisse, cum e cathedra thesim doctrinae Ecclesiae contrariam proponeret. »

(Ex Processu ordinario)

§ 29. *Singula in Proc. Apost. relata confirmantur.*

XXXV. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 662. *ter. respondit* : « Paterna domo sorori Barbarae tradita, ipse venit Znaim ad pistorem Franciscum Dobsch cujus domus numerum fert 70., ut artem pistoriam ibi addisceret; in qua domo hucusque ars exercetur pistoria. Scientiae meae causa est Franciscus Dobsch, nepos adhuc vivens magistri in arte pistoria Francisci Dobsch, annum nunc agens octogesimum septimum. »

I. Testis *juxta* 11. *Interr. fol.* 92. *ter. respondit*; « Hoc solum referre possum, servum Dei placidum fuisse et deditum orationi, matrem caruisse opibus ad studiorum expensa necessariis, ipsumque didicisse artem pistoriam et postea exercuisse in Conventu Bruck, Ordinis Praemonstratensium. »

XII. Testis *juxta* 11. *Interr. fol.* 326. *respondit*: « Pater meus, qui, prout jam adduxi, pistor erat, retulit mihi, Patrem Hofbauer artem pistoriam addidicisse et exercuisse. »

XIX. Testis *juxta* 11. *Interr. fol.* 413. *ter. respondit* : « Audivi, Patrem Clementem usque ad annum decimum quintum aetatis cum matre (pater enim mature decesserat e vivis) in domo paterna fuisse commoratum, et deinde in civitate Znaim apud artificem Matthiam Dobsch pistoriam didicisse artem. Legi scriptum quoddam ab ejus nepte (fratris Hermani filia) compositum, in quo idem memoriae traditur, et additur, cum postea in Conventu Bruck prope Znaim quatuor scholas latinas frequentasse. »

Iterum XXXV. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 662. *ter. re-*

spondit: « Abbate Gregorio Lambeck, cujus imago in Ecclesia ab ipso in Mühlfrauen constructa videtur in udo depicta, eumque virum valde mitem et benignum exhibet, Servus Dei tamquam triclinarius in Praemonstratensium monasterium Bruck venit, ibique studiis suis simul incubuit. Haec scio ex relatione defuncti mei patrui Joannis Schnattinger, qui in eodem monasterio paucis post annis studia sua absolvit et monasterii suppressionem anno 1784. vidit. »

XXIX. Testis *juxta* 11. *Interr. fol.* 580. *respondit*: « De hac quoque re aliud adducere nequeo, nisi audivisse me a Servo Dei, se juvenem in Conventu Bruck prope Znaim, Ordinis Praemonstratensium, commoratum prima ibi latinae linguae jecisse fundamenta. »

XXXV. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 662. *ter. respondit*: « Scio Servum Dei eremiticam etiam vitam degisse in loco Mühlfrauen. Mühlfrauen, ad ripam sinistram fluvii Thayae, dimidiae horae spatio distat a Tasswitz et pulcherrimam possidet ecclesiam a peregrinis frequentatam; imago, quae miraculosa dicitur, Salvatorem exhibet ad columnam ligatum. »

§ 30. *Describitur eremus in Mühlfrauen.*

Multi peregrini ad hoc Sanctuarium concurrunt, praesertim festo septem dolorum Beatae Mariae Virginis. Ecclesia parocho loci subjacet simulque parochialis est ecclesia. Ad dexteram Thayae ripam sylva est, appellata Pölz: in hac Servus Dei sedem suam fixit eremiticam, adjutus a fratre Hermanno in construenda cella eremitica. Peregrinantes ad Sanctuarium Mühlfrauen, visitantes ejus cellam, attulerunt ei commeatum: ipse vero religiosas eis dedit monitiones et parvas cruces distribuit. Hanc relationem accepi a viro fide dignissimo nomine Joseph Hackl, ludi magistro in Mühlfrauen. Hic optime adhuc recordatur, parentes suos (ambos jam defunctos) de eremita nomine Hofbauer a Tasswitz saepius narrasse qui in sylva Pölz degens peregrinantibus in Mühlfrauen pia dedit monita et cruces.

Pater etiam Rezatsch, parochus apud Dominicanos, retulit mihi, sibi anno millesimo octingentesimo decimo septimo locum fuisse monstratum, in quo Servi Dei cella steterat.

Obligatum etiam me reputo hic referre, in Mühlfrauen continuo adhuc narrari de viro gravissimam crucem a sylva Pölz ad sanctuarium Mühlfrauen trahere solito, unde crucem trahentis nomen obtinuit. Hic Pater Hofbauer fuisse creditur, cum nemo de alio eremita aliquid sciat.

Ex litteris supra memoratis Joannis Kollmann, nepotis Caroli Hofbauer, haec possum adducere. « Avus meus Carolus Hofbauer saepius mihi dixit, fratrem suum Clementem in juventute jam fuisse admodum pium et vi-

tam degisse eremiticam; cum parentes absque opibus essent nec haberent, unde studiis vacare posset, insignem foeminam ejus gessisse curam et media suppeditasse ad studia persolvenda, ita ut sacerdos fieri posset. »

XIX. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 414. *respondit*: « Praeter ea quae modo de arte pistoria addiscenda adduxi, adhuc referre possum haec. Neptis Joanna (jam memorata) scriptis tradidit, Clementem Hofbauer prope Mühlfrauen, haud procul a pago Tasswitz, eremiticam cellam sibi parasse a fratre seniore Hermano adjutum. Vitae autem solitariae ibidem mox renuntiare debuit, civili auctoritate illam haud permittente. »

XII. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 326. *respondit*: « Audivi a parentibus meis, Patrem Hofbauer eremiticam quoque degisse vitam. »

XXIX. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 580. *respondit*: « His etiam de factis ex relatione de eo solummodo novi: ipsum per aliquod tempus in Moravia eremiticam degisse vitam, sed huic vitae generi debuisse renuntiare ob prohibitionem a civili auctoritate datam. »

§ 31. *De eremo Tiburtina.*

XIX. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 414. *respondit*: « Bene novi fratrem Emmanuelem Kunzmann mortuum in domo Novitiatus nostri prope Vindobonam, Weinhaus dicta, cum ego jam essem in Collegio nostro ad scalas Marianas. Iste Kunzmann, prout et Pater Hofbauer, artem pistoriam exercebat. Rem notam esse dico, istum Kunzmann cum patre Hofbauer Romam peregrinatum esse, in quo itinere magnas passi sunt aerumnas. Audivisse me etiam memini Patrem Hofbauer cum Emanuele Kunzmann alteram instituisse peregrinationem Romanam ac utrumque eremiticam agendi vitam cepisse consilium. Episcopo Tiburtino sese sistentes veniam petiere, incolendi eremum prope Tibur. Episcopus Barnabas Chiaramonti, Ordinis Sancti Benedicti, postea Pontifex Maximus renuntiatus sub nomine Pii Septimi, onera et officia eremitarum iis exponens consilii suscepti experimentum fecit. Qui cum in proposito constantes permanerent, vestem eis dedit et benedicens eremum eis assignavit. Post aliquod vero temporis spatium Hofbauer voluntate Dei melius cognita, non ad solitariam sed potius ad activam vitam vocatum se esse, nullo verbo de hac re facto Emmanueli Kunzmann, eremum dereliquit, et Vindobonam est reversus. Haec narravit Frater Emmanuel. »

I. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 93. *respondit*: « Scio ex auditu, Servum Dei cum pio quodam pistore, nomine Kunzmann, qui postea conversi habitu in Congñe indutus fuit, Tibure prope Romam eremiticam degisse vitam, sed uti audivi non per integrum annum, cum mox cognovisset, istam non esse suam vocationem. »

X. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 290. *ter. respondit* : « Pater Hofbauer saepius nobis narravit, per aliquod tempus se Tibure esse commoratum, quin tamen hujus commorationis finem nobis indicaret. Ejus vero verba adhuc memoria retineo : « O infantes, si amoenam regionem Tiburtinam novissetis! Ibi tam bene procedebat oratio. »

XXV. Testis, *juxta* 12. *Interr. fol.* 509. *ter. respondit :* « Certum Emmanuelem Kunzmann novi, ac plures cum eo transegi annos, donec anno 1823 in Congñe in Domino obdormivit. Unus erat ex eis Patris Hofbauer discipulis, qui difficillimis in circumstantiis summum amorem et fidelitatem conservarent erga Congñem, ex qua violente ejecti per multos annos in saeculo res ad vitam necessarias quaerere debebant . . . Iste Emmanuel Kunzmann Romam cum Patre Hofbauer migraverat, ac cum eo eremiticam degit vitam Tibure. »

XII. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 326, *ter. respondit* : « A parentibus meis etiam mihi relatum est, Patrem Hofbauer aliquoties iter Romam instituisse, prae caeteris cum amico suo Emmanuele Kunzmann, quem ipsa ego coram noveram. «

XXIX. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 580. *respondit* : « Audivi eum mentionem aliquoties facere eremiticae vitae cum socio austriaco jam demortuo Tibure transactae. »

XIX. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 414. *ter. respondit* : « Post aliquod vero temporis spatium Hofbauer, voluntate Dei melius cognita, non ad solitariam, sed potius ad activam vitam vocatum se esse, nullo verbo de hac re facto Emmanueli Kunzmann, eremum dereliquit et Vindobonam est reversus. Haec narravit Frater Emmanuel. Audivi etiam tres domicellas, cognomine de Maul, prope domum ordinis Teutonici habitantes, Patri Hofbauer succurrisse ad studia persolvenda, quibus Vindobonae vacabat, usque dum Romam proficisceretur. Earum domum saepe cum Patre Passerat et Stark visitavi ; quae omnes senilem nactae aetatem insignes manserunt Congregationis benefactrices.

In carmine a Werner composito in laudem Patris Hofbauer narratur, Patrem Hofbauer legisse schedulam ad Sancti Stephani Ecclesiam affixam, in qua juvenis sese offerebat ad transcribendum. Hofbauer ratus, istum hominem indigere auxilio, quaesivit eum et sic relationem et amicitiam iniit cum Thaddaeo Hübl, quocum postea Hofbauer Romam petiit. »

XXXV. *juxta* 12. *Interr. fol.* 663. *ter. respondit*: « Ex litteris supra memoratis Joannis Kollmann, nepotis

Caroli Hofbauer, haec possum adducere: » Avus meus, Carolus Hofbauer, saepius mihi dixit, fratrem suum Clementem in juventute jam fuisse admodum pium, et vitam degisse eremiticam; cum parentes absque opibus essent, nec haberent unde studiis vacare posset, insignem feminam ejus gessisse curam et media suppeditasse ad studia persolvenda, ita ut sacerdos fieri posset. »

X. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 290. *ter. respondit*: « Pater Hofbauer a tribus sororibus, domum appellatam Fähnriehshof in viculo Singerstrasse possidentibus, quarum una vidua, alterae duae innuptae erant, tam largum accepit adjumentum, ut studiis posset vacare cum intentione sacerdotium recipiendi. Istae tres sorores, cum ob intemperiem quodam die ad Sancti Stephani ecclesiae portam, serenum expectare coactae essent coelum, Pater Hofbauer accedens currum petere se obtulit. Quo accersito ab eis rogatus, ut eas comitaretur in curru, et interrogatus quis esset, et quem statum esset electurus, desiderium sacerdotalem recipiendi ordinem, ipsis aperuit, quod quidem sibi impossibile esset, deficientibus opibus. Istae vero responderunt, si aliud non obest impedimentum, libentissime te adjuvabimus ad finem istum consequendum. Exinde quidquid indigeret ipsi praestabant. »

§ 32. *Summo fervore studiis incumbit.*

V. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 194. *ter. respondit*: « Hic loci deponere possum quod sequitur. Servus Dei mihi dixit: » Quidquid temporis supererat, studiis impendere debebam, ipsas noctes huic applicans fini. Ne somno opprimerer, lumen una et librum altera tenens manu in cubiculo deambulavi, ita somnum excussurus, et tempus lucraturus. »

Num. 5. *De ingressu Servi Dei in Congregationem SSmi Redemptoris et de susceptione sacrorum ordinum.*

Fides vestitionis et professionis S. D. in Congregatione Sanctissimi Redemptoris *Proces. fol.* 887. = Don Clemente Hofbauer di Tassvitz nella Moravia nato li ventisei Dicembre millesettecento cinquantuno, entrò nel Noviziato li ventiquattro Ottobre millesettecento ottantaquattro, e fu vestito dal Padre Don Giuseppe Landi Maestro de' Novizj, nel Collegio di San Giuliano di Roma.

§ 1. *Fides vestitionis et professionis religiosae.*

Don Clemente Hofbauer fece la sua professione in mano del Reverendissimo Padre Superior Generale Don Francesco di Paola nel Collegio di Roma li diecinove Marzo millesettecento ottantacinque colla condizione di dover seguitare il restante del Noviziato. =

Ita reperitur in registro originali Vestitionis et Professionis Novitiorum Congregationis Sanctissimi Redemptoris adservato Romae in Archivio nostro Generali, cum quo praesens copia collata plene et ad verbum

concordat. In quorum fidem etc. Datum Romae in Collegio nostro ad Sanctissimum Redemptorem et in honorem Sancti Alphonsi die decima quinta Junii anni millesimi octingentesimi sexagesimi quarti.

Nicolaus Mauron, Congregationis Sanctissimi Redemptoris Superior Generalis et Rector Major.

(Ex Processu Apostolico)

VII. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 300. *respondit*: « Ven. Servus Dei ipse nobis narravit, se cum amico suo Thaddaeo Hübl Romam profectum esse. Ibi cum advenissent, inter se statuerunt, ut altero die proximo in eam ecclesiam se conferrent, ex qua primum signum campanae audirent. Et revera, eam ecclesiam ingressi sunt, in qua altero mane primo campanae sonabantur. Interrogabant ibi, quinam essent sacerdotes ad quos ecclesia spectat; cumque audirent, sacerdotes esse Congregationis SSmi Redemptoris, Ven. Servus Dei impulsum se sentiebat adire Superiorem Domus et petere, ut admitterentur. »

§ 2. *Romae Congregationem SS. Redemptoris ingressus est.*

I. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 147. *ter. respondit*: « Circa hoc Interrogatorium sequentia dicere possum. Est res notoria, Patrem Hofbauer Romae Novitiatum Congregationis ingressum fuisse; eamdem vocationem etiam Thaddaeo Hübl, socio itineris et studiorum, nato Cermnae, dioecesis Regino-Hradensis in Bohemia, qui eum postea in propaganda Congregatione plurimum adjuvit, fervidis orationibus obtinuit. »

IV. Testis *juxta* 19. *et* 20. *Interr. fol.* 253. *ter. respondit*: « Romae Hofbauer Dominum rogavit, ut statum sibi indicaret, in quo ei serviret. Romae ecclesias Religiosorum visitavit, et ubique exploravit, in quo Ordine observantia regularis cum omni rigore vigeret. Invenit tandem Congregationem SSmi Redemptoris summe florentem, cujus sanctus Fundator adhuc vivebat, et erat moderator. In eam ut susciperetur petiit, et quod petierat obtinuit; et sic omnia desideria Ven. Servi Dei adimpleta erant. Quae hic dixi, pariter ab Emmanuele Kunzmann audivi.

§ 3. *Novitius mortificatione sui ipsius enituit.*

Ex fonte modo indicato (at certo nescio an non Pater Putz, Congregationis SSmi Redemptoris sacerdos sequens factum mihi narraverit) id quod sequitur referre possum. Ven. Servus Dei adhuc tyro severus erat erga seipsum et heroicae mortificationis. Vitam degit adeo piam, ut ab omnibus Congregatis magni haberetur. Accidit, ut plures Congregationes Novitii multo plus aequo commoditati indulgentes, pro qualibet deambulatione lintea parata et similia secum portare vellent. Magister novitiorum, cum juvenibus suaviter

agens, eisque aegre aliquid denegans, hoc illis vitium indulsit; unde factum est, ut pro qualibet deambulatione non pauca praeparanda essent. Quodam die calidissimo, cum tyrones deambulatum deducendi res desideratas omni cum sollicitudine praepararent, fervens Hofbauer id silenter diutius ferre haud valens, Magistrum adiit dicens: « Reverende Pater, ecce quomodo hic sto, unico indusio, una veste, his braccis, pileo et baculo iter feci quadringentarum leucarum, sanitatis detrimentum haud passus, et hic loci pro deambulatione duarum leucarum tantae sunt semper faciendae praeparationes! » Ex eo tempore omnes tyrones zelum Ven. Servi Dei timebant, qui omnibus in rebus erat exemplo. »

§ 4. *Mirabiles circumstantiae in receptione Ven. S. D.*

IX. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 378. *ter. respondit*: « Ven. Servus Dei in Novitiatum Congregationis SSmi Redemptoris receptus est. De circumstantiis receptionis sequentia ex ore Ven. Servi Dei referre possum. Ven. Servus Dei ejusque amicus Thaddaeus Hübl, postquam Romam pervenerant, inter se constituerunt, ut altero mane illam ecclesiam primo mane visitarent, ex qua primo sonum campanarum audirent. Adierunt igitur ecclesiam, in qua sacerdotes officia chori persolventes invenerunt.

Tum Ven. Servus Dei puerum ecclesiae inservientem interrogavit, quinam hi sacerdotes essent, et responsum accepit: « Sunt sacerdotes Congñis SSmi Redemptoris, et tu quoque unus ex illis eris. » Haec verba Ven. Servum Dei ita commoverunt, ut tamquam signum a Deo datum ea recognosceret; unde eodem adhuc die Superiorem Congñis adiit, et petiit ut admitteretur, quod etiam obtinuit. Sed Thaddaeus Hübl hoc consilium tam repentine captum minime probavit, et multa eidem opposuit. Ven. Servus Dei, cui valde cordi erat, ut etiam Thaddaeus Hübl admitteretur, ad preces refugit: per totam noctem, ut mihi dixit, preces fundebat, et sequenti mane amicus Hübl ei dixit, se quoque consilium ingrediendi Congregationem cepisse. »

§ 5. *Novitiatum apud S. Julianum in Exquiliis peregit.*

III. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 233. *respondit*: « In domo paterna audivi, Ven. Servum Dei et Hübl inter se ita convenisse, ut eam ecclesiam adire vellent, ex qua primo signum campanae audirent; voluerunt enim in illa ecclesia preces fundere, ut a Spiritu sancto circa electionem status illuminarentur. Memini quoque, illos eodem adhuc mane petiisse, ut in Congregationem SSmi Redemptoris reciperentur. Dicere hic volo, persuasum mihi esse, relationes a parentibus mihi factas plenam fidem mereri; postquam enim in Ecclesiam catholicam recepti sunt, tenera pietate erant animati. »

XXIV. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 722. *respondit*: « Eo tempore Congregatio SSmi Redemptoris ecclesiam et domum ad S. Julianum in Exquiliis possidebat, eamque pro novitiatu adaptaverat. Ven. Servum Dei cum socio suo in illa regione habitasse, tenendum est. Ven. Servus Dei amico suo Hübl

dixit: « Cras primo mane in illam ecclesiam ibimus, unde primum signum campanae sonare audiverimus »; unde cum primo mane campanulam S. Juliani sonare et communitatem ad orationem vocare sentirent, Ven. Servus Dei cum amico suo Hübl eo passus suos dirigebat. Ad ecclesiae fores puerum interrogavit, quinam religiosi ibi habitarent. « Sunt, respondit ille, sacerdotes Congregationis SSmi Redemptoris; et tu quoque unus ex illis eris. » Credidit Ven. Servus Dei se sentire vocem internam dicentem: « Hic te Deus habere vult »; petiit recipi et admissus est. Attamen Hübl, ejus amicus et socius itineris, non erat ejusdem consilii; imo acriter de consilio V. S. D. conquestus est.

Sed Servus Dei fere per totam noctem pro amico suo preces fudit, et altero mane, cum ambo Basilicam S. Mariae Majoris visitarent, Deus ipsum consolatus est; nam etiam Hübl Congregationi SSmi Redemptoris nomen dare decrevit. Hasce circumstantias a P. Doll, quo magistro novitiorum usus sum, excepi, qui illas manifeste ex ore Ven. Servi Dei audivit. »

§ 6. *P. Landi, socio S. Alphonsi, magistro usus est: S. Fundator de Germanorum ingressu gavisus est.*

Et *juxta* 20. *Interr. fol.* 723. *respondit*: « In Novitiatu Ven. Servus Dei Josepho Landi, uno ex primis discipulis S. Alphonsi, magistro usus est, et sic certissime Ven. Servus Dei spiritum S. Fundatoris suscepit. De facto adeo in virtutibus progressus est, ut dignus reputaretur, qui die 19. Martii anni 1785. vota nuncuparet. Eo tempore S. Fundator Alphonsus adhuc inter vivos agebat, et de ingressu duorum juvenum germanicorum valde gavisus, spiritu prophetico magnos fructus sacrae illorum industriae praevidit, et praesertim fore, ut per istos juvenes germanicos Congregatio per regiones septentrionales propagaretur.

Uti mihi P. Doll, quo olim magistro novitiorum usus sum, narravit, Ven. Servus Dei in Novitiatu occasionem se fortiter mortificandi habuit: cum enim robustae constitutionis esset, majore cibo indigebat, quam novitiis concedebatur. Ad ejus fenestram vitis in altum creverat, et subridendo narravit, quantam sibi vim inferret, ne ad mitigandam famem uvam decerperet. »

§ 7. *Absolutis studiis Sacerdotio initiatus est.*

Et *juxta* 21. *et* 22. *Interr. fol.* 723. *ter. respondit*: « Scio tantum, Ven. Servum Dei studia theologica in Collegio Frusinonensi absolvisse, et praesumendum est, ipsum pietate excelluisse, quia jam post annum ab emissione votorum elapsum sacerdotio initiatus, imo a Superioribus suis commendatus, a S. Congregatione de propaganda fide fere immediate post receptum sacerdotii ordinem tamquam Superior Missionis in Russiam missus est. Quicumque vitam religiosam pernoscit, facile inde intelligit, ipsum tum Novitium, tum Professum zelo satisfaciendi obligationibus Religionis se singulariter distinxisse.

De hoc id tantum referre possum, credendum esse, Ven. Servum Dei verno tempore anni 1786. sacerdotio fuisse initiatum, cum jam autumno ejusdem anni in Russiam missus sit. »

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 148. *respondit*: « Circa diem quo Ven. Servus Dei sacerdotio initiatus est, nihil edicere possum; tantummodo Patrem Passerat, qui fuit Vicarius Generalis Congñis Austriacae et Servi Dei proximus successor, narrantem audivi, Patrem Hofbauer ab ordinatione redeuntem ex mandato Patris Rectoris ad mensam ministrasse, Patrem Hübl vero legisse. Pater Hübl in epistola, ad Rectorem Majorem tunc temporis Congñis data et in Archivo romano conservata, refert, utrumque Patrem, Hofbauer et Hübl, ad titulum mensae communis fuisse ordinatum. Si Ven. Servus Dei anno 1786. sacerdos ordinatus est (quod ex Actis in Congregatione existentibus sufficienter probatur) tempore ordinationis annum trigesimum quintum aetatis suae agebat, cum die 26. Decembris anni 1751. natus fuerit. Novissimis hisce diebus aliquibus persuasum est, Patrem Hofbauer die 29 Martii sacerdotio fuisse initiatum; sed particularia referre non possum. »

IV. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 251. *ter. respondit*: « Ab Emmanuele Kuntzmann audivisse mihi videor, Ven. Servum Dei finito novitiatu absolvisse studia theologica, et sacerdotio fuisse initiatum. »

(Ex Processu Ordinario).

I. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 93. *respondit*: « Ex auditu novi (ignoro autem unde) Servum Dei cum suo amico Hübl, viro bonae indolis, Vindobona instituisse iter Romam ibique nomen dedisse Congregationi Sanctissimi Redemptoris. Ingressus hujus causa fuit quae sequitur. Post adventum in Urbe audito aliquando primo mane sonitu campanarum alicujus ecclesiae, inductus est ad eam visitandam inventisque ibi Patribus Congregationis Sanctissimi Redemptoris consilium petendae admissionis cepit.

Et juxta 13. *Interrog. fol. eod. ter. respondit*: « Scio ex auditu (unde ignoro) eum in tyrocinio omnibus fuisse exemplo; item scio (et probabilius ex Patris Hofbauer ore) Sanctum Congregationis Fundatorem ob duorum Germanorum (Hofbauer et Hübl) ingressum summo affectum gaudio edixisse, eos multa bona operaturos et Congregationem propagaturos.

§ 8.
In tyrocinio fuit omnibus exemplo, deque eo S. Alphonsus optime est ominatus.

In eadem domo Romae probabilissime commoratus est usque dum in Curlandiam proficisceretur, quo a Congregatioue propagandae fidei missus est.

§ 9.
Confirmantur, quae in Proc. Apost. habentur.

Et juxta 14. *Interrog. Proc. fol.* 94. *respondit*: « Scio, Patrem Hofbauer finito probationis anno sacerdotio fuisse initiatum in Congregatione. »

II. Testis *juxta* 12. *Interrog. Proc. fol.* 138, *ter. respondit*: » Scio solum ex auditu (probabiliter a Patre Martino Stark) Romae in ecclesia Sancti Juliani puerum sciscitanti illi, quinam essent isti sacerdotes, respondisse: « Sono della Congrega-

zione del Santissimo Redentore, ed anche voi sarete uno di essi ». Quo facto in suscepto consilio confortatus ingressus est Congregationem Sanctissimi Redemptoris. »

XIX. Testis *juxta* 12. *Interrog. Proc. fol.* 415. *respondit*: « Amicitiam iniit (S. D.) cum Thaddaeo Hübl, quocum postea Hofbauer Romam petiit, et cum ibi advenissent, inter se convenerunt, sequenti mane eam se adituros ecclesiam, cuius campanarum sonitum primum audiissent. Quo signo audito ab ecclesia Sancti Juliani eas intravere aedes. Clementi Hofbauer puerum ad portam consistentem interroganti, quinam essent isti Sacerdotes, quorum devotione attractus fuerat, responsum fuit: « Sacerdotes sunt Congregationis Sanctissimi Redemptoris, et tu unus ex eis eris ». His verbis divini oraculi loco habitis Superiorem domus adiit, de hac religiosa societate peculiariter edoceri petens. Quas expositiones cum habuisset a Superiore, Patre Landi, ut eidem Societati adjungeretur flagitavit. Thaddaeo Hübl autem huic consilio non illico consentiente, Servus Dei instanter eandem a Deo petiit gratiam pro socio, et reapse sequenti die socius ei exposuit, se quoque Congregationi nomen daturum. »

Et juxta 14. *Interrog. fol. eod. ter. respondit*: « Patrem Hofbauer jam anno 1786 sacerdotio initiatum fuisse apparet ex literis datis ad ludi magistrum urbis Retz, Joannem Baptistam Berger, quas hic trado, quasque accepi ego ipse ab uxore ejus, ad quem directae erant.

Et juxta 15. *Interrog. fol.* 416. *respondit*: « Notum est in nostra Congregatione, studia theologica eum in Congregatione absolvisse. »

XXV. Testis *juxta* 12. *Interrog. fol.* 510. *respondit*: « Res est notoria, Patrem Hofbauer cum quodam Hübl Romae in domo, quae Congregationi tunc erat ad Sanctum Julianum, receptionem petiisse et obtinuisse ibique etiam tyrocinium peregisse. Cum reciperetur, triginta aetatis annos amplius natus fuisse videtur, eumque in eligendo statu religiose processisse ex ea jam liquet circumstantia, quod traditione perhibente nuptias valde commodas recusaverat, ut sacrae militiae sese manciparet, et Romam se contulit theologicis ibi studiis incumbendi ergo, spiritu Vindobonensis Universitatis parum contentus.

Et juxta 14. *Interrog. Proc. fol. eod. ter. respondit*: « Quod ego sciam, Pater Hofbauer anno 1786. ab Episcopo Verulano sacerdotio est insignitus, quod saepissime a Congregatis audivi, opinor etiam, eum Veruli ordinem suscepisse, fuisse dictum. »

Et juxta 15. *Interrog. Proc. fol. eod. ter. respondit*: » Servus Dei studia theologica in religiosa domo Frusinonensi ditionis Pontificiae absolvit, prout Congregationis nostrae testatur traditio. »

§ 10. *Summopere dilexit*

XXVI. Testis *juxta* 12. *Interr. fol.* 535. *respondit*: « Pater Hofbauer, ut omnes norunt, Romae ingressus est Congregatio-

nem Sanctissimi Redemptoris. Summo semper cum amore, prout ego ipse ab eo audivi, loquebatur de Patribus Italicis Congregationis Romae, et sic etiam in me amorem accendit erga Sanctum Alphonsum eiusque Congregationem.

S. Fundatorem et socios Congregationis cui nomen dederat.

Ingressus in Congregationem accidit sub generalatu Rectoris Majoris Francisci de Paula, qui a Papa et a Sancto Fundatore uti talis erat agnitus. Hoc scio ex diversis actis (Tannoja et aliis).

Et juxta 13. *Interrog. Proc. fol. eod. ter. respondit*: » Noveram senem Patrem Congregationis Neapoli, celebrem Missionarium Altarelli, qui simul cum Patre Hofbauer in ditione Romana vixerat. Hic maximo cum amore et veneratione loquebatur de Patre Hofbauer. Argumentum sanctae vitae Patris Hofbauer, dum primum versaretur in domibus Romanis, in eo etiam invenio, quod Sanctus Alphonsus prophetice dissereret, magna eum pro ecclesia effecturum, quem in finem sanctam suam ei dedit benedictionem.

§ 11. *S. Alphonsus optima praesagiebat de Servo Dei.*

In actis processus Canonizationis Sancti Fundatoris idem testatur Pater Volpicelli. »

Et juxta 14. *Interrog. Proc. fol.* 536. *respondit*: « Ex documentis repertis scio, Patrem Hofbauer anno 1786. sacerdotio fuisse initiatum; ordinatus est ab episcopo dioeceseos, in qua domus religiosa Frusinonensis sita est. Ego ipse fui Frusinone. »

Et juxta 15. *Interrog. Proc. fol. eod. respondit*: « Quod recordor, praefatus Pater Altarelli cum eo Frusinone studia theologica absolvit. »

Et juxta 16. *Interrog. Proc. fol. eod. respondit*: « Quod recordor, Servus Dei Frusinone etiam primum Missae sacrificium obtulit. »

Et juxta 22. *Interrog. Proc. fol.* 546. « Nunc impleta sunt, quae Sanctus Alphonsus in una epistolarum suarum scribit: « Congregatio nunquam erit Congregatio, nisi extra Neapolitanum regnum fuerit fundata », ubi obstacula insuperabilia eidem opponebantur. Ideo Sanctus Alphonsus tantopere de ingressu Patris Hofbauer gavisus prophetice edixit, quanta bona is esset perfecturus. In Neapolitano regno Congregatio non existit amplius; sed ejusdem continuatio, opus et meritum Patris Hofbauer, fidelis filii Sancti Alphonsi, existit, et domus generalitia Romae posita est prope Sancti Juliani ecclesiam, ubi Pater Hofbauer tyrocinium peregit et vota nuncupavit. Pater Hofbauer ideo valentissimus Sancti Alphonsi cooperarius considerari potest, quem Deus certe intercedentibus Sancti Alphonsi precibus Congregationi adjunxit. »

§ 12. *Opus S. Alphonsi a Servo Dei continuatum est.*

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis, *juxta* 23. *Interr. fol.* 150. *ter. respondit*: « Generaliter in Congregatione nostra notum est, Ven. Servum Dei, postquam sacerdos ordinatus fuit, et quidem elapsis paucis

Num. 6. *De laboribus apostolicis V. Servi Dei.*

tantum mensibus in regiones septentrionales se contulisse, ut missionibus operam daret. Ex vita S. Alphonsi, a Patre Tannoja scripta, mihi compertum est, Patrem Hofbauer jam in novitiatu desiderium manifestasse, Congregationem in regiones septentrionales propagandi, et S. Alphonsum id audientem valde gavisum esse, et praedixisse, id de facto eventurum esse. Insuper ex traditione in nostra Congregatione vigenti mihi constat, Superiores Patrem Hofbauer tamquam praesidem una cum Patre Hübl in Curlandiam, Russiae provinciam, ad instituendas Missiones mandasse, eisque iter facientibus Fratrem Emmanuelem Kuntzmann se adjunxisse. Cum vero Varsaviae Nuntio Apostolico se sisterent, hic eos retinuit, quia Germanis Varsaviae degentibus sacerdotes eorum linguam probe noscentes deerant. Ecclesia S. Bennonis ipsis assignata fuit. »

§ 1. *Sacerdotio auctus Ven. S. D. in Curlandiam mittitur.*

§ 2. *Varsaviae a Nuntio Apostolico retinetur.*

Juxta 24. *Interr. fol.* 151. *ter. respondit*: « Circa sacram industriam, quam Venerabilis Servus Dei jam ultimo decennio saeculi elapsi Varsaviae adoperatus est, ex ore testis oculati adhuc viventis haec offerre possum, (est autem hic Testis Joannes Brunner, vitam privatam degens, antea mercator, jam annum octogesimum quintum aetatis suae agens). Venerabilis Pater Clemens Hofbauer anno millesimo septingentesimo nonagesimo quinto quatuor pueros ex Tassovico et locis vicinis Varsaviam conduxit, in literis eos instructurus. Inter illos pueros fuit praedictus Joannes Brunner, qui Vindobonae in Suburbio » Sanctae Mariae auxiliatricis « habitat. Et hic quidem mihi narravit, in ecclesia Sancti Bennonis multum adlaboratum fuisse in honorem Dei et salutem animarum procurandam. Quotidie conciones in lingua germanica et polonica habebantur, et benedictio eucharistica impartita est. Ecclesia per totum diem aperta, et semper populo plena fuit. Plurimi protestantes et hebraei ad fidem conversi sunt. Praeterea etiam gymnasium ibi erectum fuit, ut juvenes statui ecclesiastico et Congregationi efformarentur: exteri quoque pueri scholas adierunt. Narrat autem Joannes Brunner, se tribus annis ibi in studio peractis cum tribus condiscipulis ex regione Znaim oriundis a potestate publica in patriam reductos esse. Ex quo videri licet, quam graves difficultates in propaganda Congregatione Pater Hofbauer jam eo tempore sustinuit. Cum Brunner adhuc valde juvenis esset, multa non percepit aut quae percepit, propter gravem aetatem ipsius memoriae elapsa sunt. De aliis rebus, quas Venerabilis Servus Dei eo tempore suscepit, ex variis scriptis relationibus et ex iis, quae ex ore Patris Czech, sacerdotis Congregationis nostrae percepi, haec adhuc dicere possum. Venerabilis Servus Dei Varsavia plura itinera in Germaniam suscepit, tum ut juvenes colligeret et studiis excoleret, tum ut novas domos fundaret. Anno millesimo septingentesimo nonagesimo quinto cum quatuor pueris,

§ 3. *Summo zelo Varsaviae saluti animarum incubuit.*

§ 4. *Ad propagandam Congregationem varia itinera suscepit.*

sicut Brunner enarrat, Varsaviam profectus est. Anno millesimo septingentesimo nonagesimo septimo iterum in Germania fuit, et in Nicolsburg (castro Sancti Nicolai) in libro Missarum Patrum Piarum scholarum (idest in elencho Sacerdotum, qui ibidem Missam celebrarunt), mense Julio inscriptus est. Deinde anno millesimo octingentesimo secundo in Thabor Brisgoviae profectus est. Inde cum Sabelli, Francisco Hofbauer et Casimiro Langanski in Italiam profectus est, et fecit, ut dicti tres Clerici in Civitate Fulginatensi Sacerdotio initiarentur. Postquam cum Patre Hübl Romam et Neapolim visitaverat, versus finem Octobris in montem Thabor prope Schaffhusium rediit. Deinde domum Tribergii in Silva nigra accepit; anno vero millesimo octingentesimo quinto propter continuas vexationes ex parte Vicarii Generalis Dioecesis Constantiensis, famosi Baronis de Wessenberg, eam iterum dereliquit.

§ 5.

In Germania domos in Thabor et Triberg, demum in Babenhausen erexit, quas tamen derelinquere coactus est.

Quod ad fundationem Congregationis in Thabor, in territorio Principis Schwarzenberg spectat, per Patrem Czech compertum mihi est, Patrem Hofbauer anno millesimo octingentesimo tertio Patrem Passerat tamquam Superiorem cum nonnullis aliis Congregatis eo misisse, cumque ibi plurimum occuparentur, Venerabilis Servus Dei in auxilium eis venit. Ejus zelus Apostolicus per famam longe lateque innotuit, unde factum est, ut cives Tribergii Sanctuarium apud illos existens ei offerrent. Pater Hofbauer invitationem cum gaudio excepit, et ut ita dicam ictu oculorum extraordinariam immutationem effecit. In articulo quodam egregio circa Sanctuarium Tribergiense, qui legitur in foliis historico-politicis anni millesimi octingentesimi quinquagesimi octavi habentur literae Gubernii Archiducis Ferdinandi Atestini ad Ordinariatum Constantiensem, in quibus dicitur, illos paucos sacerdotes, quibus cura Sanctuarii commissa erat, morum pravitate scandalum dedisse commune, et propter novitates in peragendo divino cultu introductas, apud populum de haeresi fuisse suspectos. Cum igitur Venerabilis Servus Dei cum plenitudine fidei Verbum Dei praedicare inciperet, devotionem erga Beatissimam Virginem, recitationem Sancti Rosarii et frequentem usum Sacramentorum commendaret, populus fidelis in ipso ejusque discipulis statim veros sacerdotes Sanctae Ecclesiae recognovit, eisque plenissimam fidem praestitit. Sed eo ipso irritati sunt innovatores, quorum multi inter viros ecclesiasticos fuerunt, maxime vero Vicarius Generalis de Wessenberg, qui in suis susceptis innovationibus perturbatum et impeditum se videbat. Ex literis confidentibus dicti viri, ad quemdam inspectorem superiorem scholarum (putant folia historico-politica, utrumque, Wessenberg videlicet ejusque amicum sectae Illuminatorum fuisse addictos) patet, quo odio dictos Patres persecutus fuerit. Wessenberg omni modo eos persecutus est: aliquos neo-ordinatos suspensione punivit, quia a Nun-

tio Apostolico Helvetiae (Testaferrata) sacros ordines susceperant, alios rigoroso examini pro cura subjecit, et examinati sunt etiam circa leges civiles. Cum examinatores novatorum amici essent, et opinionibus et studiis Vicarii Generalis adhaererent, mirandum non est, si Patres examinatoribus non satisfaciebant. Inde eis ablata fuit jurisdictio cum magno moerore populi, ut dictae litterae gubernii attestantur. Cum paulo post Tribergium magno Ducatui Badensi uniretur, Tribergenses cives deputatos in urbem « Carlsruhe » miserunt, qui peterent, ut Missionarii remanere possent; sed frustra: gubernium protestanticum convenerat cum Wessenberg, et sic Venerabili Servo Dei nihil supererat, nisi locum relinquere, et inde cum patribus suis Babenhusii sedem fixit.

Addo, Venerabilem Servum Dei Tribergii duodecim pueros collegisse, ut ex iis Congregationis membra efformaret; at vero unus tantum eum abeuntem secutus est, Pater Kaltenbach, qui adhuc in provincia Gallica vivit. Deinde Venerabilis Servus Dei anno 1805. iterum Varsaviam rediit.

§ 6. *In Galliam et Italiam profectus est.*

Juxta 53. *Interr. fol.* 214. *ter. respondit*: « Haec autem adnotanda mihi videntur. Sicut Pater Czech in Collegio nostro narravit, Ven. Servus Dei anno 1803, antequam in Italiam proficisceretur, a Thabor cum Patre Passerat iter in Galliam instituit, et quidem in Joinville, Campaniae urbem, patriam Patris Passerat. Uxor ducis Angoulême, filia Ludovici XVI, quae cum Ludovico XVIII. in Curlandia vixit, ibique Congregationem cognoverat, Patri Passerat spem fecisse dicitur, Congñem in Gallia erigi posse. Sed Ven. Servus Dei per breve tantum tempus ibi commoratus est: nam statim sibi persuasit, tempus fundationi Collegii in Gallia opportunum nondum venisse. Unde cum Patre Passerat in Italiam rediit. Hoc iter ambo in habitu laicorum majoris securitatis causa fecerunt. »

§ 7. *Titulo Vicarii Generalis ornatus Congregationem gubernavit.*

Juxta 25. *Interr. fol.* 154. *ter. respondit*: « In Congñe nostra omnibus notum est, Ven. Servum Dei Varsaviae Congregationis nostrae domum erexisse. In ea, quantum scio, circa viginti sacerdotes vivebant. Quantum Missionarii isti laboraverint, jam memoravi. Adjungo, Ven. Servum Dei ibidem etiam domum ad educandos orphanos fundasse. Sacra industria dictorum sacerdotum uberrimos produxit fructus, sicut jam dixi. Collegio Congregationis Pater Hofbauer tamquam Rector praefuit. In principio erat Superior, tum Rector factus est, et hoc officium obtinuit, usque dum Vicarius Generalis extra Italiam nominatus est. Circa modum, quo Ven. Servus Dei Collegio praesidebat, nihil mihi innotuit, sed plane persuasum mihi est, ipsum Collegium modo valde digno et proficuo gubernasse. »

Juxta 26. *Interr. fol.* 155. *respondit*: « Uti jam indicavi, certum est, Ven. Servum Dei officium Vicarii Generalis pro regionibus septentrionalibus exercuisse, ipsique in hunc finem

a Rectore Majore amplissimas facultates fuisse concessas. Hoc officio usque ad expulsionem suam et suppressionem Collegii Varsaviensis perfunctus est. Quantum Ven. Servus Dei adlaboraverit, ut extra Varsaviam etiam Congregationem propagaret, et ubique in pluribus terris Europae Missionarii munus exerceret, ac quam felices successus laboribus suis obtinuerit, ad Interrogatorium modo praecedens edixi. »

Juxta 27. *Interr. fol.* 155. *ter. respondit*: « Certum est, Ven. Servum Dei suppressionis Collegii Varsaviensis nullam culpam habuisse. Sacrum ejus ministerium et praesertim sacra industria totius Collegii, cujus membra ubique ad propagationem fidei catholicae et ad christianam pietatem promovendam omnes vires intendebant, inimicis christianae religionis summopere displicebant, unde operam dabant, ut istis felicibus successibus causae Dei expulsione Congregationis finem penitus ponerent. Aliqui ex sacerdotibus expulsis in Polonia remanserunt, ii scilicet qui in Polonia nati fuerant; ceteri extra regnum missi, et maxima ex parte in patriam reversi sunt. »

Et *juxta* 28. *Interr. eod. fol. respondit*: « Generaliter in Congregatione nostra notum est, Ven. Servum Dei Varsavia expulsum in arce Küstrin in Borussia per plures hebdomadas detentum fuisse. Eadem sors pluribus ex suis sacerdotibus contigit. »

§ 8. *Rigenti hieme Germaniam et Poloniam petiit.*

IV. Testis *juxta* 23. *Interr. fol.* 254. *ter. respondit*: « Ven. Servus Dei sacerdos vix ordinatus magnum iniit consilium Congregationem suam in Germaniam transferendi, prout sanctus Fundator praedixerat. Venia ad hoc impetrata, et necessariis instructus facultatibus, cum socio Hübl in Germaniam profectus est. Hoc quoque ab Emmanuele Kuntzmann audivi. »

Juxta 24. *Interr. fol.* 255. *respondit*: « Certum est, Ven. Servum Dei Varsaviam se contulisse, ibique Missionarii officia exercuisse. Ex ore saepius adducti Emmanuelis Kuntzmann circa hanc rem sequentia referre possum. Erat eo anno hiems valde rigida, cum in itinere Poloniam versus haec res mira accidit. Ven. Servus Dei Danubium trajecturus eremitam vidit pauperrime vestitum idemque flumen trajecturum, eique appropinquans cognovit amicum suum antiquum, Petrum Kuntzmann, peregrinantem Coloniam Ubiorum ad Tres sanctos Magos. Ineffabilis erat laetitia, qua isti duo pii viri sese denuo videntes afficiebantur. Ven. Servus Dei se sacerdotem jam esse illi annuntiavit, et Emmanuel Kuntzmann sacram ab ejus manibus accepit benedictionem. Communicatis inter se invicem propositis, Pater Hofbauer Emmanueli persuasit, ut secum Poloniam peteret, ubi Congregatio SSmi Redemptoris esset instituenda. Emmanuel dato consensu a Ven. Servo Dei illico in Congregationem susceptus est. »

§ 9. *Emmanuelem Kuntzmann sibi socium adscivit.*

13

Juxta 25. *Interr. fol.* 255. *ter. respondit*: « Circa hoc Interrogatorium ex relatis mihi ab Emmanuele Kuntzmann sequentia referre possum. Hofbauer et Kuntzmann Varsaviam profecti, subito monasticam vitam degere coeperunt, quamvis post adventum omnes eorum opes ad tres thaleros essent reductae, qui paulo post erant consumpti. Kuntzmann herbas tantum coquendi antea peritus, coquus factus est, et confecit ligneum cochlear, parum supellectilis culinariae a bonis hominibus commodans. Ven. Servus Dei, erecta ibi domo Congregationis suae cum uberibus fructibus laboravit, et mala multa sustinuit. Infantes suscepit educandos, quorum numerus centum quandoque superabat; eos in ecclesiam ducebat, et coram imagine Sanctae Deiparae hanc recitabat oratiunculam: « Mater mea, Mater mea, si tu pro me intercedis, certe salvabor. » Ipse praecinebat quotidie infantibus sequens canticum (quod se ipso impedito per alium fieri curabat):

§ 10. *Varsaviam deveniens pueros educandos suscepit.*

« Extende largam, mitem manum
Et benedic mihi Maria,
Conserva me in statu gratiae,
Ora Deum pro me, Maria. »

Hoc canticum saepe repetivit, et infantes assuefecit, ut Mariam tenere amarent et venerarentur. »

VII. Testis, *juxta* 24. *Interr. fol.* 300. *ter. respondit*: « Ven. Servus Dei saepius nobis narravit, quam pulchra fuerit ecclesia S. Bennonis Varsaviae, et quam amplus laborum campus pro salute animarum ibi apertus fuerit. Multae Missiones ibi habitae sunt, et multi peccatores et haeretici se converterunt; plura etiam instituta et scholae infantium et orphanotrophium pro pauperibus ibi erecta sunt. « Ibi, » ait, plurima erat occupatio, mihi ipsi saepius in curandis et purgandis infantulis alios juvare contigit. « Proh dolor! haec adeo benedicta sacra industria per longum tempus non durabat. Tempestates et perturbationes venerunt, et Ven. Servus Dei coactus est, ut cum sociis campum laborum desereret; imo modo violento abreptus, captus, et in arcem dictam Küstrin translatus est. Eo tempore multa opprobria et vexationes perpessus est; dum quidam flexis genibus sacram benedictionem ab eo peterent, alii lapides in eum conjecerunt. Sed haec omnia Ven. Servus Dei cum coelesti patientia sustinuit, et carcerum custodibus eum valde compatientibus dixit: « Officium vestrum adimplete. » Pater Martinus Stark, qui hasce aerumnas et vexationes Ven. Servi Dei nobis narravit, factorum testis erat. Scio etiam Varsaviae plures sacerdotes Congñis SSñi Redemptoris circa ipsum fuisse, et Missionibus operam dedisse. Alias depositiones facere nescio.

§ 11. *Plurimos labores pro animarum salute Varsaviae suscepit.*

§ 12. *Varsavia expulsus et in carcerem conjectus est.*

Juxta 25. *Interr. fol.* 302. *ter. respondit*: « Quantum scio,

Varsaviae utique domus Congregationis SSmi Redemptoris existebat, quae cum expulsione Patrum Congregationis suppressa est. »

Et *juxta* 27. *Interr. fol.* 302. *ter. respondit:* « Domus Varsaviensis hostilibus rei catholicae aggressionibus ejus aevi periit. Saeviebat furor bellorum gallicorum, et omnia, quae studiis inimicorum nominis christiani eo tempore contraria videbantur, removebantur et destruebantur. »

IX. Testis *juxta* 23, 24. *et* 25. *Interr. fol.* 379. *ter. respondit:* « Utique mihi constat, Ven. Servum Dei Missionarium Varsaviam mandatum fuisse, ubi cum suis sacerdotibus plurima bona perfecit, et plurima mala perpessus est. Hoc ex relationibus Ven. Servi Dei scio.

Ven. Servus Dei nobis dixit, Varsaviae tum pro Polonis, tum pro Germanis divina officia celebrata, et plurimas institutas fuisse devotiones. Tantos fructus opera sua collegerunt, ut inde Ven. Servi Dei cor exhilararetur, ut ipse dixit.

Ven. Servus Dei nobis dixit, secum plures sacerdotes in sacro ministerio laborasse, Varsaviae orphanotrophium fuisse erectum, et per illud plurima saluti animarum proficua esse obtenta. »

§ 13.

Relatio Religiosae Ordinis Visitationis B. M. V. ex Polonia expulsae circa labores Apostolicos Ven. S. D. Varsaviae exantlatos.

XXIII. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 676. *respondit:* « De laboribus Ven. Servi Dei Varsaviae susceptis, ex litteris Mariae Caeciliae de Cholomiewska Ordinis nostri in Conventu Kaminiecensi sororis professae, quae inde expulsa hodie Leopoli vivit, relationem facere possum. Monialis jam ultra 80 annos aetatis habet: scripsit in lingua gallica; in versione vero germanica a me ipsa facta haec praecise, quae sequuntur, habentur.

« Semper istum venerandum sacerdotem praesentem conspicere mihi videor, qui toto habitu suo nobili, dignitate pleno, simulque valde simplici sanctam pacem circum se diffundebat, et consolationes sanctae charitatis effundebat. Ejus sermo semper simplex erat; verbis minime exquisitis utebatur, quae nihilominus magnam mentis profunditatem monstrabant, et statim fiduciam excitabant. Amor Domini nostri Jesu Christi, quo totum cor suum plenum erat, ex omnibus actionibus suis elucebat, quin ullum vestigium singularitatis aut affectationis videres. Ex ejus facie puritas animae, et illa beata pax, quae est fructus sancti gaudii, ex intima unione cum Deo orti, resplenduit. Spiritus divinus particulare donum ad regendas animas ei dederat, sine intermissione lucrandis animabus operam dedit, et earum salutis avidus miserrimos peccatores etiam quaesivit, usque ad defatigationem laborando, et quieti nihil indulgendo. Summa beatitudo hoc illi erat, ut devotionem SSmi Sacramenti Altaris ubique terrarum diffunderet, et in fidelium cordibus desiderium frequenter recipiendae S. Communionis excitaret: hunc in finem eos monuit, ut nullam non operam darent,

quo digni haberentur, qui quotidie S. Communionem reciperent. Desiderio animatus, ut SS. Altaris Sacramentum in toto orbe terrarum solemni cultu honoratum videret, hanc solemnem adorationem cum sacerdotibus Congñis suae Varsaviae introduxit, ubi magnam oblivionem Jesu Christi, et generaliter summum defectum devotionis invenerat. Quotidiana adoratio SSñi Sacramenti, quam Varsaviae in Ecclesia S. Bennonis modo solemnissimo curavit faciendam, in populo hujus amplae civitatis brevi tempore jucundissimos fructus produxit. Magna multitudo hominum cujuscumque conditionis huic tam sublimi quam amoenae devotioni assistendo, corde commota et fortiter allecta est. Patres concionibus suis pretium ineffabile hujus devotionis explicabant, et sic ejus effectum augebant. Confessiones hucusque rarae exinde frequentes erant: et idem de frequenti et numeroso accessu ad S. Communionem dicendum est. Quotidie per annum ab hora sexta matutina usque ad meridiem tres missae solemnes coram exposito Sacramento celebrabantur: post quamvis Missam solemnem concio habebatur. Post meridiem primo catechismus explicabatur, deinde vesperae sequebantur solemnes coram exposito SSñ.., tum concio et in fine benedictio. In ista ecclesia a Deo benedicta festum continuum vel potius missio perpetua celebrari videbatur. Populi multitudo, salutis avida, accurrebat, ut Dominum adoraret, et pietatis ac misericordiae divinae, quae hic manifestabatur, particeps fieret. Ecclesia semper plena erat populo, et sacra tribunalia a gente quasi circumvallata. Hae tam felices et insolitae manifestationes vivae ad pietatem conversionis causa expulsionis horum religiosorum pietate excellentium fuit; cum enim dictae pietatis manifestationes inimicis religionis periculosae viderentur, Patres modo valde barbaro expulsi sunt. Auctore Patre Hofbauer plures uniones ad pios fines se formaverant, inter quas unam hic nomino, scilicet unionem adolescentularum cujuscumque conditionis, quae egregia institutio quoad mores et pietatem optimos fructus produxit. Post expulsionem Patrum extincta hae pia unione plures virgines, quae ei adscriptae fuerant, in varias communitates religiosas Poloniae et Lithuaniae ingressae sunt, eisque summae aedificationi fuerunt. P. Hofbauer semper erga Poloniam cor pietate plenum habebat, et duobus ante obitum annis serio de Congregatione iterum in Poloniam introducenda cogitabat. Deus ipsi particulares interiores cognitiones, Poloniam respicientes, dedisse videtur. Quodam die, postquam Missam in capella infirmorum celebrasset, dum gratias ageret, quasi extra se raptus videbatur. Suspirabat, et lacrymae abundantes ab oculis decurrebant: nec unum verbum ab eo obtinere poteras. Elapso demum nonnullo tempore quasi ex profundo somno evigilans cum tono summi doloris exclamavit: « O infelix Polonia, quanta mala tibi imminent! quae cri-

mina te subvertent: in sanguine natas. » Plura intelligi non poterant, aliquando tamen de futura meliori conditione hujus regni locutus est. Zelus animarum eum induxit, ut pietatem amabilem redderet. Rigorismum Jansenisticum odio habuit. Jansenistarum et Liberorum Murariorum sectis destruendis operam dedit ubique. Congñem Marianam introduxerat, cujus membra ad id praecipue se obstrinxerunt, ut bonos libros diffunderent. Pauperiorem Ven. Servo D. videre non poteras; nemo vero ejus magnanimitatem in sublevandis miseris cujuscumque generis superabat. Nunquam eleemosynam petebat, et Deo soli notum est, quomodo cuique aliquid dare potuerit. Vindobonae duo cubicula cum vilissima suppellectile parata inhabitabat. Semper a pluribus juvenibus circumdatus parcum victum cum iis dividebat. Quod si inter prandium pauper venit, unicam patinam, quam P. Hofbauer ad mensam habebat, eidem dabat, et cum suis juvenibus jejunabat.

V. S. D. ab omnibus amatus et in honore habitus est; humanitate et dulcedine sua omnes, qui familiariter eo utebantur, tanta vi attrahebat, ut resistere nequirent. Clara, qua pollebat, intelligentia lumine supernaturali illuminata, summopere ad dirigenda gravissima negotia capacem eum fecit; maxime vero ad ea, quae praeter plurimam prudentiam interiorem sanctitatem requirunt.

R̃mus et Ill̃mus D̃ns Severoli tum Nuntius Apostolicus apud aulam imperialem Vindobonae, qui ad Cardinalatum promotus obiit, quodam die digito in P. Hofbauer monstrans, qui tamen dicta audire non poterat: « Videte, inquit, hunc sacerdotem religiosum in habitu suo gravi et simplici: sed quantumvis externe tam simplex compareat: nemo tamen invenitur, qui melius ipso gravissima negotia expedire calleat. In Nuntiatura aliquando negotia tam difficilia occurrunt, ut eis solvendis vix capax quis videatur. Saepe ad componenda talia negotia hunc optimum Patrem consultavi, et nunquam causam, cur me poeniteret habui, ubi enim nos frustra adlaboraveramus, manifesta sanctitas personae, vis persuasiva rationum, quas adduxit, et amabilis simplicitas sermonis adeo feliciter spiritum virorum in dignitate constitutorum commovebant, ut omnem malam voluntatem vinceret, et id obtineret, quod paulo ante impossibile videbatur ». Cuidem suorum amicorum valedicens P. Hofbauer hoc ultimum verbum dixit: « Puritatem cordis et rectitudinem intentionis diligenter conserva. » Haec verba Ven. Servi Dei apprime omnia exprimunt, quae ipse in intimis animae suae gerebat. » Quantum V. S. D. causa Poloniae cordi esset, ex aliis quoque literis ejusdem Monialis, quas possideo, patet.

Ex iisdem sequentia fideliter, propria verba retinendo communicabo: « Annis 1818. et 1819. inter Patrem Hofbauer et aliquas personas ad meam familiam pertinentes conven-

tum est, ut res ad fundandam domum Congñis SSmi Redemptoris in Podolia praepararentur. Haec fundatio Ven. Servo D. adeo cordi erat, ut ipse eo proficisci sibi proponeret, et ad agendum sine mora impulsum se sentiret, quo quantocius illam fundationem ad felicem exitum perduceret. Res sine omni dubio feliciter procedere videbatur ; sed gubernium Russiarum, quod a principio sensus benevolos monstraverat, repente dubitationes movit, ex quibus difficultates ortae sunt. Servus Dei autem praetextibus detinebatur. Inter iteratas petitiones et declarationes datas ex una, et continuas dilationes ex altera parte, tempus elapsum est. Nihilominus semper sperabatur bonus successus; noluit Ven. Servus Dei ut animum deponerent, et continuas litteras misit, paratum se declarans, ad primum nutum eo proficisci. Sed Deus aliud iter faciendum ei statuerat, et ejus mors, quae paulo post secuta est, omnem bonam spem imo etiam desiderium, hoc negotium ulterius prosequendi, destruxit. Multae epistolae propria Ven. Servi Dei manu scriptae sine dubio adhuc in Podolia sunt, sed eas subministrare non possum. Modus barbarus et rapida festinatio qua ex nostro Conventu Kaminiecensi expulsae sumus, non permisit, ut quidquam nobiscum deportaremus ; coactae fuimus subito omnibus derelictis discedere; violenter extra fines Russiae ejectae sumus cum prohibitione ne amplius rediremus. Conventus cum omnibus quae in eo servabantur pro nobis amplius non existit, et in sempiternum deperditus est. Ego ipsa fortunam habui cognoscendi Ven. Servum Dei P. Hofbauer, dum per longius tempus Vindobonae immorarer. » — Juxta firmissimam meam persuasionem asseverare possum, monialem ex cujus litteris relationes modo factas deposui, sine dubio plenam fidem mereri. »

§ 14. *Alia relatio circa labores Apostolicos Ven. S. D. Varsaviae peractos.*

XXIV. Testis *juxta* 23. *Interr. fol.* 729. *respondit*: « Est res in Congregatione notoria, Ven. Servum Dei cum P. Hübl, versus finem anni 1786, Varsaviam venisse; a S. Congñe de propaganda fide Missionem in Curlandia receperant. In Austria Emmanuel Kuntzmann, frater laicus, ipsis aggregatus est. »

Juxta 24. *Interr. eod. fol. respondit :* « Cum Curlandiam petentes Varsaviam venissent, Nuntio Apostolico ibidem residenti se sistebant. Ille vero Germanorum Varsaviae degentium et omni ope spirituali destitutorum memor, Patres retinuit; id quod Nuntio postea a S. Sede permissum est. Ejus intercessione apud Poloniae Regem, Stanislaum Poniatowski, illis ecclesia nationis germanicae ad S. Bennonem Varsaviae tradita est, ubi cum multo labore et summa penuria salutem animarum promovere coeperunt. Stabilierunt ibi Missionem continuam. Ex litteris Ven. Servi Dei Romae in Archivo generali servatis haec tantum adduco, quae die 9. Januarii anno 1808. ad P. Blasucci, tum Rectorem Majorem Congñis, scripsit :

« Etiam hic multi dissidentes catholici facti sunt: nostra ecclesia est fere semper plena. Confessarii Regis et Reginae Saxoniae, qui hic frequentabant ecclesiam et domum nostram, fuerunt stupefacti. Sub una missa sunt circiter centum et plures communicantes. Hoc anno centum et quatuor millia communicantes fuerunt, et certe essent adhuc plures, si possemus expedire omnes et ecclesia caperet. »

§ 15. *Nuntius Apostolicus Missionarios summis laudibus extulit.*

R̃mus et Ill̃mus D̃nus Litta, Archiepiscopus Thebanus, qui Petroburgi Nuntius erat, litteris die 11. Januarii anno 1808. Varsaviae ad Superiorem Generalem Congregationis datis, hos ingentes labores Ven. Servi Dei confirmavit, et haec scripsit:

« Passai per Varsavia, ove mi trattenni più di un mese. Con mia consolazione osservai, che la Casa del SS̃mo Redentore fioriva sempre più nell' acquisto di nuovi operai, nel concorso continuo di popolo e col frutto assai grande che ricavasi colla predicazione della divina parola, e coll' amministrazione del sacramento della Penitenza e della santa Comunione. Concorso vi è non interrotto di popolo dalle ore avanti giorno fino all' imbrunir della sera; e dalla mattina alla sera altro non si fa che confessare, predicare e dar la benedizione col SS̃mo Sacramento. Io non esagero. Quattro prediche si fanno ogni giorno, due la mattina e due il dopo pranzo, ogni mattina una predica in polacco, ed una in tedesco, così il dopo pranzo. Il concorso è grande, e vi si vede il frutto in molti, che vi concorrono colla mutazione della vita. Forse quello che essi fanno sembrerà troppo, ma non è troppo pel gran bisogno che in quel paese vi è, ove gli altri poco si curano di operare nella vigna del Signore. Nè io oserei consigliar i suddetti Padri a lasciar alcuna delle suddette opere, vedendo che ciascuna riesce di molto frutto, anzi temerei oppormi alla volontà del Signore e guastar l' opera sua. Se si ottiene in Germania una casa, che serva come di seminario de' missionarii, conforme a' desiderii ed alle speranze del P. Hofbauer, non vi è dubbio che il frutto, che se ne ricaverà per le regioni settentrionali, sarà molto maggiore. »

Varsaviae Ven. Servus Dei asyla pro pueris orphanis et pauperibus puellis erexit. »

§ 16. *Ven. S. D. praeter sacrum ministerium infima quoque officia in beneficium fratrum exercet.*

Juxta 25. *Interr. fol.* 730. *ter. respondit*: « Initio, Ven. Servus Dei fuit omnia in omnibus. Laborabat in ecclesia, in sacro tribunali, in pulpito, et inde iterum in culinam se contulit, ut confratribus cibos pararet. Postea Deus plures socios ei misit, inter quos P. Podgorsky primus Polonus fuit, qui Congñem ingressus est, et propter facultatem dicendi Diaconus adhuc jam praedicabat. Paucis decurrentibus annis amplum Collegium formatum est, quod Ven. Servus Dei regebat, usque dum Vicarius generalis pro regionibus septentrionalibus nominaretur.

De statu et conditionibus Collegii particularia quidem refer-

re non possum, sed sine dubio omnino juxta regulas Congregationis institutum erat. Missionis memor, quam Ven. Servus Dei Romae receperat, Mittaviae in Curlandia domum Congregationis erexerat, sed postquam Patres Varsavia expulsi erant, illa quoque domus suppressa est. »

Juxta 26. *Interr. fol.* 731. *respondit*: « Quantum ex annalibus Congregationis constat, Ven. Servus Dei anno 1793. a P. Blasucci, Superiore generali Congñis, Vicarius generalis pro regionibus septentrionalibus Europae nominatus est, et qua talis dictum Collegium fundavit. Infra illud tempus, quo Varsaviae residebat, Ven. Servus Dei plura Congñis instituta fundavit, et quidem primo in Thabor prope Schaffhusium, deinde Trybergii in Sylva nigra, utrumque in antiqua dioecesi Constantiensi. Sed utramque domum propter continuas vexationes, quas a Curia episcopali passus est, cui ille male notus Baro de Wessenberg praeerat, derelinquere coactus est. Postea Congregationis domos in Babenhausen in dioecesi Augustana, et deinde Curiae Rhaetiorum et in regione Valesia erexit; sed copiis Gallorum procedentibus hae etiam domus derelictae sunt. Sed etiamsi Ven. Servus Dei in quovis loco per breve tantum tempus immoraretur, tamen miracula conversionum effecit. R. D. Ludovicus Vicari, parochus Plessensis dioeceseos Augustanae, mihi pro certo dixit, usque ad hunc diem vestigia apostolicorum laborum Ven. Servi Dei conspicua esse; idem asseruit, a testibus oculatis audivisse, fideles vestigia pedum praetereuntis Ven. Servi Dei osculatos esse. Tantam auctoritatem Ven. Servus Dei apud populum habebat! Imo etiam ii, qui communitatibus religiosis minime favebant, sanctitatem Ven. Servi Dei confirmare coacti sunt. Sic copiam summariam ex libro parochiali Trybergii in Sylva nigra prae oculis habui, in quo Dñs Jacck, eo tempore parochus, religiosis aperte infensus, confiteri coactus est, Ven. Servum Dei cum per breve tempus Trybergii immoraretur, a populo catholico in magnis honoribus esse habitum. Dñs Raich, secretarius Episcopi Moguntini, illam fidelem copiam summariam, una cum litteris die 31. Octobris anni 1867. datis, ad Superiorem provincialem Congregationis SSñi Redemptoris Treviros mandavit; est autem sequentis tenoris: « Series personarum ecclesiasticarum in animarum cura Trimontii existentium: N. 261. Patres de SSño Redemptore; exorbitans fanaticorum cohors; advenerant 30. Maji 1805. Conventus eorum constabat quinque presbyteris, quibus certus Hofbauer, a quibusdam ex plebe Sanctus Pater appellatus, praeerat. »

§ 17. *Varias domos in Germania fundavit.*

§ 18. *Ex Germania ejectus domos fundat in Helvetia.*

§ 19. *Ubique fructus zeli apostolici et famam Sanctitatis reliquit.*

§ 20. *Causa persecutionum non fuit nisi Zelus animarum.*

Juxta 27. *Interr. fol.* 732. *ter. respondit*: « Generaliter notum est, labores extraordinarios Ven. Servi Dei ejusque sociorum Congregationi multos suscitasse inimicos. Jam prius sacerdotes Congregationis apud gubernium borussicum accusati, sed semper ab eodem innocentes declarati sunt. Cum

Varsavia Saxoniae Regi subjiceretur, inimici Congñis nihil intentatum reliquerunt, ut eam Varsavia expellerent; atque quod intendebant obtinuerunt. Probabiliter anno 1808 expulsi sunt. Eorum sacra industria impiis invisa erat, nec quieti se dederunt, antequam eorum mala consilia adimpleta erant. »

§ 21. *Ven. S. D. Vindobonam veniens in carcerem mittitur.*

Iterum Testis I. *juxta* 27. *Interr. fol.* 156. *respondit*: « Puto Ven. Servum Dei autumno anno 1808. ex dicta arce dimissum una cum clerico Martino Stark Vindobonam venisse. In scriptis defuncti Patris Weidlich et in alio quodam ignoto manuscripto, id est in manuscripto cujusdam anonymi, quod in Archivo domus Vindobonensis servatur, habetur, Patrem Hofbauer, cum Vindobonam pervenerat, ab officio publicae securitatis in carcerem missum esse, ut de sacris paramentis, quae apud eum inveniebantur, et de pecunia quam habebat, rationem redderet. Cum plene se justificaret, Director publicae securitatis Kleinschmid, post tres dies libertati eum restituit, sed publicae securitatis administri invigilantes per longum tempus eum observabant.

§ 22. *Apud ecclesiam Italicam habitavit.*

Ven. Servus Dei, paulo postquam Vindobonam advenerat (circa annum 1808. sive initio anni 1809.) domum, quae ecclesiae Italicae adhaeret, et ad Congñem Italicam quamdam pertinet, inhabitare coepit. Liber Baro Penkler, ecclesiae administrator in temporalibus, eam habitationem illi concesserat. Rector ecclesiae numquam fuit, sed *Caselti*, qui tunc ecclesiam regebat, vir erat aetate jam valde provectus, eique quasi omnia negotia, quae alias ad Rectorem ecclesiae spectabant, commisit; unde a pluribus tamquam ecclesiae Director habebatur.

Cubiculum quod in prima contignatione inhabitabat, cum Oratorio Archiducissae Beatricis conjunctum erat, ita ut quoties voluit, ecclesiam visitare posset; et sine dubio etiam integras horas in adoratione SSñi Sacramenti transigebat.

§ 23. *Ursulinarum Confessarius et Superior nominatur.*

Anno 1813. ab Archiepiscopo, Comite Hohenwart, Director ecclesiae et Confessarius Ursulinarum nominatus est, et ipsarum domum locatitiam in via dicta « Sailerstaette » inhabitare coepit.

Verissimum est, Ven. Servum Dei modo plane apostolico laborasse. Ardentissimo zelo divini honoris plenus, diebus dominicis et festivis in ecclesia Ursulinarum veritates S. Ecclesiae Romanae praedicabat, et ingentem populi numerum attrahebat; homines cujuscumque conditionis praesertim multi viri docti, officiales, nobiles et studentes ad eum audiendum accurrebant. At minime praedicabat eo modo, qui coram auditoribus cultis et eruditis quasi necessarius putatur, sed cum summa simplicitate, cum nihil vehementius desideraret, nisi ut ab omnibus etiam ab infantibus et aniculis intelligeretur. Attrahebantur autem ad eum, quia ex ejus persona totoque habitu, sive in pulpito, sive ad altare comparebat, eximius zelus honoris Dei et salutis animarum

elucebat; nec non ratione incomparabilis claritatis, qua etiam profundissima mysteria explicabat; animi fortitudine, qua perversum spiritum sui aevi impugnabat, potestatem publicam Josephinismo imbutam, quae eum semper observabat, minime pertimescens; et desiderio audiendi tandem aliquando doctrinam catholicam puram et integram, quae res eo tempore in ecclesiis Vindobonae satis rara fuit, cum doctrinae maxime necessariae, exempli gratia de Eucharistia, de sacramento Poenitentiae, de sancta Ecclesia, ejusque summa auctoritate, de Matre Dei sanctissima et de veneratione sanctorum rarissime et tantum data occasione exponerentur, et e contra nonnisi quaedam moralis insulsa, adaquata traderetur. Ex auditoribus, quorum fidem excitaverat, plurimi deinde in sacro Tribunali eum adierunt, et confessionem generalem apud ipsum fecerunt. Temporis decursu numerus poenitentium ita auctus est, ut fere per totum diem, imo usque ad tardam horam noctis excipiendis confessionibus occuparetur.

Sicut omnes qui Ven. Servum Dei bene noverant asserunt, numquam aliquam concionem conscripsit; sed propterea dici non potest, ad sermones habendos non se praeparasse: nam Ven. Servus Dei semper orabat et meditabatur. Uti Pater Pajalich in suis scriptis dicit, Ven. Servus Dei curam habuit, ut ordinarie aliquot diebus antea Evangelium Dominicae sibi praelegeretur; deinde circa illud Evangelium in suis meatibus et orationibus meditabatur. Etiam Pater Srna in domo nostra narravit, Ven. Servum Dei, cum aliquando de creatione et fine hominis sermones quadragesimales instituisset, vespere praecedente curasse, ut sibi ex libro Genesis aliquot versus cum commentario praelegerentur. Opus non fuit, ut diu recogitaret, cum mox ejus menti pulcherrimae cogitationes obversarentur; ordinarie lectis duobus vel tribus versibus dixit: Sufficit.

Ven. Servus Dei paulatim magnum numerum studentium Universitatis, prae caeteris multos jurisprudentiae et etiam medicinae et theologiae studiosos circa se colligebat, e quibus postea saltem viginti septem Congregationem ingressi sunt. Magnetis instar paterna sua charitate eos attraxit, et ut fideliter ipsi adhaererent effecit. Quilibet apud eum felicem sese sentiebat. Quamvis de Congregatione ejusque institutionibus nihil cum iis colloqueretur, saltem eo tempore quo nondum exploratum habebat, an sedem figere posset in Austria, tamen sensim sensimque amorem status religiosi et studium perfectionis iis indidit. Per suos discipulos et poenitentes auctoritatem semper crescentem in omnes classes societatis Vindobonensis obtinuit, et ab ipso repetenda est vera reformatio religiosa Vindobonensium, in qno negotio Werner, ejus fidelis discipulus et celeber concionator, auxilium ei praestitit. Cum Ven. Servus Dei cum dolore videret, juventutem in principiis fidei et reli-

§ 24. *Auctor fuit erigendo instituto pro*

gioni contrariis educari, Adamum Müller, consiliarium aulicum, quem optime noveram, cohortatus est, ut institutum educandis juvenibus nobilibus destinatum erigeret. Quod cum a gubernio non confirmaretur, Friderico de Klinkowström, quem pariter bene noveram, persuasit, ut simile institutum erigeret, quod de facto ab Imperatore confirmatum est, et per multos annos cum larga Dei benedictione florebat. In illo instituto, in quo non tantum ex Austria, sed etiam ex aliis regionibus alumni inveniebantur, ipse Catechista fui. Alumni institutionem plane universalem receperunt. Multi facti sunt sacerdotes, alii militares, alii officiales. Albertus Crivelli, qui nunc Romae legati munere fungitur, sicut etiam ejus praedecessor Baro Hübner et Baro Brenner in hoc instituto educati sunt; plures alii praeclara publica munera obierunt, et jam defuncti sunt. Scio, Ven. Servum Dei Vienna missionarios in Valachiam misisse, qui ibi multa perpessi fructus largos collegerunt. Scio etiam, ipsum missionarios in Americam mittere intendisse; imo ipse anno 1819. cum Patre Pajalich eo se contulisset, si tempestas ab inimicis contra eum excitata non cessasset. »

educatione juvenum nobilium.

§ 25. *Missionarios in Valachiam mittit.*

II. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 221. *ter. respondit*: « Testari possum, Ven. Servum Dei in ecclesia Italica et tamquam confessarium Ursulinarum cum abundantibus fructibus operatum fuisse. Ipsum anno 1813., cum Ursulinarum confessarius esset, coram cognovi, et scio, eum usque ad obitum Vindobonae mansisse. Pariter ex propria experientia testari possum, Ven. Servum Dei pro honore Dei et salute animarum tum in pulpito, tum in sacro tribunali zelo infatigabili laborasse. Instituta catholica erigendo, fidem suscitare, et vitam catholicam fovere intendebat. Nullis difficultatibus, quae hujusmodi conatibus eo tempore saepe objiciebantur, deterritus est. Optime memini, Gubernium, tunc Ecclesiae inimicum, ejus studia et opera vere catholica malo oculo vidisse, et in genere sacerdotes exteros ejicere voluisse. »

§ 26. *Nullis difficultatibus cedit.*

III. Testis *juxta* 23. *Interr. fol.* 233. *ter. respondit*: « De hoc alia deponere non possum, nisi quod certissime audivi, Ven. Servum Dei in Polonia, in Helvetia et tandem Vindobonae sacrum suum ministerium exercuisse. »

Juxta 24. *Interr. fol.* 233. *ter. respondit*: « Optime recordor audivisse, Sacerdotes Congñis SSmi Redemptoris, qui Varsaviae assidue laborabant, a liberis murariis Poloniae vehementissime infestatos, et tandem eorumdem machinationibus expulsos fuisse. »

Juxta 28. *Interr. fol.* 234. *respondit*: « Scio, Ven. Servum Dei per plures annos Vindobonae vixisse, sacrum ministerium exercuisse, et aliquos sacerdotes et Congñis suae candidatos circum se habuisse. Inter alios sacerdotes erat Pater Sabelli, qui sacrum baptisma mihi ministravit, et Pater Mar-

tinus Stark. Credo Joannem Madlener, Libotzky, Weidlich, Held inter candidatos fuisse. Scio, Ven. Servum Dei in domo conventui Ursulinarum propria in via dicta « Sailerstaette » habitasse, quo saepius a parentibus meis conductus sum. In hac domo usque ad obitum suum permansit. Antea, quantum memini, apud liberum Baronem Penkler in domo locatitia ecclesiae Italicae, in qua etiam saepius functiones sacras peregit, habitavit. In quantum ad ejus sacerdotalem industriam a meis parentibus et personis mihi notis talia audivi, quae cor cujusvis boni catholici summo gaudio afficiunt. Ejus simplices conciones effectus valde admirabiles produxerunt; iisdem enim viri eruditione eminentes conversi sunt, ex. gr. pictor Veit, Fridericus de Schlosser cum uxore sua, quibus patrem meum adnumerare mihi liceat, qui Ven. Servo Dei usque ad obitum confessario usus est. Cum zelo infatigabili et immenso fructu Ven. Servus Dei audiendis confessionibus incubuit. Bene recordor audivisse, laboribus vere catholicis Ven. Servi Dei Vindobonae, principiis Josephinismi infectae, multa impedimenta, maxime ex parte officialium, fuisse opposita. Alia hic deponenda non habeo. »

§ 27. *Multos haereticos, etiam doctrina conspicuos, ad fidem convertit.* *

Et *juxta* 29. *Interr. fol.* 235. *ter. respondit:* « In laboribus suis pro erigenda Vindobonae domo Congregationis suae maxime per amicos, liberum baronem Penkler, internuncium Constantinopolitanum, et secretarium privatum principis Metternich, Josephum de Pilat, pro viribus adjutus est. Hic posterior, sicut in omnibus negotiis ecclesiasticis ab Imperatore Francisco auctorizatus erat, etiam in hac Causa gratiam Caesareae Majestatis imploraverat. Sed omnia tentamina horum virorum pro religione catholica zelantium irrita facta sunt. Contradictiones et machinationes contrariorum praevaluerunt, et proh dolor! ipsa Caesarea Majestas calumniantibus aures praebuit: unde factum est, ut Ven. Servus Dei inquisitioni subjiceretur, et ita erectio domus Congregationis irritaretur. Occasione hujus ex officio institutae inquisitionis nihil inventum est, quod Ven. Servo Dei in crimen verti posset; e contra Ordinis cujusdam equestris, credo Stanislai, signum inventum est, quod Ven. Servus Dei Varsaviae a Rege Poloniae propter sua merita receperat. In fine dictae inquisitionis cum documenta jam subscripta essent, unum ex officialibus inquirentibus Ven. Servus Dei interrogavit, an adhuc quidquam tractandum esset; cumque interrogatus hoc negasset, Ven. Servus Dei cum gravi vultu digitum coelum versus elevavit, et minando dixit: « Expectandum adhuc est tribunal et judicium Dei. » Sicut nunc memini, paulo post, unus ex judicibus inquirentibus morte improvisa abreptus est. Caeterum domus Congregationis erecta est etsi post obitum Ven. Servi Dei, sicut ipse praedixerat. »

§ 28. *Novas persecutiones passus est.*

IV. Testis *juxta* 26. *Interr. fol.* 256. *respondit*: « Scio tantum,

et quidem ex propria experientia, Ven. Servum Dei Vindobonae Vicarium generalem fuisse vocatum. Scio etiam, ipsum in Helvetia et Germania sacrum ministerium exercuisse; an vero Ven. Servus Dei Collegium Congñis suae erexerit, de hoc nihil, quod deponam, habeo. »

Juxta 27. *Interr. fol.* 256. *ter. respondit*: « De hoc aliud nescio, nisi quod Kuntzmann mihi narravit, Collegium Congñis a Francogallis suppressum, et Ven. Servum Dei captivum deductum fuisse, sed de causa et circumstantiis suppressionis particularia referre non possum. »

Et *juxta* 28. *Interr. eod. fol. respondit*: « De hac re ex propria scientia tantum novi, Ven. Servum Dei per plures annos Vindobonae sacrum ministerium exercuisse, ibique anno 1820. esse defunctum. Praedicabat in ecclesia Ursulinarum, et tum in ista, tum in alia Mechitaristarum ecclesia confessiones excipiebat; ubique propter sacram industriam et vitam valde piam optima fama gaudebat. Vindobonae quoque Ven. Servus Dei adversarios habuit, eos scilicet, quibus sacra industria et studia pia, propriis principiis impiis omnino contraria, displicebant. Sed Ven. Servus Dei labores apostolicos sui ministerii propterea minime intermisit. Effectus sacerdotalis industriae Ven. Servi Dei vere splendidi erant: ipse enim vitam catholicam Vindobonae in omnibus fere regionibus exstinctam iterum resuscitavit. »

§ 29. *Pietatem catholicam quasi exstinctam resuscitavit.*

VII. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 302. *respondit*: « Certum est, Ven. Servum Dei ex carcere dimissum Vindobonam venisse; hoc anno 1808. sive anno 1809. factum fuisse puto. Scio, Ven. Servum Dei ab anno 1809. usque ad annum 1813. Italicae ecclesiae Directorem fuisse, et sacras functiones solemnissime celebrasse. Multum ibi in audiendis confessionibus occupatus fuit. Ibi ego et soror mea defuncta Rosalia primam confessionem peregimus, et die 21. Junii anni 1811. in festo Sanctissimi Cordis Jesu, quod eo anno cum festo Sancti Aloysii concurrebat, primam sacram communionem recepimus. Scio quoque, Ven. Servum Dei anno 1813. a tunc temporis Archiepiscopo Vindobonensi Ursulinarum confessarium nominatum fuisse.

Infatigabilis sui zeli animarum et ardentis devotionis in celebrandis divinis officiis in ecclesia Ursulinarum ego ipsa testis fui. »

IX. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 380. *respondit*: » Nihil mihi innotuit, Ven. Servum Dei in arce Küstrin detentum fuisse. Hoc certum est, ipsum ex Varsavia expulsum Vindobonam venisse, et cum abundantibus fructibus in sacro ministerio laborasse. Elapso ab ejus adventu brevi tempore, Ven. Servus Dei confessarius Ursulinarum, et deinde etiam director ecclesiae factus est. Circa sacrum ministerium, quod Vindobonae exercuit, haec dicere possum. Ven. Servus Dei fere omnibus diebus dominicis et festivis in nostra ecclesia praedicavit. Concionando valde simplex fuit, et

§ 30. *Simplicissime praedicavit.*

sermone omnium captui adaptato: « Volo, dixit, ut etiam ab infantibus intelligar. « Sed virtus sermonis auditores adeo percussit, ut saepe lacrymis et singultibus temperare non possent. »

XXIII. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 681. *ter. et* 685. *ter. respondit*: « Ven. Servum Dei in arce Küstrin detentum fuisse, ex vitis quas legi scio. De laboribus Ven. Servi Dei Vindobonae susceptis, ex propria experientia relationes facere possum.

§ 31. *Describitur ejus persona.*

Ven. Servum Dei anno 1813. vel 1814. cognovi, et quamvis tum adhuc infans essem, tamen optime ejus memini. Semper mihi ante oculos versatur, qualis tunc erat, et hodie sequentem descriptionem ejusdem facere possum. In suo habitu exteriori nihil videbas splendidi, nec observabas id quod homines ingeniosum vocant; sed comparuit sicut homo a Deo illuminatus. Perspicere poteras, ipsum semper cum Deo intime esse conjunctum, et quasi ex subliniori regione mundi sensa sua recipere. Credo, sanctos ita hominum conspectibus se exhibuisse. Ex facie ejus suavis gravitas, tranquilla serenitas, pax nulla passione perturbata, mentis recollectio perfecta elucebant. Quoddam lumen super ejus vultum effusum resplendere cernebas.

Ven. Servus Dei Vindobonae, tum in pulpito, tum in sacro tribunali cum fructibus valde abundantibus laborabat, quod scio ex auditu; ipsa saepissime ejus conciones audivi, et in ecclesia Monialium S. Ursulae, saltem omnibus diebus dominicis et festis, ejus sacrae Missae interfui. Quasdam propositiones in concionibus suis enuntiatas semper adeo bene memoriae impressas tenui et adhuc teneo, quasi eas hodie pronuntiari audirem. Sic ex. gr. saepissime concionando dixit; « Terribile est incidere in manus Dei viventis », et illa verba quae Dominus ad Abraham locutus est, repetiit: « Ipse ego ero merces tua magna nimis ». Vox, qua similia verba pronuntiavit, corda penetravit. In fine concionis auditoribus plerumque promisit, se in tremendo Missae sacrificio pro eis rogaturum esse. In sacro quoque tribunali valde simplex erat; sed quisque ejus verba libenti animo excepit, et alte in corde suo reposuit. »

§ 32. *Varsavia expulsus in arce Küstrin detinetur; inde Vindobonam venit.*

XXIV. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 732. *ter. respondit*: « Dum Ven. Servus Dei et sacerdotes Congñis vel audiendis confessionibus vel verbo Dei annuntiando operam darent, Collegium a militibus cinctum est. Commissarii introgressi omnes convocaverunt, suppressionem Collegii publicaverunt, alii sigilla ad sacristiam et bibliothecam miserunt. Omnes jussi, ut urbem statim derelinquerent, in currus injecti et cum praesidio militum extra urbem ad confinia et in arcem Küstrin transportati sunt. De ista violenta expulsione Ven. Servus Dei pauca dicere solebat; videbas autem dolorem quo afficiebatur, quod vineam Domini tanto labore excultam amplius curare non posset. Quantum memini, Ven. Servus Dei

cum sociis suis per quatuor sive sex hebdomadas in arce Küstrin detentus est, sed a Gubernio Borussiaco humanissime tractati sunt. Cum dimitterentur, Ven. Serv. Dei cum Martino Stark Vindobonam ivit, eoque anno 1809. pervenit, et usque ad obitum mansit. Ven. Servus Dei domum ecclesiae Italicae contignam inhabitare coepit. Director ecclesiae erat *Casella*, vir aetate provectus, qui eum summi aestimabat, eique curam ecclesiae et functiones sacras commisit. Anno 1813. a Sigismundo Comite de Hohenwart, Principe et Archiepiscopo Vindobonensi, confessarius Ursulinarum nominatus est, et qua talis in domo locatitia Ursulinarum habitare coepit; insimul cura ecclesiae ei commissa est. Tunc imprimis apostolicus ejus labor Viennae incepit. Omnes qui eo tempore Ven. Servum Dei noverant, et ejus labores propriis oculis videbant, de ejus extraordinaria sacra industria, ac de miraculosis conversionibus, sive in pulpito sive in sacro tribunali et ad lectum infirmorum, nec non familiari conversatione cum studiosis Universitatis et juvenibus officialibus eum in habitatione sua invisentibus, obtentis, enarrando non satiabantur. »

X. Testis (Emus et Rmus Cardinalis de Rauscher, Archiepiscopus Vindobonensis) *fol.* 452, *sic deposuit*: « Virum sanctum et Spiritus sancti donis mire dotatum eum tenui, cum in vivis adhuc ageret; sed et nunc teneo. Deus peculiari modo eum elegit ad resuscitandos pietatis sensus, qui temporum injuria remissiores facti fuerant, in civitate Viennensi, ubi undecim continuis annis et eis vitae ipsius ultimis doctrina et moribus Christum praedicavit. Cum eo rediret, Deo soli notus erat; sed luce ejus in dies magis coram hominibus lucente denique vir humilis et pauper eximiam etiam saecularium virorum existimationem collegit, atque ad animos sursum tollendos plurimum valuit. Insuper non immerito secundus dicitur Fundator Congnis SSmi Redemptoris, cujus domus praeter Neapolitanas Siculasque cunctae filiae sunt Viennensis, quae ipsum auctorem habet. »

(Ex Processu Ordinario).

§ 33. *Vivente adhuc S. Alphonso in Russiam mittitur.*

XXVI. Testis *juxta* 17. *Interr. fol.* 536. *respondit*: « Pater Hofbauer anno 1786. neosacerdos in Curlandiam est missus. Tunc vivebat adhuc Sanctus Fundator Alphonsus Liguori, qui obiit (ut notum est) die prima Augusti anni 1787; pro ista missione Pater Hofbauer a Rectore Majore Francisco de Paula specialibus facultatibus munitus erat. Persuasum habeo, Patrem Hofbauer jam tunc tamquam Rectoris Majoris Vicarium in regiones septentrionales fuisse missum. »

XXV. Testis *juxta* 17. *Interr. Proc. fol.* 511. *respondit*: « Postquam factus est sacerdos, eo tempore a Nuntio Varsaviae commorante Missionarii postulati sunt pro Curlandia, qua occasione utebantur Congregationis Superiores, ut Patris

Hofbauer desiderio satisfacerent Congregationem extra Italiam diffundendi. Itaque Pater Hofbauer tamquam Superior cum Patre Hübl Varsaviam fuit missus per Viennam. Missionarii ibi benignissime a Nuntio excepti tantopere huic placuere, ut eos Varsaviae pro Germanis retinere cuperet, ideoque licentia a Propagandae Fidei Congregatione petita et impetrata fuit. Ambo Missionarii a Nuntio Apostolico apud regem tunc temporis Stanislaum Poniatowsky introducti fuere, qui eis benignissime exceptis Sancti Bennonis ecclesiam pro sacro ministerio exercendo assignavit.

§ 34. *Varsaviae retinetur.*

§ 35. *S. D. Vicarius generalis Congregationis trans Alpes nominatur.*

Pater Hofbauer, probata fructuosa industria in hac nova ecclesia et acquisitis jam compluribus Sacerdotibus pro Congregatione, Vicarius generalis trans Alpes fuit nominatus, quod munus ad mortem usque retinuit. »

Congruunt Testis I. juxta 17. *Interr. Proc. fol.* 94. *ter. Testis VI. juxta idem Interr. Proc. fol.* 218. *ter.*

Idem XXV. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 511. *ter. respondit*: « Scio a Congregatis tunc Varsaviae viventibus, quibuscum coram sum locutus, Patrem Hofbauer Varsaviae, et postea in omnibus a se fundatis domibus extraordinariam industriam exercuisse in pulpito et in sacro tribunali, tum per se ipsum, tum per suos. Plures domos in regno tum temporis Polonico fundare illi contigit. Varsaviae quovis die in pluribus linguis habebantur conciones, sacra tribunalia a mane ad vesperam erant occupata. Postremo ante expulsionem anno in Sancti Bennonis ecclesia centies mille communiones administratae sunt et ex relatione Canonici ex Polonia (cujus nomen ignoro) scio, nunc adhuc cerni fructus laborum Missionariorum Patris Hofbauer in frequentia Sacramentorum. »

§ 36. *Zelus et labores Servi Dei in Regno Poloniae.*

VI. Testis *juxta* 20. *Interr. Proc. fol.* 219. *ter. respondit*: « Servus Dei Varsaviae domum ad Sanctum Bennonem, a rege Stanislao Poniatowski sibi datam, fundavit uti domum Missionis. Crescente cooperatorum numero zelus etiam Servi Dei pro divina gloria et animarum salute magis magisque semper est inflammatus, donec sacrae ad Sanctum Bennonem functiones Varsaviae aequarentur continuae Missioni, durantes ab hora quinta matutina usque ad octavam vespertinam, exceptis horis a meridie usque ad tertiam cum dimidia, quo tempore exercitia fiebant domestica.

Eo tempore, quo ego versabar Varsaviae, quotidianae functiones in Sancti Bennonis ecclesia hoc procedebant ordine. Hora quinta matutina confessarii ad sacra tribunalia sese conferebant; poenitentes nunquam defuerunt, ita ut eo tempore communicantium numerus annuus centum mille multo excederet. Concedo (ut alii affirmant) ab hora quinta ad sextam a sacerdote exhortationes aliquas fuisse factas, sed recordari nequeo ita, ut solemniter id attester.

§ 37. *Fructus laborum copiosissimus.*

§ 38. *Conciones et cele-*

Hora sexta prima missa cantata cum assistentia fuit celebrata, cantante populo cantica polonico in idiomate; mox po-

brationes sacrarum functionum continuae et decentissimae.

stea sequebatur concio in lingua polonica habita a Patre Blumenau, viro insolitae eloquentiae. Ejus conciones frequentissimus audiebat populus et innumerabiles conversiones apostolicum ejus coronabant zelum. Postea secunda missa cantata celebrata fuit majori cum solemnitate, cum assistentia, cantantibus virginibus ex Sancti Josephi confraternitate Missam latinam figuratam. Post decimam demum horam concio incipiebat germanica, ab ipso Servo Dei (si erat Varsaviae) semper habita. Inter eam ordinarie Pater Hübl Missam celebrabat, tum ne ultra tempus concio protraheretur, tum ut Polonorum linguae germanicae ignarorum devotioni satisfieret. Postremo ipse Pater Hofbauer ultimam et solemnissimam cantabat Missam (nisi forsan Episcopus vel alius dignitarius adesset). Ad hanc sponte et gratuito semper electorum musicorum numerus sufficiens aderat, qua re quotidie executio musicae ecclesiasticae omnibus numeris completae reddita est possibilis. Quod quidem meminerim, in tribus his Missis cantatis Sanctissimum Sacramentum expositum fuit. Haec ad meridiem usque durabant.

Functiones pomeridianae incipiebant hora tertia et dimidia cum concione germanica, habita tunc semper a Sacerdote (et non a Subdiacono vel Diacono) cuique intervenire debebant omnes studentes. Hanc excipiebant vesperae solemnes coram exposito Sacramento. Germani tum ab ecclesia recedentes a Polonis substituebantur. Pater Podgorski, rarae tum virtutis tum scientiae homo, quotidie in polonico praedicabat idiomate de veritatibus aeternis tanta cum efficacia, innumerae ut inde sequerentur conversiones. Idem etiam Sancti Alphonsi libros de Sanctissimi Sacramenti visitatione et de amore animarum polonice reddiderat, eumque post expulsionem e civitate Varsaviae apud Patrem Hofbauer Vindobonae commorantem Nuntius Apostolicus cognovit tantique aestimavit, ut eum Sedi Apostolicae pro Episcopatu Bucarestano proponere vellet, a quo proposito importunis tantum viri istius precibus abduci poterat.

Ejus concionem sequebatur sanctae viae crucis exercitium, dominicis et festis diebus in germanica, caeteris autem hebdomadae diebus in polonica lingua solemniter habitum et cum benedictione Sanctissimi Sacramenti conclusum. In fine sacerdos cum populo examen conscientiae instituit, et actus virtutum theologicarum et contritionis diem sancte clauserunt.

§ 39.

Confraternitatem S. Josephi Varsaviae introduxit: collegia pro instituenda juventute erexit.

Praeter ista exercitia multae per anni decursum devotiones novendiales et processiones instituebantur. Pater Hofbauer etiam confraternitatem in honorem Sancti Josephi pro juvenibus et virginibus introduxerat. Horum omnium fui testis oculatus. De visu etiam testari possum, unam alteramve quotannis missionem ruri fuisse habitam. Propria item experientia deponere possum de collegiis ad instruendam

juventutem (pueros et puellas) et educandos orphanos a Servo Dei erectis. Quae instituta omnia iterum evanuerunt domo Congregationis suppressa. Quoad labores ad Judaeos et haereticos convertendos susceptos scio quoque, multum operae impensum fuisse his erudiendis, et praesertim Patrem Lenoir (Gallum) orientalium linguarum peritissimum multum sudasse in Judaeis instruendis, qui quidem labor optatum non habuit successum.

§ 40. *Judaeos et haereticos ad catholicam veritatem convertere sategit.*

De missione Curlandica, incepta jam plures annos, antequam Varsaviam venirem (ergo ante annum 1804), dici quidem audivi, sed etiam percepi, notitias de eadem deficere nec sciri, an missionis istius sacerdotes viverent, an jam defuncti essent, interdicta a gubernio eo tempore quacumque communicatione inter Poloniam et Russiam. Certum est, Lutkoviae (Lutkowka) domum Congregationis extitisse, cujus superiorem pluries vidi Varsaviae, nec non aestate anni millesimi octingentesimi quarti currum multis rebus et praesertim magna Cruce pro Missione destinata oneratum, et in illas regiones directum, in quibus darentur Missiones.

§ 41. *Opem laturus Patri Passserat, et collegio prope Jestetten D. F. Varsavia discedit.*

Initio mensis Augusti anni 1804. Servus Dei urgentes a Patre Passerat acceperat litteras, quem anno 1803. Rectorem constituerat Collegii in monte Thabor prope Jestetten positi in ditione Principis de Schwarzenberg. Ille summam inopiam ei exposuit, qua ea communitas opprimebatur, et promptum expetivit auxilium. Maternum Patris Hofbauer cor ad lacrymas usque commotum fuit moxque initum consilium. Ipse eorum succursurus inopiae iter tam longum et difficile instituere non renuit. Socium itineris me elegerat, et ita Varsavia discessimus ultimis Augusti diebus.

Sanctificabat iter continua oratione et conversatione cum Deo. Negotiorum ergo duos dies commoratus est Dresdae apud familiam regiam et Regis confessarium; etiam Augustae Vindelicorum et Constantiae tres mansit dies. Die demum vigesima prima Septembris apud nostros in monte Thabor feliciter advenimus. Nemo amplius inopiae toleratae meminit; et quid demum erat mons Thabor? Castellum ruinosum cum quatuor vel quinque cubilibus habitabilibus, quae insuper fulciri debebant. Omnes clericos sub tecto ecclesiae dormire oportebat, et studentes in turri separata sine foribus et fenestris, quam mediantibus scalis tantum ascendere poterant. Prout habitatio, ita et reliqua omnia misera et vilia erant. Quibus Servus Dei haud territus et communitatis inopiae participans exemplo suo omnes animabat et salutaribus verbis hortatus tantum effecit, ut omnis inopiae obliti felices nos reputaremus sub oculis et obedientia Superioris adeo sancti vivere.

§ 42. *Sodalium animos erigit, ut paupertatem fortiter tolerent.*

Ipse, quamvis occupatissimus in excipiendis confessionibus, singulis tamen diebus dominicis et festis praedicabat, et ob negotia Congregationis magnum litterarum commercium habebat. Quod supererat temporis, orationi et spiritualibus im-

pendebat exercitiis. Interea factum est, ut legati ex Tryberg, oppidulo in Sylva nigra, ad ditionem tunc Archiducis Ferdinandi pertinente, in montem Thabor ad Patrem Hofbauer venirent, nonnullos Congregatos ab eo petentes. Erat enim in isto oppido Sanctuarium alioquin valde celebre, nunc autem ob sacerdotum eidem praepositorum decrepitam aetatem minus frequentatum, qua quidem re etiam temporalis pauperum istorum monticolorum prosperitas summopere decreverat. Utrique malo occursuri boni isti cives consilium inierant, alios sacerdotes ad illud Sanctuarium vocandi, et famâ Servi Dei longe lateque diffusa, eum adierunt. Laetabundus de propositione adeo favorabili eximiam sibi occasionem praebente pro gloria Dei et animarum salute laborandi, oblationem accepit moxque facta erat conventio de conditionibus, et Archidux Ferdinandus singulis tribus Sacerdotibus annuam constituit subventionem florenorum rhenanorum tercentum viginti. Priusquam vero Servus Dei Trybergium se conferret, cum duobus clericis Lucernam ad excellentissimum Nuntium Apostolicum Testaferrata profectus est, ut ii vi privilegiorum nostrorum Sacerdotio initiarentur. Paucis demum diebus ante Christi Domini ascensionem anno millesimo octingentesimo quinto cum quatuor sacerdotibus et nonnullis studentibus Thabore discedens Trybergium se contulit. Iter per pedes factum est, per totam diem pluebat, ad cutem madefacti ac tribus vel quatuor leucis adhuc distantes a Trybergio nec diversorium invenientes primam, quae se obtulit, rusticam villam ingressi sumus. Pater Hofbauer pro coena bonum jusculum et in horreo stramina pro lecto praeparari jussit. Vestes madidae vespere depositae, madidae mane assumptae, sed Servi Dei exemplum quamcumque querelam et impatientiam suffocabat in omnium animis. Summa cum teneritudine et cordialitate Trybergenses nos exceperunt. Tota civitas advenientes missionarios ad Sanctuarium est comitata, et satis longa thaumathurgae imaginis veneratione peracta, iidem in habitationem sunt conducti. Haec erat in domo spatiosa cum duabus contignationibus, quarum secunda senibus presbyteris, prima autem cum infima (*piano terreno*) Patri Hofbauer tradita fuit. Nunc manus labori admotae. Festum Ascensionis Domini prope aderat et missionariorum adventu longe lateque notificato peregrinorum millia complura concurrerunt, quorum dimidiam partem ecclesia, quamvis spatiosissima, capere nequibat. Servus Dei prima vice ascendit pulpitum. Effectus quem produxit, extraordinarius fuit, imo isti Sanctuario totam fiduciam et auctoritatem recuperasse potest dici. Scio, eo tempore nonnullos voto peregrinandi ad Beatam Mariam Virginem in Einsiedeln obstrictos ejus dispensationem impetrasse ut Trybergium possent peregrinari. Qualis praeclarus successus a tali initio erat expectandus? Peregrinantes turmatim confluxere, sacra tribunalia occupantes

§ 43. *Legati ex oppido Tryberg mittuntur, a Servo Dei evangelicos operarios petentes.*

§ 44. *Qui eorum desiderio satisfacere curavit.*

§ 45. *Et ipse Trybergium se contulit.*

§ 46. *Missionum exercitia cum maxima celebritate et fructu uberrimo Trybergii peracta.*

a primo mane usque ad noctem. Plerumque ipse Pater Hofbauer panem vitae frangebat populo isti esurienti, cui non inania et ornata verba, sed fortes et substantiosas praedicabat veritates quae gladii ancipitis instar medullam et ossa penetrabant, et mirabilissimas producebant conversiones. Quin proprias respiceret vires, secundum divini Redemptoris exemplum tradidit totum semetipsum.

Pater Hofbauer pro Dei gloria omnia impendendi adeo peritus duos etiam neosacerdotes Trybergium vocavit, qui ad altare Matris gratiarum primitias Missarum offerrent et fidelibus novas gratias et spirituales afferrent laetitias. Et revera numerus peregrinorum praeter solitum magnus erat, et Pater Hofbauer pium suum finem omnino obtinuerat.

§ 47. *Exinde invidia malevolorum concitata.*

Generis humani inimicus aegre ferebat, per Servum Dei ejusque cooperatores Trybergii tot sibi eripi animas. Furore incitatus tetram suscitavit invidiam in cordibus sacerdotum, qui Sanctuario antea praefuerant. Litteris continuo ad Constantiensem Episcopalem Ordinariatum datis tum conciones tum generatim totum Patris Hofbauer atque sociorum ejus modum operandi zelo animatum tanquam fanaticum et excessivum denuntiarunt. Calumniosis istis relationibus assensum praebuit auctoritas ecclesiastica tunc temporis (ut omnes norunt) modernis imbuta ideis, et liber Baro de Wessenberg, Vicarius generalis, duos praefatos neopresbyteros ab omnibus ecclesiasticis functionibus suspendit, caeterosque Patres quovis modo vexabat et in laboribus spiritualibus impedire quaerebat.

Eodem tempore etiam Sylva nigra cum Brisgovia e manibus Archiducis Ferdinandi transiit ad magnum ducem Badensem, Comitatus quoque Schwarzenbergensis Klettgau cum monte Thabor eidem duci Badensi cedebatur. Utroque auxilio ita privatus angustiatus Pater Hofbauer cognovit, duas istas domos subsistere amplius non posse; Trybergio igitur discedens in Sveviam se contulit, refugium suis quaesiturus.

§ 48. *Dei famulus apud pium Principem Fugger Babenhusiae excipitur.*

Divina Providentia ad regnantem Principem Fugger Babenhusiam eum conduxit. Pius iste Princeps benignissime excepti Patris Hofbauer simplici angustiarum expositione audita lubenti animo ei concessit, ut cum suis Babenhusiae domicilium poneret. Quo facto Pater Hofbauer Augustam Vindelicorum ad sedem Episcopalem se contulit, cum Domino de Nigg, Vicario (in spiritualibus) generali Episcopi Clementis Wenceslai, quoad jurisdictionem ecclesiasticam rem compositurus. Dominus de Nigg, a longo tempore jam permagno affectu in Patrem Hofbauer ferebatur talique modo res mox erat composita. Itaque Servus Dei Babenhusiae parvam domum mercede conduxit, quo exeunte Novembre anni 1805. omnes Sacerdotes et clericos ex monte Thabor vocavit. Qui Trybergii morabantur, per plures menses ibi adhuc remanserunt. Pater Hofbauer, ob domus angustiam cum communitate cohabitare non valens, pernoctavit apud Dominum

parochum in Weinried (horae quadrante paullo plus a Babenhusia distante), summo autem mane quotidie illuc remeabat. In eadem parochia Weinried summopere laborabat Servus Dei et tum concionando tum confessiones excipiendo brevi eo rem perduxit, ut in aliam omnino mutaretur ista parochia. Majores adhuc et plures conversiones Servus Dei effecit in Kirchhaslach, pago cum sanctuario, quo saepius sese conferebat cum Patre Sabelli, ut spirituale ferret auxilium. Sola fama, Patrem Hofbauer aliquo in loco verbum Dei annuntiaturum, turmatim attraxit populum ex regionibus plures leucas distantibus. Junioribus studentibus Babenhusiae paternae charitatis ipse peculiaria praebuit argumenta, interveniens nempe saepius eorum lectionibus, congaudens de eorum profectu, et eorum fervorem et studia incitare satagens exemplo suo, quod illis proposuit ex tempore suorum studiorum. Inter alia praemia illud eis concessit, ut se redeuntem in Weinried comitari possent, qua occasione usus est ad eos saluberrimis et jucundissimis colloquiis instruendos. Ibi etiam toti communitati exemplum dedit charitatis et humilitatis, nunquam oblivione obliterandum. Tempus advenerat quadragesimale, et cum coquus domesticus artis culinariae penitus esset ignarus, admirabili charitate et humilitate Pater Hofbauer ejus munus haud jucundum in se suscepit, cibos sanos per totam quadragesimam communitati praeparabat, mensae assidebat, nil manducans, solitus hoc sacro tempore semel in die comedere, nempe vespere.

§ 49. *Apostolici labores S. D. in paroecia* Weinried *et in pago* Kirchhaslach.

§ 50. *Eximia humilitate et charitate S. D. coqui officium suscipit.*

Duos annos in praefatis domibus commoratus Varsaviam rediit, multas tribulationes et persecutiones ibi perpessurus. De suppressione domus Varsaviensis (facta anno 1808.) ex ore oculatorum testium jam defunctorum haec deponere possum: Quodam die Pater Hofbauer coram Sanctissimo Sacramento recitans officium, cum ad illum venisset versum: « *Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea, exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus* » repente in omnibus membris sensit concussionem et tremorem. Intermittens et cogitans, quid hoc sibi vellet, et secundo idem persentiens cognovit, gravem sibi imminere calamitatem. Humilians igitur sese sub potenti manu Dei totum se ejus divinae submisit voluntati. Subsequenti die publicae securitatis tuendae administer quidam (un' impiegato di polizia) et speciali amicitia Patri Hofbauer devinctus, mutata veste venit et cum Patre Hofbauer solo loqui desiderabat. Cui indicavit, decretum supprimendae domus jam esse subsignatum; provideret ergo necessaria, scripta perlustraret et pretiosiores res absconderet alicubi, ex domo eum nihil amplius efferre posse, custodiis ubique collocatis. Pater Hofbauer vocatum Patrem Jestersheim, tunc Rectorem, jussit omnia perquirere scripta, et quae possent afferre incommoda, comburere. Tunc convocatae toti communitati indi-

§ 51. *Contra S. D. Varsaviam reversum acris persecutio excitatur.*

§ 52. *Editur decretum supprimendae domus Varsaviensis.*

cto strictissimo silentio tristem communicavit nuntium. Vasa omnia pretiosa et sacri ornatus in crypta abscondita, omnibusque Congregatis parum pecuniae et linteorum paratum fuit. Die adveniente infausto, plures currus ante conventum ducti fuerunt. Commissarius totam deinde convocavit communitatem. Plures Patres tum in pulpito tum in sacro Tribunali adhuc occupati sub obedientia a fratre laico vocati in refectorio convenerunt. Ibi commissarius lecto suppressionis decreto eos monuit, ut sine oppositione sorti inevitabili sese submitterent. Qui subito lintea praeparata quaerebant et prout Commissarius jubebat, consederunt in curribus, et cum unus impletus esset currus, discessit circumdatus sex militibus. Diversis viis procedebant et vespere eodem quasi tempore in arcem Küstrin venerunt, ubi benigne excepti et per quatuor hebdomadas sustentati fuerunt. Inde Patres sunt dimissi in patriam, et ita Pater Hofbauer venit Vindobonam, ubi ad mortem usque permansit.

§ 53. *Dei Famulus manu militari domo et Varsavia educitur.*

§ 54. *Et Vindobonam pervenit.*

In fine hic notare possum insistente Servo Dei Patrem Forthuber Friburgio in Helvetia Vindobonam et inde cum nonnullis confratribus in Valachiam esse profectum Missionis domum fundatum. »

§ 55. *Curante Servo Dei Missionarii in Valachiam proficiscuntur.*

V. Testis *juxta* 20. *Interr. Proc. fol.* 196. *ter. respondit*: « Quam egregie et fructuose Servus Dei laborasset Varsaviae, narraverunt mihi plures Congregationis Sacerdotes, testes oculati, quorum adducere possum Patrem Sabelli, Patrem Appenzeller, Patrem Czech, Fratrem Norbertum Spitznagel. Insolitus erat concursus populi ad sacras functiones, tum audiendi conciones, tum confitendi ergo. Sacrae functiones summa cum solemnitate celebrabantur, Sanctissimum quotidie erat expositum, quovis die plures habebantur conciones, quatuor vel quinque diversis in idiomatibus, polonico, germanico, et gallico. Continua ibi erat Missio, et vitae catholicae resuscitatio penitus insolita feliciter inde est secuta. Patres seniores iidemque testes oculati, Pater Joseph Hofbauer, Pater Sabelli, Pater Hartmann aliique de fundatione domus Thaborensis prope Iestetten in Magno Ducato Badensi haec mihi saepe narrarunt. Labores pro salute animarum exantlati zelo fidelium compensabantur, quo ad sacrum Tribunal accurrebant, et verbum Dei audiebant. Patres ibi vitam degebant miserrimam, sed nequaquam ideo remittebant fervorem. Ego sacrae interfui missioni Trybergii (olim Dioecesis Constantiensis), ubi Servus Dei domum Congregationis fundaverat, anno vero subsequenti ob exortam revolutionem eversam. Ista sacra Missio habita fuit anno 1850. et tunc adhuc vestigia inveni eorum, quae operatus fuerat ibi Pater Hofbauer. Venerabundo et inflammato corde complures missioni intervenientes locuti sunt de fructibus ex Patris Hofbauer industria anno 1804. manantibus. Puer quidam, quem tunc Pater Hofbauer attraxerat, studiis incubuit et ingressus Congregationem adhuc in ea vivit qua mis-

§ 56. *Excellens Servi Dei zelus Varsaviae demonstratus.*

§ 57. *Et in missione Trybergensi.*

sionarius, nomine Kaltenbach, nunc mente debilis. Babenhusia et regio circumiacens multiplicem Servo Dei dedit occasionem, zelo sacerdotali satisfaciendi a Deo uberrimo fructu compensato. Verbum Dei ab hoc homine Dei praedicatum integras turmas ex plurium leucarum distantia in ecclesias traxit, in quibus concionabatur. Nec mulieres tantum, sed et viri juvenesque hilares longe lateque concurrentes ipsum sequebantur, prout olim populus Dominum in desertum secutus fuerat. Innumerabiles conversiones, mirabiles integrarum familiarum contigerunt mutationes. Haec mihi retulit senex Pater Sebastianus Heberle, qui eo tempore unus ex hilaribus illis juvenibus ad conciones Servi Dei accurrit et conversus Congregationi nomen dedit, factusque sacerdos magnus in Helvetia fuit missionarius. Anno 1825. Babenhusiam profectus Principem de Fugger pluresque ejus regionis invisi familias. Omnes adhuc meminerunt Servi Dei ejusque sancta monita novae annuntiarunt generationi. De Servi Dei studio, Congregationis suae domum fundandi Vindobonae, quae sequuntur, adducere possum. Servus Dei eo tempore, quo ego ejus fruebar familiaritate, juvenes et discipulos collegit, quos praepararet ad statum religiosum quosque jam tunc ad aliorum conversionem et fidei catholicae propagationem cooperari volebat. Die quoddam mihi locutus est de sancto zelo, quo quilibet inflammatus esse deberet, lucrandi animas. Respondenti mihi: « Vestrae Reverentiae haec facile procedunt, nos caeteri similes sumus militi sine armis » ipse Evangelium aperiens caput XIV. versum 23. Lucae legit: « *Compelle intrare.* »

§ 58. *Populi turbas ingentes concionans D. F. ad se trahebat cum mirabili conversionum fructu.*

§ 59. *Memoria Servi Dei post ejus obitum Babenhusiae perduravit.*

X. Testis *juxta* 20. *Interrog. Proc. fol.* 292. *respondit*: « De fundatione domus missionis Varsaviae saepe locutus est Pater Hofbauer referens, quae difficultates simul essent exortae, quomodo saepe rebus summe necessariis carerent, sed cum successu laborum spiritualium amicos demum fuisse inventos, multis in necessitatibus auxilium et opem ferentes, quam pulchra fuisset Sancti Bennonis ecclesia et similia.

§ 60. *Gravibus difficultatibus occurrit, ut missionis domum Varsaviae constituat.*

Pariter Pater Hofbauer nobis narravit, se Varsaviae diversa tum pro educandis miseris orphanis, tum pro tuendis inopibus puellis erexisse instituta, ac illud etiam, Varsavia se cum Sacerdotibus suis violente fuisse expulsum.

Patrem Hofbauer Congregationem suam Vindobonae introducere admodum desiderasse, ipse nobis dixit, et discipulorum ejus numerum in dies crevisse, ipsae nos vidimus, quorum hic nominare possum: Patrem Stark, sacerdotio jam initiatum, Madlener, Springer, Kosmacek, Prügel, Weidlich, Veith, qui omnes postea Congregationis facti sunt sacerdotes.

§ 61. *Vindobonae Instituta moliebatur ad juventutem catholice educandam.*

Pro juventute secundum principia catholica educanda Pater Hofbauer Vindobonae propriam erigere quaerebat institutionem, sed gubernii oppositio executioni obfuit, quam ob

causam Servus Dei aliud simile fundavit institutum per multos annos feliciter subsistens. In Valachiam etiam Pater Hofbauer (anno 1815) plures misit sacerdotes, quorum duos coram cognovi, Patrem Libotzki et Patrem Haetscher, qui ibidem, prout Pater Hofbauer nobis narravit, pro salute animarum plurima effecerunt bona. »

§ 62. *Zelus Servi Dei usque in Daciam extenditur.*

I. Testis *juxta Interrog.* 20. *Proc. fol.* 100. *respondit*: « Ex Patris Hofbauer ore novi, Varsaviae ipsum in orphanotrophio operam impendisse, infantes lavando, pectinando etc. »

§ 63. *Apostolici labores Servi Dei in civitate Vindobonae.*

Rursus XXV. Testis *juxta* 19. *Interrog. fol.* 512: « Propria experientia scio, Patrem Hofbauer anno millesimo octingentesimo octavo, Vindobonam venientem primum in Italorum ecclesia, ac postea in ecclesia Ursulinarum qua ecclesiae rectorem et monialium confessarium in sacro Tribunali et in pulpito usque ad obitum laborasse. Ursulinarum ecclesiae sacristia quotidie a mane usque ad seram horam antemeridianam plena erat poenitentibus, ad Servi Dei confessionale expectantibus, donec ordo eos tangeret. »

§ 64. *Curat S. D. domos Congregationis suae fundari in Polonia, Helvetia, Germania et Valachia.*

Et juxta 20. *Interrog. Proc. fol.* 512. *ter. respondit*: « Scio ex relatione hominum, qui non solum P. Hofbauer coaevi sed et ipsi in parte rei erant, Patrem Hofbauer praeter Varsaviensem plures alias religiosas domos in Polonia fundasse nec non in Valesia Helvetiae, et deinde in pluribus Germaniae principatibus; novi etiam, Patrem Hofbauer discipulorum suorum plures misisse in Valachiam, unde post Patris Hofbauer obitum Vindobonam revocati sunt anno 1821, et cum pluribus eorum diutius vixi, nempe Patre Libotzki, Haetscher, et Forthuber. »

§ 65. *S. D. confessarius monialium Ursulinarum Vindobonae.*

§ 66. *Omne vitae suae tempus impendit Vindobonae, ut animas lucraretur.*

Rursus V. Testis *juxta* 19. *Interrog. Proc. fol.* 195. *ter. respondit*: « Scio, Servum Dei ab anno 1813 ad annum 1820 confessarium fuisse monialium Sanctae Ursulae et in domo ad istas moniales pertinente in viculo Seilerstätte habitasse; scio etiam, eum tum in hoc munere tum generatim istis annis et in pulpito et in sacro Tribunali etc. praeclare laborasse. Vidi Servum Dei primo mane surgere, conferre sese in Ursulinarum ecclesiam, orare diu coram Jesu in Sanctissimo Sacramento summa humilitate in genua prostratum, cum desiderio ibi expectare poenitentes et per plures horas eorum spiritualibus in sacro Tribunali satisfacere necessitatibus, insolita devotione et cordis compunctione celebrare sanctam Missam conventualem, et sacram synaxim tum fidelibus tum monialibus administrare. Poenitentium numerus haud exiguus erat, qui diebus dominicis et festis duplo et triplo crescebat, benedicente Deo saluti animarum visibili penitus modo. »

XIX. Testis *juxta* 17. *interr. Proc. fol.* 416 *respondit*: « Certum est, Patrem Hofbauer Vicarii generalis munus pro regionibus borealibus obtinuisse.

Et juxta 19. *Interrog. fol. eod. respondit*: » Certe scio, Patrem Hofbauer Vindobonae primo Italorum ecclesiae directorem

fuisse, et cum Patre Stark in domo contigua apud Liberum Baronem Penkler habitasse, donec exeunte Maio anni 1813. confessarius Monialium Sanctae Ursulae renuntiaretur.

Et juxta 22. *Interr. Proc. fol.* 421. *ter. respondit*: « Libentissime aegrotis assistebat. Si quis confiteri omnino recusaret, Patrem Clementem vocarunt, qui Sanctum Rosarium recitando et suaviter hortando peccatores etiam obstinatissimos convertit. »

II. Testis *juxta* 31. *Interrog. Proc. fol.* 163. *respondit*: « Qualem nunc post quadraginta quatuor annos ante oculos habeo Servum Dei, talis omnino eo tempore mihi probatus est vivus, nempe: « vir summopere amabilis, suavis, simplex, humilis, prudens, in charitate radicatus, amore Dei et proximi fervens, in fide firmissimus, supra modum misericors, sua non quaerens, sed quae Jesu Christi, in fide et charitate vere apostolicus, omnibus omnia esse intendens, gratia Dei abundans ».

§ 67. *Animi Servi Dei imago cum Philippo Nerio et Vincentio a Paulo comparanda*

« Secundum eam, quam tunc habui hodieque habeo opinionem, non dubito pro peculiari, quo agebat modo, comparare eum cum Sancto Philippo Nerio et Sancto Vincentio de Paulo; tametsi enim opera tam splendida et ampla non perfecit, prout magni isti duo viri, hoc regionum septentrionalium conditionibus et temporum injuriis, labores sanctosque ejus conatus toties pervertentibus, est imputandum. In ea, quam exercebat in hominum corda, auctoritate aliis sanctis viris vix fuerit secundus. »

Concordat Testis XXV. juxta 31. *Interr. Proc. fol.* 524. *ter.*

§ 68. *Vindobonae Apostolus concordi civium suffragio est appellatus.*

III. Testis *juxta* 31. *Interrog. Proc. fol.* 177. *ter. respondit*: « Testari hoc loco debeo, Patrem Hofbauer et Fridericum Werner Apostolos Vindobonae communi voce fuisse compellatos. »

XXIV. Testis *juxta* 37. *Interr. fol.* 505. *respondit*: « Deponere debeo, me totam Patris Hofbauer vitam miraculum reputare; alioquin intelligi nequiret, quomodo homo adeo simplex et rectus tot millia conversionum efficere potuisset, quin imo, quomodo per eum, ut ita dicam, totum saeculum, in quo vivebat, ad meliores fruges quoad religionem fuerit conversum. »

Plurima Testimonia hic omittuntur, cum in sequentibus numeris diffusius de zelo Ven. Servi Dei pro fidei propagatione, pro peccatorum conversione, pro pauperibus et infirmis sublevandis, etc. sermo erit.

(Ex Processu Apostolico)

Num 7. *De virtutibus in genere V. S. D.*

I. Testis *juxta* 30. *Interr. fol.* 166. *respondit*: « Quaecumque de Ven. Servo Dei unquam et quocumque modo mihi innotuerunt, sive ex propria observatione, sive ex relationibus virorum fide dignorum, inter quos plures per aliquot annos immediate cum eo conversati sunt, ut Pater Srna

§ 1.
Testes omnes concordi suffragio affirmant, heroicis virtutibus praeditum fuisse Ven. S. D.

et Pater Czech, Pater Stark, Pater Pajalich et Pater Roeger, alii frequentissime cum ipso tractabant, uti Pater Rinn, Societatis Jesu, Fridericus Klinkowström, qui institutum educationi inserviens possidebat, Müller, consiliarius aulicus, viri speciali mentione digni, me obligant ad deponendum, ipsum semper tum praecepta divina, tum nostrae Sanctae Ecclesiae et proprii status obligationes et vota emissa religiosissime, exacte, perfecte et eo modo adimplevisse prout sanctos decet. Totam vitam (ita dicendum est) augendae gloriae Dei, propagandae Sanctae Ecclesiae et saluti animarum immortalium impendit. Nihil mihi unquam innotuit, quod dictis virtutibus fuisset contrarium. »

Et *juxta* 33. *Interr. fol.* 186. *respondit*: « Ad hoc Interrogatorium jam respondi, omnes virtutes a Venerabili Servo Dei in gradu heroico fuisse exercitatas, et si in qua virtute hoc non satis declaravi, jam huic defectui hisce suppleo. Persuasum quoque mihi est, responsis ad praecedens Interrogatorium factis, quantum fieri potest probasse, virtutes Venerabilis Servi Dei ad gradum heroicum pertigisse, dicere intendo, Venerabilem Servum Dei omnes virtutes quibuscumque sub circumstantiis et conditionibus etiam difficillimis cum facilitate, alacritate, constantia et perseverantia, modo plane insolito et extraordinario, exercuisse, ita ut ab omnibus tamquam sacerdos sanctus recognosceretur, qui modo plusquam solito prae caeteris sacerdotibus, eo tempore viventibus, quamvis valde piis, eminebat. »

II. Testis *juxta* 30. *et* 31. *Interr. fol.* 222. *ter. respondit*: « Utique testari possum, Ven. Servum Dei per omne illud tempus, quo eum observandi occasionem habui, cunctis suis obligationibus plenissime satisfecisse.

Quae de Ven. Servo Dei scio, officium mihi injungunt attestandi, ipsum omnibus virtutibus christianis ornatum fuisse. Admiratus sum in eo aciem mentis, sobrietatem spiritus, continuum orandi zelum, constantiam inconcussam virtutum studium nunquam intermissum perfectionis, amabilem urbanitatem in usu nobilium et plebejorum, magnam prudentiam in agendo, sinceram gratitudinem pro benefactis, animum intrepidum inter persecutiones, magnam modestiam in verbis et factis, suavitatem teneram in docendo et corrigendo, inexhaustam beneficentiam erga egenos, extraordinariam temperantiam, cum ageretur de propria persona, magnam vigilantiam ad tuendam puritatem cordis, circumspectionem in regimine animarum, nec non sacram industriam coelestibus benedictionibus plenam, studium et obsequium erga Sedem Romanam, singularem vigilantiam circa puritatem doctrinae catholicae, fidem vivam, spei constantiam imperturbatam, charitatem Dei et proximi ad omnia sacrificia paratam, voluntatis submissionem in sufferendis doloribus physicis et moralibus, fortitudinem in quibusvis vitae aerumnis, et in omnibus hisce virtutibus perseverantiam invariabilem usque ad finem vitae. »

Et *juxta* 33. *Interr. fol.* 223. *ter. respondit*: « Ven. Servus Dei virtutes suas in gradu tam insolito et eminenti exercuit, ut bene affirmari possit, ejus virtutes in gradu heroico substitisse. Haec mea depositio tum in propria scientia, tum dictis discipulorum Venerabilis Servi Dei, qui juxta meam persuasionem plenam fidem merentur, fundata est. »

III. Testis *juxta* 30. *Interr. fol.* 236. *respondit*: « Quod plene mihi persuasum est, hicce enuntio; scilicet Venerabilem Servum Dei omnibus obligationibus suis religiosissime satisfecisse. Zelo pro honore Dei et salute animarum ita eminebat, ut de eo dici possit: « Zelus domus Dei comedit eum ».

Et *juxta Interr.* 31. *eod. fol. respondit*: « Juxta meam persuasionem sacra industria coelestibus benedictionibus abundans Venerabilis Servi Dei non poterat tantos effectus producere, nisi omnes virtutes christianas modo excellenti exercuisset. . »

Et *juxta* 33. *Interr. fol.* 242. *respondit*: » Omnes relationes, quae mihi de vita virtuosa Venerabilis Servi Dei factae sunt, eo me adduxerunt, ut cum certa persuasione edicere possim, ipsum virtutes suas in gradu heroico exercuisse. Omnes enim virtutes in cunctis etiam prorsus contrariis circumstantiis cum hilaritate semper sibi aequali et nulla re turbata et cum perseverantia adeo firma exercuit, ut crederes, eas fuisse illi ingenitas. Aliud argumentum virtutum heroicarum mihi est circumstantia, quod Venerabilis Servus Dei inter suos coaetaneos ita eminebat, ut oculos et admirationem omnium christianorum recte sententium ad se attraheret, et sua sacra industria effectus extraordinarios Vindobonae produceret, qui futuris temporibus Vindobonae normam darent. »

IV. Testis *juxta* 30. *Interr. fol.* 257. *respondit*: « Ven. Servum Dei omnibus obligationibus suis exactissime satisfecisse, non est dubitandum: mihi quidem nihil unquam innotuit, quod hanc meam persuasionem perturbare posset. »

Et *juxta* 33. *Interr. fol.* 258. *respondit*: « Ex iis, quae de Ven. Servo Dei audivi vel ipse observavi, indubitatum mihi videtur, Venerabilem Servum Dei virtutes in gradu heroico possedisse: dicere volo, ejus virtutes, gradum plane insolitum attigisse, et a Venerabili Servo Dei fortiter et constanter cum alacri animo, et facilitate esse exercitas, et in quibuscumque circumstantiis fuisse fideliter servatas. »

VII· Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 305. *respondit*. « Tenendum est, ipsum omnes obligationes suas semper religiosissime adimplevisse. Cum summo semper studio in id incubuit, ut alios ad perfectionem induceret, bono exemplo praeiret, et vivo animarum zelo plenus ubique honorem Dei augmentare studeret. Nihil unquam in eo observavi, quod quacumque obligationibus suis contradixisset, nec unquam audivi, hac in parte quidquam in eo deprehensum fuisse. »

Et *juxta* 33. *Interr. fol.* 315. *ter. respondit*: « Juxta meam persuasionem Venerabilis Servus Dei virtutes quibus ornatus fuit, in gradu heroico exercuit; semper enim ad perfectiora tendebat, et virtutum exercitia etiam in difficillimis circumstantiis fideliter observavit. »

VIII. Testis *juxta* 30. *Interr. fol.* 344. *respondit*: « Dubitari non potest, Ven. Servum Dei omnes obligationes suas religiosissime observasse. In omnibus quae fecit, nihil unquam detegere potui, quod ex minima parte imperfectum videretur. Ejus vita erat penitus perfecta et sancta, exemplum omnibus et maxime suis sacerdotibus.

Et *juxta* 33. *Interr. fol.* 360. *respondit:* « Secundum scientiam quam de Ven. Servo Dei habeo, minime dubitandum est, ipsum virtutes in gradu heroico possedisse, quod de omnibus virtutibus dictum valet. Si quis virtutes cum summa sui ipsius abnegatione, quacumque occasione et inter quascumque circumstantias in modo extraordinario exerceat, tunc hae virtutes heroicae dicendae mihi videntur. Qui sicut ego Venerabilem Servum Dei diu et proxime, et sine intermissione observare poterat, testimonium ei reddere debet, ipsum non solum sacerdotem virtutibus ornatum et zelo animarum plenum in sensu communi fuisse, sed juxta meam intelligentiam sanctum fuisse: nam non solum multis illis annis, quibus beata sors mihi contigit, ut ejus directioni spirituali subjecta essem, nihil unquam vidi nec audivi, aut experiri potui, quod ejus virtutem vel minime obumbrasset, sed e contra profitendum est, virtutes in eo resplendentes extraordinarias esse dicendas. Nullae difficultates et impedimenta, quae ipsi in exercitio virtutum et in sacro ministerio certo saepissime obvenerunt, nullae adversitates et persecutiones, quarum minime erat expers, nullae tentationes, infirmitates et molestiae ejus virtutem concutere valebant. Quovis tempore, quibusvis sub circumstantiis et miseriis, quas Deus ei immisit, comparuit tamquam exemplar virtutis, quae modo exercenda erat, tamquam exemplar extraordinarium sanctitatis. Nec ipsi ejus adversarii quidquam ejus Sanctitati contrarium proferre poterant. »

IX. Testis *juxta* 30. *Interr. fol.* 383. *respondit:* « In Ven. Servo Dei ne minimum quidem observabas, quod non plenissime cum praeceptis Dei et Ecclesiae vel quibuscumque particularibus obligationibus status sui concordabat, aut majorem Dei gloriam, aut animarum salutem non intendebat. »

Et *juxta* 33. *Interr. fol.* 419. *ter. respondit:* « Facile videre poteras, Venerabilem Servum Dei omnes virtutes in gradu heroico exercuisse. Dicere volo, ipsum virtutes in perfectiori gradu exercere non potuisse; et constanter eas exercuit. Cum facilitate, imo cum gaudio eas exercuit, quamvis in conditionibus difficilibus positus fuisset. »

X. Testis (Emus Card. de Rauscher), *fol.* 447. *ter. declaravit.* : « Quae vidi seu audivi, extraordinariis eum virtutibus gratiaeque donis ornatum esse demonstrabant. »

Et *folio* 448 : » Itaque in nomine Dei, qui glorificatur in Sanctis suis, adgredior ad exponendum et confirmandum ea, quae de viro, Sanctorum fidei, caritatis operumque aemulatore, quam optime poteram, retuli, »

XVII. Testis *juxta* 30, 31. *et* 33. *Interr. fol.* 601. *respondit* : « Mihi utique persuasum est, Venerabilem Servum Dei omnia praecepta Dei et Ecclesiae, nec non particulares obligationes Religionis et vocationis suae religiosissime observasse. Sed aliam depositionem de hac re facere non pos sum. »

« Pro certo teneo, Venerabilem Servum Dei omnibus virtutibus fuisse ornatum, et agendo exercuisse, quod concio nando et confessiones audiendo aliis inculcavit. »

« Credo utique Venerabilem Servum Dei virtutes in gradu extraordinario et insolito et heroico exercuisse. »

XXIII. Testis I. ex officio, *juxta* 33. *Interr. fol.* 693. « Ex omnibus quae in Ven. Servo Dei observavi, et quae unquam de ejus virtutibus audivi, concludendum mihi videtur ipsum virtutes in gradu heroico, dicere volo in gradu insolito, qualis nec in personis ordinarie piis invenitur, exercuisse et nullam occasionem exercendae virtutis omisisse. »

XXIV. Testis II. ex officio, *juxta* 31. *Interr. fol.* 746. *ter. respondit* : « Quaecumque mihi de virtutibus Ven. Servi Dei innotuerunt, eum tamquam virum vere sanctum, qui virtutes theologicas et morales in gradu heroico possidebat, exhibent. »

Et *juxta* 33. *Interr. fol.* 759. *respondit* : « Quaecumque unquam de Ven. Servo Dei audivi, probant, ipsum tum virtutes theologicas, tum morales in gradu heroico exercuisse ; aliquod contrarium nunquam scivi. Heroica virtus mihi illa est, quae a Sanctis (igitur non ab hominibus ordinariis quamvis piis) modo eminenti cum alacritate, facilitate, constantia et perseverantia, non obstantibus magnis impedimentis, exerceri solet. »

Concordant Testis V. *fol.* 268, Testis VI. *juxta* 31. *et* 33. *Interr. fol.* 281. Testis XI. *juxta* 31. *et* 33. *Interr. fol.* 533. *ter.* Testis XV. *juxta* 30 *et* 33 *Interr. fol.* 576, Testis XVIII. *juxta* 30, 31 *et* 33 *Interr. fol.* 615, Testis XIX. *juxta* 30, 31 *et* 33 *Interr. fol.* 624, Testis XXI. *juxta* 30 *et* 31 *Interr. fol.* 645.

(Ex Processu Ordinario)

I. Testis *juxta* 23 *Interr. Proc. fol.* 113 *ter. respondit* : « Juxta ea, quae jam deposui, Servum Dei omnes virtutes, de quibus in Interrogatorio vigesimo secundo erat sermo, heroico in gradu possedisse reor; tales enim, quales in eo

observavi, in nullo hominum eas unquam vidi. Has quoque virtutes insolita prorsus promptitudine, facilitate et alacritate exercuit, reorque meas depositiones ad interrogatorium vigesimum secundum factas satis adstruere harum virtutum heroicitatem. »

II. Testis *juxta* 23. *Interr. Proc. fol.* 154. *respondit*: « Servum Dei christianas virtutes in gradu heroico constantissime exercuisse, nunquam non persuasum habui. Per heroismum intelligo summam virium applicationem, plenam vim fidei, habitualem sui ipsius abnegationem in raro gradu, perseverantiam, summam intentionis puritatem, animum inconcussum tum in operando, tum in patiendo pro Dei et Ecclesiae gloria, et misericordiam eam, quae in sacris paginis his exprimitur verbis: « Per viscera misericordiae ». Quas virtutes ad mortem usque eum exercuisse, de ultimis saltem vitae annis asserere possum. Quoad anteactam vitam ipse quandoque declaravit, quae passus esset, neminem in hoc mundo scire, novissimo die omnia fore manifesta. »

III. Testis *juxta* 23. *Interr. Proc. fol.* 176. *respondit*: « Patet persuasio mea, Patrem Hofbauer omnes virtutes in gradu summo et insolito exercuisse. Cum vivum eum jam sanctum reputarem, demortui reliquias obtinere studui, quas magna semper in veneratione habui et adhuc habeo. »

IV. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 187. *ter. respondit*: « Vir erat juxta cor Dei plenus simplicitate et charitate.

Et juxta 22. *Interr. Proc. fol.* 188. *ter. respondit*: « Ego quomodo operabatur et vivebat, generatim solum observavi et ista innixus observatione appellare eum debeo exemplar virtutum pro omnibus.

Et juxta 23. *Interr. Proc. fol.* 189. *respondit*: « Quod si eum hominem juxta cor Dei appellavi, his verbis meam expressi persuasionem, eum nempe omnes virtutes in gradu heroico, id est, tam insolito exercuisse prout rarissime inveniuntur. »

V. Testis *juxta* 23. *Interr. Proc. fol.* 210. *respondit*: « Ex intima persuasione hoc attestari possum, Servum Dei omnes virtutes christianas in gradu heroico exercuisse. Eas enim in gradu tam sublimi possidebat, ut sine specialissima Dei gratia perfectius eas exercere nequisset. Monstrabat Servus Dei promptitudinem et facilitatem quamdam in his virtutibus exercendis, quibus mirum in modum caeteros longe superabat Servus Dei homines, tantumque abest, ut quod his virtutibus officeret, notarem, ut istarum exercitium ad venerationem continue me moveret et admirationem. »

VI. Testis *juxta* 23. *Interr. Proc. fol.* 234. *ter. respondit*: « Scio, Servum Dei christianas virtutes habuisse in gradu heroico, volo dicere, eum has virtutes exercuisse in gradu summo, idque probasse etiam in omnibus conditionibus et in difficillimis etiam circumstantiis. Heroico harum virtutum gradui contrarium quid, sive verba, sive facta, nunquam vidi, quamdiu fui prope eum. Confiteri possum, me omni

bus depositionibus hucusque de ejus virtutibus factis aliud non intendisse, nisi comprobare, Servum Dei omnes christianas virtutes exercitasse in gradu heroico.

VIII. Testis *juxta* 23. *Interr. Proc. fol.* 256. *respondit*: « Christianas virtutes Servum Dei non solum in magno, sed in maximo habuisse gradu edicere audeo, eas enim in omnibus vitae circumstantiis, in rebus prosperis et adversis, et sine intermissione exercuit, idem semper manens. »

X. Testis *juxta* 23. *Interr. Proc. fol.* 298. *respondit*: « Utique! istae virtutes christianae in Servo Dei heroico in gradu fuere; eas enim ubique, quavis occasione, quacumque in circumstantia et continuo in summo gradu exercuit, prout in aliis, etiam piis personis, eas non vidi. »

XII. Testis *juxta* 23. *Interr. Proc. fol.* 328. *respondit*: « Christianas virtutes a Servo Dei in gradu extraordinario, insolito, heroico fuisse exercitas ego credo. Ejus virtutum praestantia in aliis iisque piis personis non est inventa. »

XV. Testis *juxta* 23. *Interr. Proc. fol.* 377. *ter. respondit*: « In quantum virtutes Servi Dei observare potui, profiteri possum, eas in gradu extraordinario et insolito, difficiles etiam inter circumstantias et alacri exercitas esse animo. Quod heroico virtutum gradui obfuisset, nunquam in Servo Dei observavi. »

XVI. Testis *juxta* 23. *Interr. Proc. fol.* 387. *ter. respondit*: « Certe Pater Hofbauer christianas virtutes heroico in gradu exercuit; cum enim proposuisset, pietatem et mores ejus temporis strenue laborando promovere, quasi subito exortae sunt partes in id incumbentes, ut ejus efficaciam quocumque modo possent, impedirent; sed Servus Dei haud perturbatus, a fine sibi proposito ne unguem latum quidem descivit. Obligatum me reputo hoc Servo Dei reddere testimonium, virtutes christianas ab eo exercitas fuisse in gradu insolito, nec non me unquam in eo aliquid observasse nec in verbis nec in factis, quod heroico virtutum gradui fuisset contrarium. »

XVII. Testis *juxta* 23. *Interr. Proc. fol.* 449. *ter. respondit*: « Christianae Patris Clementis Mariae Hofbauer virtutes omnes revera habebant notas gradus heroici nempe 1. Praeprimis ejus Fides, Spes, et Charitas, prout et Humilitas, Mansuetudo, Patientia, Fortitudo, et amor proximi, in totum ejus animum eam habebant facilitatem et potestatem, ut in difficillimis etiam conditionibus et gravissimis tentationibus esset constans. 2. Ejus etiam opera extraordinario in gradu lucebant nullo admixto defectu. 3. Etiam in rebus parvis vigilantia ejus et fidelitas erat vere heroica. Hic virtutum ejus et operum gradus heroicus non solum usque ad vitae finem perduravit, sed in eo ipso ad perfectionis apicem pervenit. Eum unquam declinasse ab ista dominante heroica mente et vi operandi, non observavi.

Idem juxta 22. *Interr. Proc. fol.* 443. *ter. respondit*: « In sum-

ma tum ego tum omnes, qui intimo eum noverant, in Patre Clemente Hofbauer perfectum sacerdotem et religiosum semper et omnibus in rebus observavimus. Eum in omnibus orationibus, laboribus, et aerumnis exemplum solummodo Christi et Sanctorum ante oculos et in corde habuisse, clare patebat. Nunquam ne cum oculatissima quidem observatione aliquid deprehendi virtutibus christianis contrarium. Mea Patris Hofbauer virtutum cognitio, qualem hic deposui, desumpta est ex triennali familiaritate cum eo habita. »

XIX. Testis *juxta* 23. *Interr. Proc. fol.* 429. *ter. respondit*: « Pro mea persuasione propriae innixa observationi Servus Dei omnes virtutes heroico exercuit in gradu. Nihil in eo unquam vidi huic judicio contrarium. »

XX. Testis *juxta* 23. *Interr. Proc. fol.* 461. *respondit*: « Id jam effatus sum, virtutes christianas a Servo Dei extraordinario, insolito, vere heroico modo fuisse exercitas, nec unquam verba vel facta in eo audivi vel vidi, quae contra heroicum virtutum gradum possent adduci. »

XXII. Testis *juxta* 23. *Interr. Proc. fol.* 483. *ter. respondit*: « Iterato jam enuntiavi persuasionem meam, Servum Dei christianas virtutes in gradu heroico exercuisse, quibus verbis nihil aliud dicere intendebam, nisi eum constanter cum spiritu abnegationis et in gradu extraordinario eas exercuisse. Nec verba nec facta mihi nota sunt, quae adduci possent contra heroicum virtutum gradum. »

XXIV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 500. *ter. respondit*: « Pater Hofbauer vir mihi visus est omnibus christianis virtutibus abunde ornatus, in quo ne minimum quidem deprehendi defectum. »

Et juxta 23. *Interrog. Proc. fol.* 502. *ter. respondit*: « Quodsi hic depono, virtutes christianas a Servo Dei in gradu heroico fuisse exercitas, aliud dicere non intendo, nisi eum non fuisse ordinarium bonum christianum et catholicum hominem, sed ejus virtutes magnitudine et probatione in difficilibus circumstantiis eluxisse; puto etiam, me hunc gradum ejus virtutum jam fuisse testatum, deponendo, in eo ne infirmitates quidem humanas observatas fuisse. Nullo saltem modo aliquid mihi innotuit heroico virtutum gradui contrarium. »

XXV. Testis *juxta* 21. *Interr. Proc. fol.* 513. *respondit*: « Per totum familiaritatis meae cum Servo Dei tempus nihil unquam deprehendi in eo, quod peccatum veniale voluntarium vel infirmitatem alioquin etiam in piis hominibus ordinariam attingebat. »

Et juxta 22. *Interr. Proc. fol.* 502. *ter. respondit*: « Nihil unquam in Servo Dei deprehendi christianis virtutibus ullo modo contrarium vel umbram tantum voluntarii venialis peccati in se habens. »

Et juxta 23. *Interrog. Proc. fol. eod.*; « Pater Hofbauer christianas virtutes in gradu heroico exercuisse mihi semper

est visus. Dico, Servum Dei virtutes in insolito gradu et magna cum perfectione in difficillimis circumstantiis et superando maxima impedimenta exercuisse. Nec verba nec facta novi Servi Dei, heroico alicujus christianae virtutis gradui contraria. »

XXVI. Testis *juxta* 23. *Interrog. Proc. fol.* 547. *respondit:* « Confirmo, christianas virtutes a Servo Dei in heroico gradu fuisse exercitas. Dico: eum has virtutes non in solito gradu sed extraordinario omnino et heroico modo exercuisse. In conscientia persuasum habeo, Patrem Hofbauer felicis memoriae fuisse instrumentum apostolicum, a Deo per intercessionem Sancti Alphonsi immediate directum, ideoque etiam a Deo speciali modo omnibus virtutibus ad vocationem extraordinariam ejus necessariis instructum. Numquam in Servo Dei verbum vel factum observavi, quod contra heroicum virtutum gradum posset adduci. »

XXIX. Testis *juxta* 23. *Interr. Proc. fol.* 598. *respondit:* « Persuasum etiam mihi est, et hanc expresse edissero persuasionem, Patrem Hofbauer in gradu heroico exercuisse virtutes theologicas, cardinales et praecipuas morales et etiam religiosa vota observasse in eodem gradu; istae namque virtutes in Patre Hofbauer emicuere quibusvis datis ansis et occasionibus etiam difficilibus et extraordinariis; eas exercebat cum facilitate et ea animi laetitia, quae virtutem reddunt perfectam promptitudinem et objectum supernaturalis status animae christianae. Nihil prorsus novi nec verba nec facta, quibus heroicus gradus virtutum istarum a Patre Hofbauer exercitarum in dubium posset revocari. »

XXX. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 615. *respondit*: « Ego in Servo Dei ne minimum quidem observavi, quod christianarum virtutum uni fuisset contrarium vel specietenus tantum iisdem oppositum. Peccati vestigium in eo nunquam comparuit. »

Et juxta 23. *Interrog. Proc. fol. eod.* « Confiteri debeo, Servum Dei possedisse virtutes in gradu eximio et penitus insolito; eas semper et ubique, quantum observare potui, in omnibus difficultatibus et impedimentis fideliter conservavit. Ideo eas in gradu heroico ab eo fuisse exercitas censeo. Certo nec verba nec facta observavi aut audivi, quae contra heroicum virtutum gradum possent adduci »

Concordant Testis XVIII. juxta 23. *Interr. Proc. fol.* 405. *ter. Testis XXVII. juxta* 22. *et* 23. *Interrog. Proc. fol.* 562. *Testis XXVIII. juxta* 22. *et* 23. *Interr. Proc. fol.* 568. 569. *ter.*

Num. 8.
De fide heroica.

DE FIDE HEROICA

ARTICULUS I.

Ven. Servus Dei omnes veritates revelatas libentissime ac firmiter amplexus est.

(Ex Processu Apostolico).

I. Testis *juxta* 18. *Interr. fol.* 147. *respondit* : « Romam se contulit, ut ibi studiis Theologiae vacaret: doctrinae enim sensui Ecclesiae plane contrariae, acatholicae et rationalisticae, quae tunc in cathedris Universitatis Vindobonensis tradebantur, taedio eum affecerant. »

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 166. *ter. respondit*: « Persuasum mihi est, Ven. Servum Dei virtutes tum theologicas, tum cardinales in gradu heroico exercuisse, et quidem per totam suam vitam, ita ut ad perfectionem et sanctitatem plane extraordinariam pervenerit. Praeprimis fides in eo elucebat. Numquam in vita mea novi hominem, qui ejus firmam et inconcussam possidebat fidem. Eo tempore fides ingenua omnino romana rara erat, maxime in iis qui studiis vacaverant: omnis enim litteratura rationalismo et haeresi infecta erat. Pater Hofbauer pro summo beneficio, quod a parentibus piis, catholicis natus erat, Deo saepius gratias egit, et praecipue Deum benedicebat, quod a pia matre in vera religione et timore Dei educatus est. Adeo firmus in fide fuit ut saepe diceret, pro fide nullam sibi expectandam esse mercedem, quia numquam tentationes contra eam debellandae sibi essent, et vim sibi inferre deberet, si quam doctrinam Ecclesiae in dubium revocare vellet. Unde quando de incredulis sermo fiebat, saepe eos commiseratus dixit: « O quanta increduli credere debent, ne credant! »

§ 1.
Dubitationes circa fidem non cognovit.

IV. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 257. *respondit*: « Quilibet tum ex materiis concionum, tum ex ardore, quo omnes veritates in sacro pulpito defendebat, facile videre poterat, Ven. Servum Dei vivacissima fide esse repletum, et nemo non fidem fortem et decisam admirabatur. Memoriae meae semper aliquod dictum Ven. Servi Dei obversatur, quod nescio a quo audivi. Dixit enim : Minusse dubitare esse Deum unum et trinum, quam imaginem (et hanc quidem digito monstravit) in pariete esse appensam. »

VII. Testis *juxta* 29. *Interr. fol.* 304. *respondit*: « Causa vexationum modus gravis, quo praedicabat, fuisse videtur. Saepissime enim monuit, ut fidem publice confiteremur, cum sine fide nemo salvari possit. »

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 305. *respondit*: « Sicut mihi persuasum est, Ven. Servus Dei virtutem Fidei in gradu heroico possidebat: hoc enim quacumque occasione se offeren-

te probavit. Hoc experta sum in ejus concionibus vigore plenis circa veritates sanctae Fidei, quas saepe sine ullo timore humano enuntiavit. »

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 344. *respondit*: « Quidquid in Ven. Servo Dei vidi persuasam me fecit, ipsum omnibus virtutibus theologalibus perfectissime fuisse ornatum.

Quod ad fidem Ven. Servi Dei spectat, dicendum est, ipsum in omnibus operibus solum lumen fidei secutum esse. Fides erat continua regula omnium suorum passuum et actionum: ejus vita erat vivere ex fide. In pulpito et in omnibus suis colloquiis saepissime et cum particulari affectu de gratia Fidei locutus est, frequenter addens: « Qui non habet vivam fidem, huic etiam altissimae veritates nostrae sanctae fidei fabulae videntur. » Magnum meritum fidei exaltabat dicens exempli gratia: « Si mysteria nostrae sanctae fidei apertis oculis videre possem, tamen clausos eos tenerem, ne magno merito fidei privarer; » et insuper: « Oculis meis non tantum confido, quam infallibilibus effatis nostrae sanctae Ecclesiae: haec quidem in rebus fidei nunquam errare potest, sed oculi corporis nostri multis erroribus expositi sunt. « Cumque Venerabilis Servus Dei veritatibus et mysteriis sanctae fidei penetratus esset, propterea ejus verba in pulpito et in sacro tribunali verba vitae erant, quae mentibus persuadebant, corda commovebant, et omnes animos concutiebant. Semper memoriae meae insidet, quomodo monitis suis a vita doctrinae christianae non conformi absterrere quaerebat. Catholicos, qui non uti christianos decet, vivunt, ita alloquebatur: « Jesus aliquando vobis dicet: Vos inter paganos me confudistis. »

§ 2. *Fides ei regula fuit omnium actionum.*

§ 3. *Firmius tenebat, quod fides proponit, quam quod oculis videbat.*

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 383. *respondit*: « Ven. Servus Dei dicere solebat; » Ego capere nequeo, quomodo vivere possit homo absque fide. Homo sine fide mihi piscis sine aqua videtur. »

Precari nos docuit; « Deus meus, gratias tibi ago pro gratia sacri baptismatis, pro vocatione ad veram fidem catholicam et ad statum religiosum, et rogo te, ut in gratia tua vivam et moriar. »

Maxime insistebat nos monendo, ut fidem inconcussa teneremus fortitudine. Melius est, inquit, vitam perdere, quam fidei pati detrimentum. »

Monuit nos, ut pro gratia perseverantiae in fide hanc orationem diceremus: « Pater misericordiarum, respice in faciem Christi tui, qui cum clamore valido et fletu pro sponsa sua et nostrâ matre Sancta Ecclesia orat. Intuere, o Pater mi, illum sanguineum sudorem, horribilem spineam coronam, manus et pedes clavis perforatos, plagas fratris nostri Jesu Christi; audi, Pater, gemitus dilecti filii tui crucifixi: coeli movebantur, petrae scindebantur; ecquid misericordia tua non flectatur? Omnes, qui sincero corde te profitentur, conserva in sancta fide: protege eos a falsis prophetis, qui

§ 4. *Pro perseverantia in fide orare docuit.*

vestibus ovilibus induti incedunt, intus autem sunt lupi rapaces; eorum vim repelle, ut eorum consilia evanescant et confundantur. Deus misericors, credentibus in te gratiam concede, ut concordia et charitate te semper ament, te usque ad mortem constanter sequantur, et aliquando in aeternum te laudent et benedicant. »

Fol. 384 *ter. respondit*: « Fidem vivam eo quoque manifestavit, quod nomen Dei, Jesu Christi, Mariae haud facile sine alio honorifico titulo sive adjuncto enuntiavit, exempli gratia dicens: » Deus magnus, omnipotens. »

Fol. 385. *respondit*: « Zelum plane extraordinarium Ven. Servus Dei in pulpito monstravit, ut fidei lumen in cordibus auditorum accenderet. Aliquot locos ex ejus concionibus memoria teneo et praesentes habeo. Sic aliquando dixit: » Dilecti auditores, si res ita se habet, et si juvat, in Jesum Christum credere, et si verum est, ipsum solum nos salvare posse, quis inter vos, cui hoc persuasum est, tam insanus erit, ut fidem in Jesum Christum et doctrinam suae Sanctae Ecclesiae non professurus sit? Si fide firma et inconcussa credimus, quod docet Sancta Ecclesia, et si secundum fidem vitam nostram componimus, fides nostra dux nobis erit in patriam aeternae felicitatis. » Alia vice dixit: « Vos dilecti in Jesu Christo fratres, qui ad audiendum verbum Dei illudque in cordibus vestris conservandum huc venistis, scitote, gravissimam esse obligationem animae humanae, verbum Dei esurire et sitire. » Et iterum: « Credite propter signa et miracula, quae facta sunt. Vae vobis, si nec miraculis creditis: vae vobis, qui tenebras magis diligitis, quam lucem; erit tempus, ut aliud signum non dabitur vobis, nisi filii hominis quando venerit judicare vivos et mortuos; ante cujus tribunal post breve debebitis comparere. »

§ 5.
Fidem concionando accendebat.

Et *fol.* 421. *respondit:* « Ven. Servus Dei summa virtute veritates catholicae fidei defendebat, et in peccata ac scelera fortiter invehebat; numquam vero personas adversariorum impugnabat; in id tantum intendens, ut omnes ad catholicam fidem et vitam adduceret. »

X. Testis (Emus Card. de Rauscher) *fol.* 448. *declaravit:* « Ven. Dei Servus fide viva et inconcussa, amplectebatur cuncta, quae beneficio divino revelata Ecclesia tenenda proponit. Hodiedum incredulitatis praecones non amant, ut de religione multum disputetur, antiquatas esse has curas ajunt et progressum postulare, ut religio penitus oblivioni mandetur. Tunc autem tempus erat disputationum, praesertim circa fidei praeambula, quae absque intermissione aut novis sophismatibus directe impugnabantur, aut insidiosa interpretatione eludebantur. Artificia haec contemnebat Servus Dei. Cum de probationibus veritatis christianae loquerer, respondit, ipsam rei christianae existentiam firmissimam esse et abunde sufficientem veritatis ejus probationem, et exemplo fidei

§ 6.
Existentia ipsa Ecclesiae firmissimum ei argumentum veritatis fuit.

dubitandi nesciae, per charitatem operantis, majora fecit quam subtilissima quis argumentatione obtinere potuisset. »

I. Testis ex officio, *juxta* 31. *Interr. fol.* 687. *respondit*: « Quicumque Ven. Servum Dei sacras functiones peragentem, sive concionantem, sive sacram Missam celebrantem vidit, persuadere sibi potuit, ipsum viva fide penitus fuisse penetratum. Relata mihi sunt quaedam effata Ven. Servi Dei, quae virtutem fidei qua animatus fuit, modo extraordinario demonstrant. Sic dixisse fertur: « De veritate dogmatum fidei catholicae firmiorem habeo persuasionem, quam de vera existentia rerum, quas propriis oculis video, ex. gr. hac in pariete imaginem Crucifixi suspensam esse. »

II. Testis ex officio, *juxta* 31. *Interr. fol.* 746. *ter. respondit*: « Eo tempore in regionibus septentrionalibus et in ipsa Austria fides valde elanguerat. Uti jam dixi, Febronianismus et Josephinismus ordinem hierarchicum et institutiones Ecclesiae in multis laeserant; instructio publica Protestantismo et rationalismo infecta erat. Tum temporis perpauci erant viri, qui in fide omnino irreprehensibiles manserunt, et Ecclesiae fideliter adhaeserunt. Sed in regionibus septentrionalibus nemo firmitate et constantia fidei Ven. Servum Dei superavit; tum infans, tum juvenis et vir fidem suam monstravit, continuo exercitio orationis, praesertim sacri Rosarii, singulari devotione erga SS. Sacramentum Altaris, diversis piis peregrinationibus ad limina Apostolorum, horrore haeresium, qua de causa studia in Universitate Vindobonensi continuare noluit, sed Romam profectus est, ut ibi ex puro fonte scientias theologicas hauriret. Cum adhuc Vindobonae studiis vacaret, et professor quidam sententiam anticatholicam proponeret, surrexit et professorem alloquens dixit: « Domine Professor, hoc non est catholicum. »

§ 7. *Eo tempore nemo Ven. S. D. comparandus fuit in constantia fidei.*

Folio 748. *respondit*: « Sana doctrina Ven. Servi Dei summopere laudatur in litteris Card. Consalvi de die 26. Julii anni 1820. ad Ludovicum, tunc Principem haereditarium Bavariae, in quibus Emus Card. inter alia haec habet: « Vostra Altezza, che tanto giustamente apprezzava le virtù e la sana dottrina del defunto P. Hofbauer. »

§ 8. *Cardinalis Consalvi sanam doctrinam V. S. D. laudavit.*

Et *fol.* 749. *respondit*: « In oratione ad Jesum Christum pro fide (O Redemptor mi etc.) quam composuit, egregie viva fides resplendet. P. Doll, quo magistro novitiorum usus sum, mihi dixit, se saepius Ven. Servum Dei exclamantem audivisse: « In fide a nemine superari volo; quomodo fieri potest, ut quis de veritatibus fidei dubitet? »

(Ex Processu Ordinario)

I. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 100. *ter. respondit*: « Servus Dei fide tam viva donatus erat, ut saepe exclamaret: « *Si videre possem, nollem videre ut possim credere*: » Et iterum: « *Peccator quidem sum, sed unum mihi concessit Deus,*

§ 9. *Praeclara Servi Dei effata heroicam fidem declarant.*

ut fidem meam cum nullo hominum commutarem. — Quanta homines increduli credere debent, ut sint infideles. »

Argumenta (pro Religionis veritate) ex ratione desumpta Servus Dei pro incipientibus solummodo esse affirmabat, solidiora et stringentia historica esse asserens, cum nempe Deus in historia sese revelaverit. Summum factum historicum ipsi erat Ecclesia catholica.

Et juxta idem Interr. Proc. fol. 113. *ter.*... Id solum additurus, superesse preces ab ipso compositas, in quibus Deum precatur: « *Aufer omnia a nobis, excepto pretioso thesauro fidei.* »

§ 10. *In iis qui praeerant Deum agnoscebat.*

Et juxta idem Interr. Proc. fol. 108. *ter.* « Verae fidei luce perfusus Servus Dei solum Deum agnoscebat Dominum, et si Dei creaturis subditus erat, ideo solum fecit, quia sic Dei erat voluntas. Si quid vero ab eo posceretur, sanctis ecclesiae legibus et juribus contrarium, magis Deo quam hominibus obediebat, haeque de causa ultima illi nata est persecutio. »

§ 11. *Omnem a se laudem abdicabat praeterquam quod catholicus esset.*

II. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 141. *ter. respondit*: « Ejus fidem quod attinet sufficere posset adducere, saepissime me aliis praesentibus audivisse eum confitentem: « Sum superbus, sum vanus, nihil didici, sed unum habeo: sum catholicus totus quantus. »

Et juxta idem Interr. Proc. fol. 142. « Ad integritatem professionis catholicae quod spectat, ferro durior erat, ita ut hoc in negotio ne latum quidem unguem cederet.

Et juxta 25. *Interr. fol.* 157. « Ipse gloriari in alio nescivit, nisi se esse catholicum. »

III. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 175. *ter. respondit*: « Quod fidem spectat, testari possum, concionantem eum supra modum pro fide fuisse inflammatum. »

§ 12. *Spiritum fidei apud gentem suam languentem excitat.*

IV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 188. *ter. respondit*: « Interrogatio de fide plane conturbat, cum in eo (Servo Dei) fides omni dubio existeret superior. Hoc est defuncti proprium, quod esset instrumentum Dei ad fidem eo tempore languentem denuo vivificandam et uberandam in iis animis, qui ob temporum malam indolem in rebus fidei evaserant penitus indifferentes. »

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 198. *ter. respondit*: « De Dei operibus in creatione praedicans, viva fide et commoventi modo de infinitis locutus est Dei perfectionibus. Insuper de alta hominis dignitate et sublimi ejus fine praedicavit. In omnibus istis sermonibus simplicissimis iisdemque efficacissimis animos movere tantum quaerebat. »

§ 13. *De fidei mysteriis graviter et firmissime disserebat.*

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 230. *respondit*: « Verum est et de visu testari possum, Servum Dei vivissima fide in Sanctae Religionis nostrae mysteria fuisse penetratum, quod quidem non solum intima illa laetitia, qua omnem arripiebat de Deo deque rebus divinis loquendi occasionem, sed praesertim etiam jucunda illa securitate et auctoritate comprobabat, qua sancta fidei explicabat my-

steria, ita ut abunde noscceres, eum de illis loqui ea cum persuasione, ut paratus etiam esset, suo sanguine confirmare ea, quae dixerat. »

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 252. *ter. respondit*: « Ipsa ego ex ejus ore saepe audivi » *se capere non posse, cur homines non crederent* « ipseque nos est hortatus, ut pro fidei propagatione oraremus. »

X. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 293. « Testari possum, Servum Dei ubique et in omnibus circumstantiis, rebus in prosperis et adversis, manifestasse eximium robur *fidei* et indefessum ejus defendendae zelum. Fidei ardor in eo tantus fuit, ut eodem et spiritualium filiorum succenderet corda. »

XII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 327. *ter. respondit*: « Omnes virtutes christianae in Patre Hofbauer observari poterant. Ejus fides ardebat. »

§ 14. *In omnibus dictis et factis fidem demonstrabat, cujus exercitium sibi facile esse testabatur.*

XIV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 356. *ter. respondit*: « Si de Patris Hofbauer *fide* est sermo, haud dubito, hanc virtutem in eo prae ceteris efferre; quique illum a longe solum noverat, assensum mihi praestabit. Quidquid dicebat, Deum solum, ejusque respiciebat honorem. Nullo non tempore apparebat, eum sancta fide esse penetratum. Quadam occasione data dixit aliquando (ignoro autem, an me praesente) » *Fidei mercedem a Deo non obtinebo: credere enim mihi nulla est difficultas.* »

Et juxta idem Interr. Proc. fol. 361. « Servi Dei fides saxo solidior erat. »

§ 15. *Objecta fidei videre noluisset vivens, ut crederet.*

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 394. *ter. respondit*: « Quavis occasione magnam praedicabat fortunam, quod natus esset in sinu Ecclesiae catholicae, saepe de sui temporis spiritu christianae religioni contrario moerorem suum expressit verbis. Verum est, in simplicitate *fidei* eum, ut ita dicam, ad extremum usque processisse, saepius confessum tum in conversatione, tum in pulpito: » *se, si videre liceret mysteria fidei, oculos non aperturum, ne fidei meritum amitteret.* « Hoc respectu saepius protulit, quod de Sancto Ludovico referunt, eum nempe cum nuntium accepisset, Christum Dominum in Sanctissimo Sacramento visibilem sese ostendere, in ea prorupisse verba: » *Adeant increduli, mea fides hoc non indiget argumento.* »

Et juxta idem Interr. fol. 395. *ter.* « Non dubito, quin summum ejus fuisset gaudium, pro Deo sanguinem fundere. »

§ 16. *Cogitatio Dei et aeternitatis animum ejus implebat.*

Et juxta idem Interr. fol. 439. Unum . . . solum ante oculos et in corde habebat: Deum et aeternitatem. Ista simplex et plana omnium ejus cogitationum, desideriorum, sermonum et actuum directio nulla re turbabatur. Omnia, quae adhibebat media ad animas convertendas, et moderandas, ex simplici catholica fide et sanctae Ecclesiae praxi hauserat. Humanas quidem et naturales cognitiones et scientias aestimabat, sed Sanctorum scientiam omnibus praefere-

bat, illa saepe ruminans verba: « *Litteraturam non cognovit, sed introivit in potentias Domini.* »

§ 17.
Firmus in fide lucem praebebat errantibus.

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 417. *ter. respondit:* « Fidem Servi Dei quod attinet, in eo vere erat lux splendens quae multos in tenebris incredulitatis et haeresis errantes dirigebat in via. »

Et infra juxta idem Interr. fol. 418. « Etiamsi peculiare factum non recorder, firmiter tamen persuasum mihi est, Patrem Hofbauer dubitationem de fidei doctrinis rem impossibilem reputasse, ac ea, quae fides docet, firmiora habuisse iis, quae oculis videret, nec, si fidei mysteria oculis cernere potuisset, oculos voluisse aperire, ne fidei meritum amitteret. »

XXI. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 474. *respondit*: « Ejus fides erat viva, omnia ad Deum referebat.»

XXII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 482. *respondit*: « Elucebat ejus fidei, et animarum zelus, quo indefesse laborabat ad fidem et vitam catholicam resuscitandam. »

XXIV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 499. *ter. respondit:* « Fides ejus vere catholica erat saxo durior. Memini audire ex ejus ore verbum, se quod fides docet certius habere, quam quod oculis videret, et hanc quoque ex ejus ore sententiam me audivisse puto, si oculis videre liceret mysteria, se eos non aperturum, ne fidei amitteret meritum. »

§ 18.
Obedientissimum se filium Ecclesiae exhibuit.

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 521. *ter. respondit:* « Quo tempore Ecclesiae auctoritas ubique terrarum tantopere erat collapsa, Pater Hofbauer cum sancto jubilo et quasi superbiens obedientissimum Ecclesiae Catholicae filium sese profitebatur, quod et religiosissima omnium ejus praeceptorum, et praesertim jejunii et abstinentiae praecepti observatione demonstrabat. »

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 539. *respondit*: « Patris Hofbauer virtutes tum quoad summam, tum quoad gradum adeo excellunt, ut iis convenienter et pro merito exponendis omnino imparem me fatear. Praeprimis elucebat ejus fides. Sexcenties audivi, fidem illi fuisse, qua montes transferre potuisset, et quidquid in eo observavi, id confirmat. Ejus fides tam firma et fortis mihi videtur fuisse, ut cum Apostolo dicere potuisset: « Quod vidimus et audivimus et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae, hoc annuntiamus vobis. » Argumentis directis, e ratione desumptis, nunquam est usus, sed semper locutus est tanquam qui auctoritatem habet. Non locutus est persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.

§ 19.
Non humanis argumentis, sed in ostensione spiritus et virtutis fidem demonstravit.

Et *juxta* 19. *Interr. fol.* 536. *ter. respondit*: « Praedicabat tanquam auctoritatem habens brevibus sententiis. Ista concionum ejus vis ex fidei virtute procedebat, in ipso quasi incarnatae, et in quovis vultus lineamento omnibusque in motibus sese prodentis. Ita exempli gratia de Christi incarnatione dicens: « Carnem nostram assumpsit » manu manum percussit. Simplicia ista verba, tali apostolica persuasione et

forti gestu prolata, omnes ejus auditores inprimis me magnopere movebant, ac dubia quaevis de Christi divinitate et humanitate nobis tollebant. Zacharias Werner optime mihi notus saepius ideo dixit: « Iste est homo unicus omnino; ipsum nemo superat, ex eo loquitur Spiritus Sanctus. »

XXVII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 562. *respondit*: « Quodvis Servi Dei verbum viva ejus fide quasi irradiatum mihi semper visum est, et adhuc videtur. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 583. *ter. respondit*: « Fidei virtutem quod attinet, adverto, omnia Servi Dei dicta et facta omnibus in circumstantiis ex viva fide in revelatas veritates prodire fuisse visa, eandemque fidem continuam totius ejus spiritualis industriae fuisse normam. Firma haec fidei persuasio non solum sacros ejus sermones, sed et omnia animabat colloquia, consilia, et monitiones, et in eorum pertransiit animos, quibuscum loquebatur.

§ 20. *Gesta dictaque omnia Servi Dei fides informabat.*

Et *folio* 592. *ter. respondit*: « Referre mihi liceat, Patrem Hofbauer odio habuisse inanes argutias, quas in Germanis saepe reprehendit, veritatem procul saepe quaerentibus, quam Deus hominibus dedit propinquam. Ita etiam ejus conciones et sacrae exhortationes sublimi abundabant simplicitate, et peculiari quadam praedilectione adhibebat saepe Salvatoris verba: « *Benedico te Pater, quia haec abscondisti sapientibus et revelasti ea parvulis.* »

ARTICULUS II.

Coram Deo ambulans, semper orationi et meditationi vacabat.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 172. *ter. respondit*: « In ipso (Ven. S. D.) etiam verbum Scripturae: Ubi thesaurus tuus est, ibi et cor tuum erit, adimpletum est. Deus enim continuum objectum cogitationum et desideriorum suorum erat, et nisi officiis charitatis proximi occuparetur, semper orationi et meditationi vacabat. Integras horas in adoratione divini Sacramenti consumebat, et etiam in medio tumultu hominum, in viis valde frequentatis Vindobonae Rosarium devote recitabat. »

§ 21. *Semper orabat.*

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 310. *respondit*: « Ipsa vidi Ven. Servum Dei, capite detecto, per vias incessisse; numquam pileum gestabat, sed parvum pileolum ex panno nigri coloris. Ego et qui Ven. Servum Dei noverant, id ita explicavimus, quod scilicet ubique Deum praesentem sentiret, et cum Deo unitus oraret. »

§ 22. *Ubique Deum praesentem habuit.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 349. *respondit*: « In veritate, sine intermissione orabat, et ubique et quovis tempore tam filiali et sincera fiducia precabatur, ut alii quoque

ejus exemplum et monita ad orandum alacri animo sequerentur. » Petite! (sic auditores ex pulpito hortatus est), quaerite, pulsate: nam qui petit accipit, qui quaerit invenit, qui pulsat, huic aperitur porta ad thesauros divinae misericordiae. » Ven. Servus Dei praecipue amabat recitationem Rosarii; quin defatigaretur, continuo illud, et etiam in viis publicis, recitabat. Id autem fecit, quin observaretur, mantellum ante se continens, sub quo parvum rosarium tulit, quod a Sancto Patre dono acceperat. »

§ 23. *Continuo Rosarium recitabat.*

X. Testis, Emus Card. de Rauscher, *fol.* 449. *ter. declaravit*: « Orationi ita intentus erat, ut nec in platea procedens mentem ab ea relaxaret, nisi forsan viae haberet comitem, cui loquendum esset. Praeter Rosarium, triginta tria » Pater noster « in honorem triginta trium annorum, quibus Dei Filius homo inter homines ambulavit, procedendo dicere consuevit. Ferventiores ad Deum preces misit, si eundum erat ad aegrotum, qui digna sacramentorum susceptione ad extremam se luctam parare renueret. Caeterum dubitare non licet, quod juxta mandatum Apostoli sine intermissione oraverit. »

§ 24. *Etiam in publicis plateis, vel aegrotos visitans, illud recitabat.*

Et *fol.* 450. *ter. declaravit*: « Mens autem a rebus externis facile ascendit ad Deum, cui intentione sancta semper manebat conjuncta; et ad homines redibat, si charitas juberet. Ipse saepius eum vidi clausis ferme oculis sedentem inter juvenes, quibus ex libro quodam pio legebatur. Divina procul dubio meditabatur, sed comiter interdum ad nos conversus sapienter dicta lectioni interponebat. »

§ 25. *Divina semper meditabatur.*

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 747. *ter. respondit:* « Notum est, ipsum continuo, et in ipsis frequentissimis viis Vindobonae rosarium recitasse. »

(Ex Processu Ordinario)

I. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 102. *ter. respondit*: « Animo semper erat recollecto, de Deo solo illi sermo deque modo uniendi se Deo; oratio illi continua, ita ut nisi externa perficeret opera, oraret. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 142. *respondit:* « Illud, quo coelum adspirabat desiderium, saepe (quod ego quidem judicaverim) ex eo cognoscere mihi videbar, quod particulari quodam modo transfiguratos oculos coelum versus dirigeret, quod et aliis ita est visum et ipsius eloquiis confirmatum, quamvis omnem devotionis ostentationem anxie fugeret. Cum vero saepe in cubiculo suo inter medios juvenes, sive preces, quae incipiunt « Angelus Domini », recitare, sive in silentio interno solus orare deberet, hoc ejus desiderium, uniendi se Christo, clare poterat observari; haud raro enim lux quaedam super oculis et facie ejus se diffudit, iis solis visibilis, qui bene eum noverant et amabant, quorum ad viginti saltem ascendebat numerus. »

§ 26. *Inter orandum saepius superna luce circumfusus erat.*

IV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 188. *ter. respondit:* « Per plateas incedens totus in se erat collectus, nil loquens, sed recitans rosarium. »

V. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 205. *ter. respondit*: « Ut Dei praesentiam honoraret eiusque semper esset memor, aperto semper Servus Dei incedebat capite, hyeme et aestate, in civitate et ruri. Nunquam aliter eum vidi incedentem. »

Et juxta id. Interr. fol. 208. *respondit:* « Post coenam et gratiarum actionem ordinarie spiritualem ipsi feci lectionem, regulariter ex Veteri Testamento; praedilectionem etiam in Acta Apostolorum habebat. »

§ 27. *Lectione S. Scripturae mentem suam nutriebat.*

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 232. *ter. respondit:* « Servum Dei incedentem saepe vidi aperto capite, et rosarium in manu gestantem, et audivi eum dicentem: *In civitatibus et oppidis incedendum esse aperto capite propter Sanctos Angelos Custodes, ibi commorantes.* »

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 254. *respondit*: « Ejus vita erat continua oratio. In domo nostra aperto semper incedebat capite, et lubenter credo, eum ob divinae praesentiae reverentiam ita fecisse. »

X. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 295. *respondit*: « Scio, aperto eum semper incessisse capite, per viam rosarium recitasse, idque praecipue, cum ad aegrotos invisendos ambularet; peculiarem devotionem eum habuisse erga Passionem Jesu Christi, nec dolorum Redemptoris meminisse, quin in corde sentiret dolores, prout etiam eum saepe commendasse meditationem Passionis Jesu Christi. »

§ 28. *Dominicam passionem sedulo recolebat deque ea lacrymans loquebatur.*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 420. *ter. respondit*: « Ut animam cum Deo unitam conservaret, Hofbauer solitudinem adamavit, ideoque eremiticam invenis adhuc elegit vitam: sed et in mediis laboribus spiritus erat cum Deo, et in plateis maxime frequentatis spiritu recollecto orare noverat. Incedebat semper aperto capite. Domo abiens per viam Rosarium solebat recitare, quod tunc maxime faciebat, cum ad aegrotum vocaretur. Haec omnia ipse ego in eo observavi. »

XXII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 482. *respondit*: « Jam adduxi, me in Servi Dei comitatu per plateas incessisse et post quadraginta quinque annos adhuc mihi videor advertisse, quin fuissem monitus, eum saltem altera vice frigida tempestate pallio coopertum, cum ordinario lineo collari, pileolum (camauro) absque pileo gestantem et rosarium in manu tenentem vel recitantem incessisse, parum vel nihil fere loquentem. »

§ 29. *Semper in se collectus animum in Deum elevabat, licet externis negotiis occupatus.*

XXIX. Testis *juxta* 45. *Interr. Proc. fol.* 580. *ter. respondit*: « Nescio quidem, quo in loco studiis vacabat theologicis, sed Pater Hofbauer in omnibus disciplinis theologicis solide erat instructus. Ego et amici mei saepe obstupuimus ob amplas ejus cognitiones et modum, quo difficiles theologicas quaestiones nullo negotio solvere valebat. »

ARTICULUS III.

Praeclara fidei documenta exhibuit erga SS. Eucharistiae Sacramentum.

(Ex Processu Apostolico)

§ 30. *A pueritia ad Sacerdotium adspirabat.*

I. Testis *juxta* 16. *Interr. fol.* 146. *ter. respondit*: « Hic tantummodo edicere possum, saepe dictum fuisse, Ven. Servum Dei jam tum vehementer exoptasse ut sacerdotio initiaretur, ipsum frequenter in ecclesia S. Stephani et in ecclesia SS. Salvatoris ad altare missis inserviisse. »

§ 31. *Integras horas adorando SS. Sacramentum transigebat.*

Juxta 28. *Interr. fol.* 156. *ter. respondit*: « Cubiculum, quod in prima contignatione inhabitabat, cum Oratorio Archiducissae Beatricis conjunctum erat, ita ut quoties voluit, ecclesiam visitare posset; et sine dubio etiam integras horas in adoratione SS. Sacramenti transigebat. »

Juxta 31. *Interr. fol.* 168. *respondit*: « Ex hac viva fide et charitate Dei ejus zelus exornandi ecclesias et solemnizandi divinum cultum procedebat. Qua in re leges civiles, quae ex. gr. in expositione divini Sacramenti certum tantum numerum candelarum permiserunt, non respexit. »

Et *folio* 172. *ter. respondit*: « Integras horas in adoratione divini Sacramenti consumebat. »

§ 32. *Summa devotione Missam dicebat.*

IV. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 257. *ter. respondit*: « In concionibus suis continuo institit, ut omnes SS. Sacramentum ardenter amarent, et beatissimam Matrem Dei venerarentur. Documentum fidei erat devotio, qua sanctum Missae sacrificium offerebat. Quodam die post concionem eum vidi celebrare missam. Adstitit tamquam sanctus, summa reverentia perfusus et ardenti amore transfiguratus, ita ut hoc aspectu penitus abreptus, oculos ab eo avertere non possem; et hodie adhuc, quoties hanc ecclesiam ingredior, illius aspectus et magnae meae commotionis bene memini. »

§ 33. *Libenter Sacerdotibus ad Altare ministrabat.*

VII. Testis *juxta* 18. *Interr. fol.* 299. *respondit*: « Piam consuetudinem habuit ministrandi sacerdotibus in ecclesia Metropolitana ad S. Stephanum qualibet dominica ad unam vel duas Missas. »

Juxta 28. *Interr. fol.* 302. *respondit*: « Scio, Ven. Servum Dei ab anno 1809. usque ad annum 1813. Italicae ecclesiae directorem fuisse, et sacras functiones solemnissime celebrasse. »

§ 34. *Decorem Ecclesiae summopere amabat.*

Eodem fol. ter. respondit: « Imprimis Ven. Servus Dei curam habuit, ut in majoribus festivitatibus altare bene ornaretur, et multis luminibus illuminaretur, quod hac ratione facere poterat, quia multi haec videntes excitabantur et commovebantur, ut largis donis eum adjuvarent.... Eo tempore in nulla ecclesia Vindobonensi res divina cum tanta solemnitate celebrabatur sicut in illa Ursulinarum; quae ecclesia

postea aliis exemplum exoptatae imitationis fuit. Sine dubio meritum hujusce rei Ven. Servo Dei gratum acceptumque referendum est. »

Juxta 31. *Interr. fol.* 305. *ter. respondit*: « Argumentum fidei heroicae etiam sacer zelus pro majori solemnitate cultus divini fuit, nec non ejus ardentissima devotio in offerendo sacrificio Missae. Dicere vellem, ipsum in eo prae devotione plane transfiguratum comparuisse. »

Et *fol.* 306. *respondit*: « Manifestavit etiam Ven. Servus Dei ardentem charitatem et devotionem in adoratione SS. Sacramenti Altaris; maxime vero cum ante Sacramentum expositum genuflexus oraret, tota persona quasi transfigurata comparebat. Ita etiam Ven. Servus Dei totus in se collectus videbatur, cum SS. Sacramentum in solemni processione aut ad infirmos portaret. Tum in pulpito, tum in sacro tribunali semper et instanter monuit, ut fideles saepius sacram communionem reciperent, et SS. Sacramentum Altaris frequenter visitarent. Instanter etiam hortabatur, ut communionem spiritualem saepius per diem facerent. Per eam enim (ut dixit) anima semper cum Deo unita manet. Summae illi deliciae erat (ut ipse dixit), si plurimis sanctam communionem administrare vel eam ad infirmos portare posset. »

§ 35.
In adoratione SSmi quasi transfiguratus comparebat.

X. Testis (Emus Card. de Rauscher) *fol.* 449. *declaravit*: « Ad augendam SS. Sacramenti adorationem nil intactum reliquit. »

Et *folio* 450. *declaravit*: « Ut cultus divinus ibi devote et solemniter celebraretur, impensam habebat curam. »

XVII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 601. *ter. respondit*: « Sacram Missam celebravit ita, ut solo ipsius aspectu summopere ad devotionem excitarer. Ven. Servus Dei gravissimis verbis cultum SS. Matris Dei et devotionem SS. Sacramenti, oblationem pretiosissimi Sanguinis et communionem spiritualem commendavit. »

§ 36.
Frequenter communionem tum realem tum spiritualem commendabat.

II. Testis ex officio, *juxta* 9. *Interr. fol.* 718. *respondit*: « Si quandoque a matre aliquos obolos recepit, eos servavit, ut vel pauperibus daret, vel Missam dicendam curaret. »

Juxta 14. *Interr. fol.* 718. *ter. respondit*: « Quotidie ecclesiam metropolitanam ad S. Stephanum adiit, et sacerdotibus ad altare servivit. »

Juxta 16. *Interr. fol.* 719. *respondit*: « Uti solitus erat, ecclesiam metropolitanam S. Stephani visitavit, piumque retinuit usum ministrandi sacerdotibus ad altare. Piae sorores, quae pariter ecclesiam frequentabant, pietate juvenis viri aedificatae sunt. »

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 747. *respondit*: « Tum infans, tum juvenis et vir fidem suam monstravit continuo exercitio orationis, praesertim sacri Rosarii, singulari devotione erga SS. Sacramentum Altaris . . . . Fides in Ven. Servo Dei adeo viva, maxime in sacro pulpito, cum concionaretur, comparuit, nec non devotione in sacrificio Missae et in adoratione Sanctissimi. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 37.
Peragendo sacras functiones fidei ardorem prodebat.

I. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 101. *respondit*: « Haec viva Servi Dei fides effulsit praesertim in Sacri celebratione, in certis solemnitatibus, exempli gratia, in hebdomade sancta, in depositione Domini in Sepulchro, festo Corporis Christi. »

Et juxta idem Interr. fol. 102. *ter.* « Quam erga Deum nutriebat charitatem, praeprimis in Sacri celebratione, et in omnibus divinis officiis per devotionis ardorem sese prodebat. »

Et juxta 22. *Interr. Proc. fol.* 103. *respondit*: « Ipse quoque effecit, ut liber a Sancto Alphonso compositus, piae Sanctissimi Sacramenti visitationes inscriptus, variis in linguis ederetur. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 141. *ter. respondit*: « Ipse prodebat, apostolicam veritatem et persuasionem se non habuisse solum, sed et omnino iis fuisse imbutum. Quod et in sua devotione et omnibus ecclesiasticis functionibus tam manifeste ipse ostendit, ut omnes moverentur. »

§ 38.
Ejus persona fuit devotionis exemplum.

« *Et infra fol.* 152. Orationes in principio Missae ante gradus altaris dicendas extraordinaria semper recitabat cum compunctione, tanquam indignum, qui celebraret, se reputans. Si juniorum sacerdotum quis solemnem coram exposito Sacramento Missam cantaret, ipse tanta cum humilitate assistebat et devotione, quasi subdiaconus juvenis esset, quo factum est, ut summopere aedificarentur adstantes. »

Et juxta 38. *Interr.. Proc. fol.* 167. *ter. respondit*: « Supplendo addo, Servum Dei in persona sua optimum fuisse devotionis exemplum. Venerabilis erat et aspectus ejus et modus, quo se gerebat, cum ad Missam cum expositione vel festo Corporis Christi portaret Sanctissimum. Omnes quoque discipulos suos admonuit, ante ecclesiam ne transirent, quin pileum levarent confessuri hoc modo et veneraturi Domini nostri realem praesentiam. »

§ 39.
Concionando, amore Dei exardescebat.

III. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 175. *ter. respondit*: « Quod fidem spectat testari possum, concionantem eum supra modum pro fide fuisse inflammatum; idem dicendum de ferventi ejus devotione erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ex ejus verbis apparente, quae auditores summopere movebat, et etiam in iis fidem excitabat. Haud raro in media concione in genua procidit et Jesum Christum in Sanctissimo Sacramento est alloquutus. »

V. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 199. *ter. respondit*: « Ut postremos sanctioris hebdomadae dies juxta mentem Sanctae Ecclesiae et decenti cum pietate posset celebrare, plures quotannis ex quodam extero Seminario Levitas obtinere sategit . . . . . . Infra octavam Corporis Christi in ara expositionis Sacrum facere amabat. Sacram daturus benedictionem ambo flectebat genua idemque repetebat re-

posito ostensorio super altare. Infra octavam Corporis Christi in ecclesia Ursulinarum sacram instituit Processionem cum Sanctissimo et quatuor fecit Stationes ad quatuor altaria lateralia. »

§ 40. *Solemnes Processiones aliasque functiones peragebat.*

Quodsi Servus Dei sui esset oblitus, ostensorium (uti observavi) pectori et faciei (ut ita dicam) adstrinxit, et adstantes clare poterant videre vivam fidem, ardentem charitatem, et teneram devotionem qua erat animatus.

Et juxta 22. *Interr. Proc. fol.* 199. *ter. respondit*: « Ardentissimum in eo amorem et devotionem observavi erga Jesum in Sanctissimo Sacramento. Ipsum ibi videbat praesentem et vivissima fide eum adoravit. »

IV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 230. *respondit*: « Ejus de ecclesiae decore et ornatu sollicitudo pari incedebat passu cum vi fidei. Cujus rei testimonium reddit ejus zelus, ecclesiam Varsaviae in meliorem redigendi statum, altaria ibi augendi, decentes imagines et ornamenta ad devotionem excitandam acquirendi. Nec ullis pepercit sumptibus, ut per externos sensus promoveret interne religionem. »

Et juxta 22. *Interr. Proc. fol.* 230. *ter. respondit*: « Motus sancto zelo domui Thaborensi et alteri in Valle Sancta Helvetiae necessaria paramenta procurare sategit. »

VIII. Testis *juxta* 22. *Interrog. Proc. fol.* 252. *ter. respondit*: « Sacras functiones quibuscumque mediis solemnes reddere satagebat, portans candelas et alias res ad splendorem ritus et decorem ecclesiae idoneas. »

§ 41. *Proinde templa antea deserta maxima fidelium frequentia celebrantur.*

Et infra fol. 253. « Quantum Servus Dei allaboraverit, ut spiritum catholicum tunc longe lateque languentem resuscitaret et roboraret, ejus testantur conciones et indefessa in sacro Tribunali applicatio, quo autem splendido successu ejus coronati sint labores, praeprimis in Ordinis nostri ecclesia apparuit, quae deserta prius per ejus industriam adeo frequentabatur tam ab auditoribus quam a poenitentibus, ut compressa multitudine fere semper esset impleta. »

Et juxta 22. *Interr. Proc. fol.* 253. *ter. respondit*: « Verum est, Patrem Hofbauer multas et molestas visitationes declinare studuisse, ut in ecclesia nostra ad aram Domini in solitudine quadam piis vacaret exercitiis et unione cum Deo frueretur. Ibi per plures horas permansit, praesertim coram Sanctissimo Sacramento. »

§ 42. *Fidelium animos ad dies festos rite celebrandos praeparabat.*

XV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 375. *ter. respondit*: « Propria experientia scio, Servum Dei decorem domus Dei summopere dilexisse et semper operam dedisse, ut sacrae functiones juxta Ecclesiae praecepta cum decore celebrarentur, eumque etiam animos ad festa Ecclesiae obeunda praeparare sategisse. »

XVII. Testis *juxta* 19.. *Interr. Proc. fol.* 394. *respondit*: « Sacrosanctum Missae sacrificium obtulit non solum exacte observando praecepta ecclesiastica, sed et tali modo, qui omnes aedificabat, meaeque menti inextincta inhaesit. »

Et *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 395. *respondit*: « Decorem domus Dei Servus Dei summopere dilexit, sacraeque functiones ut speciali solemnitate et secundum Ecclesiae praecepta obirentur, continuum ejus erat studium; magna cum devotione praeparabat animos ad festa Ecclesiae celebranda, imagines festi mysteriis respondentes in ecclesiis collocavit, ut ex festi celebratione maximus, qui posset, crearetur fructus.

Et *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 395. *respondit*: « Ejus fides specialiter eluxit in ardenti devotione erga Sanctissimum Sacramentum. »

XIX. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 416. *respondit*: « De visu etiam testari possum, Patrem Hofbauer in ecclesia Ursulinarum indefesso et vere apostolico zelo laborasse, et mira effecisse hoc zelo et inconcussa industria. Nitorem et decorem ecclesiae, simul et summum, quem poterat, splendorem sacrarum promovebat functionum. »

Et *juxta* 22. *Interr. fol.* 118. « Fidei plenitudo in eo deposita ex toto ejus vitae prodibat tenore; ad altare eum cerneres sive in pulpito, sive per viam, semper ejus persona insolito afficiebat modo, venerationem ciebat, ad Deum provocabat. Verum est, et propria confirmare possum experientia, Servum Dei decorem domus Dei admodum dilexisse, et in eo, ut sacrae functiones rite celebrarentur, incubuisse, eumque ad festa ecclesiastica obeunda praeparasse animos, ut maxima inde nasceretur utilitas. »

XXIV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 500. « Ipse rector erat ecclesiae Ursulinarum et solemnitatibus occurrentibus ecclesia eo auctore perbelle decorata fuit, prout in aliis ecclesiis haud cernebatur. »

Et *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 500. *respondit*: « Pater Hofbauer imprimis adorationem Sanctissimi Sacramenti promovere sategit. »

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 514. *ter. respondit*: « Quo tempore Vindobonae pro externo cultus splendore perparum impendebatur et magna scrupolositate ordo cultus divini a lege civili praescriptus observabatur, Pater Hofbauer opes reperiebat ad sacras functiones in parva Ursulinarum ecclesia magna cum pompa celebrandas, quae res haud parum contribuebat ad resuscitandam vitam christianam Vindobonae. »

§ 43.

Neque in itineribus vel aliis difficilibus rerum adjunctis a sacro faciendo abstinuit.

Et *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 514. *ter. respondit*: « Qua fide supra modum viva Servus Dei in mysteria tremenda Sanctae Religionis ferebatur, praesertim observari potuit in sacrosancto Missae Sacrificio offerendo. Dominus Deus quasi facie ad faciem visibilem sese praebere visus est Servo suo fideli in venerabilissimo Sacrificio. Ipse etiam in difficilibus adjunctis, prout in itinere vel infirmitatibus, nunquam illud offerre omisit. »

XXVIII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 568. *ter. respondit*: « Ex propria observatione testari possum, eo tempore

§ 44. *Splendidissime fieri ad S. Ursulae comprecationem 40 horarum sategit.*

quadraginta horarum comprecationem majori cum pompa in nulla ecclesia Vindobonae fuisse habitam, quam ad Sanctae Ursulae; ego puer tunc semper cum jubilo expectabam solemnitatem quadraginta horarum comprecationis in Sanctae Ursulae ecclesia. »

Et *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 568. *ter.* « Decor domus Dei illi cordi erat; ipso auctore festa ecclesiastica in Sanctae Ursulae ecclesia solemnissimo celebrabantur modo. »

XXIX. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol* 682. *ter. respondit:* « Etiam in caeteris functionibus ecclesiasticis, praesertim in sanctiore hebdomade, festo Corporis Christi etc.... simplici sua et filiali devotione potenter afficiebat animos. »

§ 45. *Plures ideo certatim curabant Servo Dei sacrum facienti ministrare.*

XXX. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 612. *respondit:* « Quo tempore Servus Dei tanquam Director ecclesiae Ursulinarum sacras functiones, conciones, Missas solemnes peragebat et benedictiones, ista de caetero parva ecclesia plerumque nimis erat impleta piis adstantibus, et inter juvenes et viros juniores sancta erat aemulatio pio huic sacerdoti ad aram serviendi »

Alia multa testimonia ad hunc articulum spectantia infra referentur, cum de charitate in Deum sermo erit.

ARTICULUS IV.

Vivo fidei ardore B. Virginem Mariam veneratus est.

(Ex Processu Apostolico)

§ 46. *Sanctuaria B. M. V. visitabat.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 167. *ter. respondit:* « Alterum argumentum Fidei est, quod continuo orabat. Artem pistoriam adhuc exercens, ad altare inserviebat, peregrinationes instituit Romam ad limina Apostolorum, ad Cellas Marianas, in Schoossberg: saepe ecclesiam Beatae Mariae Virginis Auxiliatricis visitabat: quae quidem non minus manifesta argumenta ejus fidei sunt. »

Et *folio* 172. *ter. respondit:* « Etiam in medio tumultu hominum in viis valde frequentatis Vindobonae Rosarium devote recitabat. Cum eum aliquando per vias Vindobonae ad quemdam infirmum comitarer, taciturnus incedebat. Tandem me interrogavit: Scisne quid nunc facio? Rosarium recito. Id quod me invitavit ad idem faciendum. »

IV. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 257. *ter. respondit:* « In concionibus suis continue institit, ut omnes SS. Sacramentum ardenter amarent, et beatissimam Matrem Dei venerarentur. »

Et *juxta* 25. *Interr. fol.* 235. *ter. respondit:* « (Varsaviae) infantes suscepit educandos, quorum numerus centum quandoque superabat: eos in ecclesiam ducebat, et coram imagine Sanctae Deiparae hanc recitabat oratiunculam: Mater mea, si tu pro me intercedis, certe salvabor. Ipse praeci-

§ 47. *Matrem Dei piis canticis honorabat.*

nebat quotidie infantibus sequens canticum (quod se ipso impedito per alium fieri curabat):

« Extende largam, mitem manum
« Et benedic mihi Maria,
« Conserva me in statu gratiae,
« Ora Deum pro me Maria.

Hoc canticum saepe repetivit, et infantes assuefecit, ut Mariam ténere amarent, et venerarentur. »

§ 48. *Pro conversione peccatorum maxime infirmorum Rosarium recitabat.*

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 310. *ter. respondit:* « Qui ejus manum osculabatur, sentire poterat, ipsum Rosarium in ea tenere, sine dubio, ut recitaret. Libentissime Rosarium recitabat, cum ad aliquem infirmum se contulit. Sicut ipse nobis dixit, recitando Rosarium intendebat, ut a Deo gratiam, infirmos ad bonam mortem praeparandi, acciperet. »

§ 49. *Cultum B. M. V. impense commendabat.*

Grave negotium, imo dicendum est, negotium cordi gravissimum Venerabili Servo Dei erat cultus Beatae Mariae Virginis, et hujus devotionis propagatio; unde etiam omni tempore tum in pulpito, tum in sacro tribunali cunctis animabus potens auxilium et pietosam intercessionem Dei Genitricis enixe commendabat. Quoties repetiit, neminem in coelum intrare nisi per Matrem Dei, et quoties tum in pulpito tum in sacro tribunali hortatus est, ut fideles sacrum Rosarium frequentissime cum profunda devotione recitarent! Haec omnia ipsa experta sum. »

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 345. *ter. respondit*: « Diebus festis B. Mariae Virginis et Sanctorum Apostolorum summam operam dedit, ut torpentem Christianorum zelum succenderet, eosque ad imitandas virtutes Beatissimae Virginis excitaret. »

Et *fol.* 349. *respondit:* « Ven. Servus Dei praecipue amabat recitationem Rosarii: quin defatigaretur: continue illud et etiam in viis publicis recitabat. Id autem fecit, quin observaretur, mantellum ante se continens, sub quo parvum Rosarium tulit, quod a Sancto Patre dono acceperat. Confessiones audiendo Rosarium manibus semper tenebat, illudque recitabat, dum una monialis exiret et altera veniret. Certo ad matrem divinam accessit, ut per eam filiabus spiritualibus veniam et varias gratias obtineret. Cum particulari devotione et certissima fiducia obtinendae gratiae Rosarium recitabat, cum de conversione peccatoris ageretur, qui fortasse a triginta vel quadraginta annis nunquam peccata sua confessus erat, vel si ad aegrotum graviter infirmum et jam animam agentem se contulit, qui converti noluit. Istae autem preces semper exauditae sunt; ipse nobis dixit: « Per

§ 50. *Quaecumque gratias dicendo Rosarium obtinuit.*

hanc recitationem omnia quaecumque a Deo petivi obtinui. » Et iterum: « Si viam faciendo tantum tempus mihi concessum est, ut pro peccatore Rosarium recitare valeam, animam ejus lucratus sum. » Et quale gaudium ex ejus fa-

cie resplendebat, si nobis dicere posset: « Deus iterum animam pro qua Rosarium obtuli, mihi donavit. » Sed etiam vos (sic nos saepe monuit) Rosarium recitetis oportet, ut conversionem peccatorum obtineatis. »

§ 51.
Ab infantia recitatione Rosarii et jejunio B. Virginem honoravit.

IX. Testis *juxta* 10. *Interr. fol.* 376. *ter. respondit*: « Ven. Servus Dei jam in infantia orationis studio se distinxit. Maxime Rosarium recitare amavit, et fratres et domesticos ad orandum hortatus est . . . Amavit quoque in honorem Dei Genitricis jejunare, et quidem Sabbato, ita ut usque ad vesperam parum tantum vel omnino nihil ederet. »

Juxta 31. *Interr. fol.* 384. *ter. respondit*: « Fidem vivam eo quoque manifestavit, quod nomen . . . Mariae haud facile sine alio honorifico titulo sive adjuncto enuntiavit, ex. gr. dicens: . . . Maria gratia plena, Virgo immaculata, purissima, intemerata Virgo, gloriosa Regina; imo aegre ferebat, si quis sanctissimam Dei Genitricem, uti aliam mulierem, solo nomine « Maria » vocaret. »

Iterum *fol.* 389. *respondit*: « Quodam die concionando monuit: » Dilecti in Christo fratres, si forte quidam inter vos inveniantur, qui fidem perdiderunt, vel fortasse debiles in fide sunt, scio remedium efficax, quo utentes fortes in fide eritis. Recitate quotidie genibus flexis devote et humiliter « Ave Maria » ad nostram divinam Matrem, beatissimam Mariam Virginem, et requiem invenietis animabus vestris tribulatis. »

§ 52.
Preces ad Deiparam recitandas docuit.

Eod. fol. ter. respondit: « Viva fides Ven. Servi Dei manifestavit se etiam in veneratione Sanctorum. Prae caeteris Matrem Dei tenero affectu amabat, nec unquam nos admonere omisit, ut eam honoraremus, et in omnibus necessitatibus ad eam refugeremus. Sequentes orationes ad Matrem Dei nobis commendavit: = O Maria, per tuam sanctam et immaculatam Conceptionem munda cor, corpus et animam meam in nomine Dei Patris, cujus fuisti filia, in nomine Dei Filii, cujus fuisti mater, in nomine Dei Spiritus Sancti, cujus fuisti sponsa, et in nomine Sanctissimae Trinitatis, cujus templum electum fuisti, et eris in saecula, amen. O Mater mea dolorosa, tibi me commendo per sacrum cor tuum, Te rogo, ut miserearis mei et omnium peccatorum. O Maria, esto vita mea, quando spiritum tradam et animam agam, nec ad te confugere potero. Momento tunc vivam me hodie, et semper Te invocasse. »

Fol. 383. *respondit*: « Ven. Servus Dei nos quoque admonuit, ut magnam fiduciam poneremus in intercessione Beatissimae Virginis Mariae, cum ea Mater misericordiae sit, et omnes ad eam recurrentes adjuvet. »

§ 53.
In necessitatibus ad SS. Virginem recurrere monuit.

« Curre, dixit mihi, in necessitatibus tuis statim ad Beatissimam Virginem; ipsa enim est mater misericordiae, et tibi apud Filium suum gratiam obtinebit. Nunquam filius matri suae aliquid negavit; non potest filius Dei matri suae repulsam dare; gratiam invenit apud Deum, et semper eam

invenit. » Valde Venerabilis Servus Dei recitationem Rosarii amabat, et nobis quoque eumdem precandi modum vehementer inculcabat. Fere semper parvum rosarium a Pio Papa septimo acceptum manibus tenebat. Quod cum perdidisset die quodam, a monialibus enixe petiit, ut orarent pro ejus inventione. Candidata quaedam, ut ipsa precaretur rogata, sorte felici illud invenit. Quae cum ei illud restitueret, summe gavisus dixit: « Adjuvisti me hoc modo in conversione peccatorum; nam cum illud recitavi pro quocumque peccatore, ejus conversionem impetravi. »

54. §
Moriendo adstantes hortatus est, ut ad sonum campanae Angelus Domini *dicerent.*

Et *fol.* 431. *respondit*: « Dom. Franciscus Schmid Confessarius, Dominus Romanus Zaengerle Professor, et Marianna, nostri conventus serva, qui in obitu Venerabilis Servi Dei praesentes erant, hanc nobis circumstantiam valde commoventem narraverunt. Cum meridie sonus campanarum salutationem angelicam annuntiare inciperet, Pater Hofbauer omnibus viribus collectis dixit: « Orate, sonant » Angelus Domini. » Omnes genuflexi salutationem Angelicam recitaverunt. Cum iterum surrexissent, et lecto appropinquassent, Venerabilem Servum Dei viderunt caput ad latus declinasse et animam spirasse. Omnes valde commoti erant. »

§ 55.
Aegre tulit, si B. Virgo absque titulo honorifico nominabatur.

X. Testis (Emus Card. de Rauscher) *fol.* 449. *ter. declaravit*: « Matrem Dei piissime coluit, et ut omnes summam ei exhiberent reverentiam, pro viribus egit. Juvenis mihi, Servo Dei adhuc superstite, narravit, quod cum coram eo beatissimam Virginem innuens Sanctae Mariae denominatione uteretur, eum interrogaverit: « An forsan de Maria Aegyptiaca loqueretur. »

§ 56.
Laudes B. M. V. cantans in extasim raptus est.

XXIII. Testis I. ex officio, *juxta* 31. *Interr. fol.* 688. *respondit*: « Ad probandam singularem devotionem, qua in Beatissimam Deiparam ferebatur, id quod sequitur adducam. Circa annum 1817. sive 1818, cum Ven. Servo Dei et matre mea defuncta piam peregrinationem ad sanctuarium in Maria Zell partim pedibus, partim curru feci. Optime memoria teneo, Ven. Servum Dei vespere (fuit, credo, in Lilienfeld) cum omnes ad mensam collecti essemus, pulcherrimum canticum in honorem Deiparae incepisse. Cantabat oculis clausis ex amore Deiparae quasi in extasim raptus, et mentes nostras ad aliquos versus maxime praestantes advertit. Ita vero canticum incepit:

« Montes et colles gaudete,
Canite omnes magni et parvi,
Spargite lilia et rosas
Castae Mariae Virgini. »

quaelibet stropha hoc finiebat modo:

« Canite et gaudete cum jubilo et sonitu,
Misericors Mater, te salutamus omnes. »

XXIV. Testis, II. ex officio, *juxta* 31. *Interrog. fol.* 747. *respondit*: « Tum infans, tum juvenis et vir fidem suam monstravit continuo exercitio orationis, praesertim sacri Rosarii. »
Eod. fol ter. respondit: « Notum est, ipsum continue et in ipsis frequentissimis viis Vindobonae Rosarium recitasse, et exemplo et verbo devotionem B. Mariae Virginis resuscitasse, ac recitationem Rosarii, antea despectam, in usum revocasse. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 57. *Tenera Servi Dei devotio erga Deiparam Virginem.*

I. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 101. *respondit*: « Servi Dei fides effulsit... in sacris peregrinationibus, et prae caeteris in recitando Rosario, quod *Bibliothecam suam* appellare solebat. Qua quidem Rosarii recitatione pretiosas et subitaneas effecit conversiones, praesertim moribundorum, exempli gratia, liberi Baronis Rieger, cujus conversionis ego testis fui.

§ 58. *Pias peregrinationes ad Ejus sanctuarium suscepit.*

Et *infr. fol.* 103.: « Post Jesum in Sanctissima Eucharistia latitantem speciali cordis affectu prosequebatur immaculatam Virginem Deiparam et quidem filiali fide, spe et charitate. Suscipiens aliquando Servus Dei mecum, theologiae Candidato, peregrinationem ad Sanctuarium in Maria Zell, sine intermissione vel sacrum recitavit Rosarium, vel cantica cantavit filialem spirantia fiduciam, vel de ea (Beata Maria Virgine) loquutus est. Cum post adventum in Maria Zell summam populi videret devotionem, exclamavit: *En vim Religionis? utinam videre hoc posset Sanctus Pater!* — adeoque eo momento erat commotus, ut verba illum deficerent. Amore erga Beatam Virginem inflammatus omnibus poenitentibus et auditoribus suis devotionem erga illam inserere satagebat, nec ferre poterat, nominari eam simpliciter Mariam, nullo honoris titulo adjecto. »

§ 59. *Hanc devotionem in aliis insinuare contendebat.*

II. Testis *juxta* 22. *Interrog. Proc. fol.* 147. *ter. respondit:* « Multis in familiis eum uti consiliatorem pro diversis rebus difficilibus aut incoeptis summi aestimatum ejusque consilium optimo cum successu fuisse executioni datum, in genere certa fide deponere possum, quin tamen singulos exponam casus, memoriae meae limites excedentes. Nec frustra tantopere veneratus est Deiparam sub titulo Matris boni consilii, quam devotionem et aliis summopere commendando propagabat.
Et *juxta* 38. *Interr. Proc. fol.* 167. *ter. respondit:* « Omnes Deiparam venerari in eaque confidere docuit, quemadmodum etiam cultum Sancti Josephi ubique promovit. »

§ 60. *Assiduae Rosarii recitationi vacabat.*

V. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 205. *ter. respondit*: « Domo discedens sacrum per viam recitabat Rosarium, idemque recitans domum iterum redibat; quod factitabat in scala, in cubiculo, in Sacristia, et in sacro tribunali, quando in eo expectabat poenitentes. Tali modo maximum, quo erga Beatam Mariam Virginem ardebat, Servus Dei testatus est amorem. »

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 231. *respondit*: « Magno affectu ferebatur in Beatam Mariam Virginem, Sanctum Josephum et Sanctam Annam eorumque cultum peculiarem suis etiam inculcavit. Ideo Varsaviae communitati mandavit, ut certis hebdomadae diebus in eorum honorem orationes convenientes, easque mane in communi persolverent. Quoties in ecclesiam nos vocavit, ut spiritualia cantica canendo, in populo devotionem erga Sanctam Deiparam accenderemus! Ubicumque erat, in manu portabat Rosarium, standoque meandoque illud recitabat. Etiam in privatis colloquiis verbis ignitis nobis instillavit amorem, fiduciam et devotionem erga Matrem Jesu. Singularem zelum ostendit in celebrandis festis Sanctae Deiparae. Summa cum solemnitate ea obire studens etiam teneris concionibus ubique monstravit, quo affectu ferretur in Sanctam Deiparam, et quantopere desideraret, ut ab omnibus illa amaretur. »

§ 61. *Dies festos in honorem B. M. Virginis solemniter celebravit.*

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 254. *respondit*: « Prae caeteris devotionibus Servus Dei adamabat Rosarium: hoc quantum poterat, in manu portabat, ut dici possit: Ejus vita continua erat oratio.

Et paulo post — Adducere adhuc debeo ejus verba: « *Si concessum est mihi pro peccatore Rosarium recitare, eum lucrari certus sum.* »

IX. Testis *juxta* 11. *Interr. Proc. fol.* 265. *ter. respondit*: « P. Hofbauer mihi narravit, se... peculiarem devotionem habuisse erga mysterium Annuntiationis B. Mariae Virginis. »

X. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 295. *ter. respondit*: « Peculiari amore erga Sanctissimam Deiparam ejus aestuabat cor. Amor ejusdem alterum ipsius erat verbum: « *Sine amabilis Deiparae intercessione coelum obtinere non possumus,* continuus illius erat sermo. »

Et alibi juxta idem Interr. Proc. fol. 293. *ter.* « Nec minore affectu Virginem prosequebatur Deiparam. Quam si quis simplici Mariae nomine compellabat, aegre ille ferebat, desiderans, ut addito epitheto aut alio nomine honorifico distingueretur, exempli gratia, Maria refugium peccatorum, mater misericordiae. »

XII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 327. *ter. respondit*: « Amore vere filiali etiam ferebatur in Beatam Deiparam Mariam, semper etiam aliis eum instillare studens. »

XV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 375. *ter. respondit*: « (Scio Servum Dei) . . . tenerrimo amore erga Virginem Deiparam Mariam fuisse inflammatum. »

XVII. *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 395. *respondit*: « Ejus fides specialiter eluxit . . . in tenera veneratione Virginis Deiparae. »

§ 62. *Videns Eam a fidelibus honorari summopere gaudebat.*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 418. *ter. respondit*: « Quantopere Sanctam Deiparam veneraretur, ex hoc patet quod nunquam fere deponeret Sanctum Rosarium, semper et ubique in plateis, etiam maxime frequentatis Vindobo-

nae illud recitans, si caetera id permittebant officia. Nulla de re magis gaudebat, quam cum videret divinam Matrem a fidelibus honorari. »

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 539. *ter. respondit*: « Aeque tenera, cum intima ejus essentia quasi conglutinata erat devotio erga Deiparam; Rosarium continue gestabat et recitabat, cantica in ejus honorem lubenter cantabat, peregrinatus est ad Cellas Marianas: etiam ad domum Lauretanam peregrinatus est tum ante tum post susceptum sacerdotium, et Pater Sabelli narravit, quo gaudio Veteris-Oettingae inspiceret tabellas votivas, et quomodo a Sanctuario vix avelli posset. Hac etiam in re fidelis imago erat Sancti Alphonsi, cuius visitationes SS. Sacramenti et S. Deiparae ipse tanquam fidelis filius et successor diligenter diffundebat. »

§ 63. *Libellos S. Alphonsi quibus preces continentur in honorem Virginis Ssmae diffundere curavit.*

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 584. *respondit*: « Sanctam Deiparam filiali ac tenera prosequebatur devotione, haud ferens absque conveniente correptione nec personis etiam conspicuis parcens, quod eius nomen proferrent titulo honoris eidem convenienti non addito, quo ab aliis distinguitur mulieribus. »

XXX. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 613. *respondit*: « Quanta ejus fuerit veneratio et devotio erga Beatam Mariam Virginem, inde jam patet, quod tanti fecerit Sancti Rosarii recitationem, illamque praesertim iuvenibus commendaret, uti medium conservandae castitatis virtutis.

§ 64. *Tanquam medium ad castitatem servandam Rosarii recitationem commendabat.*

Et infra fol. eod. ter. « Quantopere Servus Dei satageret, ex amore Dei et proximi a peccato arcere homines, de facto in iis juvenibus probavit et viris, qui ejus se submittebant spirituali moderationi, quibusque Rosarii recitationem vespertino praesertim commendavit tempore per plateas incedentibus, ut ita Beatae Mariae Virginis intercessione tentationes impudicitiae in magnis urbibus tam frequentes effugerent, nullumque committerent peccatum. Ejus poenitentes hoc pium secuti consilium curaverunt (an ipso auctore an proprio motu ignoro) facienda rosaria commoda quae vocant (idest parvam coronam unius tantum decadis granis junctis filo lineo sive ferreo) quam vespere manu tenebant, ita recitantes Rosarium. Persuasum mihi est, Servum Dei hoc modo innumera praepedisse peccata multasque salvasse animas. »

ARTICULUS V.

Ven. Servi Dei fides viva ex cultu Sanctorum eluxit.

(Ex Processu Apostolico)

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 311. *respondit*: « Magnam etiam devotionem Ven. Servus Dei erga S. Josephum ha-

§ 65. *Magna devotione*

S. Josephum venerabatur;

bebat, et tum in pulpito, tum in sacro Tribunali hanc devotionem commendabat: » In omnibus negotiis et necessitatibus (ait Ven. Servus Dei) S. Josephus adeundus est, maxime vero ad obtinendum felicem vitae exitum.» Ita innumeris vicibus hortabatur, ut ipsa audivi. Etiam erga S. Michaelem Archangelum et S. Barbaram, S. Claram a Montefalco et S. Alphonsum Fundatorem particularem devotionem habebat. »

§ 66.
Nec non SS. Michaelem, Barbaram, et Claram a Montefalco.

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 345. *ter. respondit*: « Diebus festis B. Mariae Virginis et sanctorum Apostolorum summam operam dedit, ut torpentem Christianorum zelum succenderet, eosque ad imitandas virtutes Beatissimae Virginis excitaret. Apostolos Patres Ecclesiae nominavit, qui non solum doctrinis et exemplis, sed etiam sanguine fidem nostrae S. Ecclesiae obsignaverunt.

§ 67.
SS. Apostolos, inter quos praecipue S. Jacobum Maj. et Thaddaeum, pie coluit;

Praecipua devotione Ven. Servus Dei S. Jacobum Majorem Apostolum prosecutus est. Postquam Conventus Monialium sub titulo « Jacobaearum » Vindobonae existentium suppressus erat, statua miraculosa S. Jacobi Majoris Apostoli in nostrum Conventum venit, ibique in ambitu domus collocata est, quo loco mansit, usquedum P. Hofbauer S. Apostolum majore veneratione distincturus, auctor fuit, ut eidem dignior locus praepararetur. Quapropter die festo ejusdem S. Apostoli veneranda statua a loco, quem usque eo habuerat, elevata et solemniter in nostram ecclesiam translata est; ibique in altari laterali collocata, a populo fideli usque in hodiernum diem in veneratione habetur. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 390. *respondit*: « Particularem devotionem nutriebat Ven. Servus Dei erga S. Josephum, S. Matrem Annam et SS. Apostolos, inter quos speciali modo S. Thaddaeum venerabatur, qui ei, uti dixit, saepe in necessitatibus subvenerat. Sanctum quoque Jacobum summopere honorabat. Ad S. Josephum me docuit hanc orationem:

§ 68.
Nec non S. Annam.

§ 69.
Preces docuit in honorem S. Josephi et S. Thaddaei.

Sancte Joseph, optime Pater, tuo patrocinio me semper committo, considera me tamquam filiam tuam, et praeserva a peccato et confusione. Tuae curae me trado, ut me comiteris in patriam per verae virtutis viam, et in hora mortis ne me derelinquas. »

In honorem S. Thaddaei orationes sequentes me docuit, et quidem:

I.° Pro impetranda patientia in adversitatibus.

« O Jesu, Rex Martyrum, qui S. Apostolo Judae Thaddaeo, consanguineo tuo, fortitudinem et robur dedisti pro doctrinae tuae professione acerbam subeundi mortem, etiam nostra corda gratia tua conforta, ut omnes adversitates, quas manus tua paterna in hoc mundo nobis imposuerit, cum patientia feramus, et in vera catholica, sola salvifica fide, semper vivamus et tandem moriamur. »

II.° Contra pravas cogitationes et in rebus desperatis.

« Omnipotens, aeterne Deus, qui S. Apostolum Judam Thaddaeum speciali gratia decorasti, pravas depellendi cogitationes, et in rebus desperatis opem ferendi, concede, ut omnes hunc Sanctum magna devotione venerantes ejus potenti intercessione in omnibus corporis et animae necessitatibus inveniant auxilium. »

III.° Pro perseverantia.

« Jesu, vere Deus et homo, qui gratia peculiari S. Judam Thaddaeum inter dilectos Apostolos tuos cooptasti, concede nobis peccatoribus ejus intercessione, ut et nostra nomina in libro vivorum scribantur, et nos electis adnumeremur. »

IV.° In omnibus necessitatibus

« Deus, cujus bonitas et clementia exhauriri non potest, aures benignas famulorum famularumque tuarum precibus inclina, et praesta, ut omnes, qui te in S. Apostolo tuo Juda Thaddaeo pie recolunt, potenti ejus intercessione petitionis suae effectum consequantur. »

Post suppressionem Conventus Religiosarum S. Jacobi quaedam exmonialis, quae cum aliis in nostrum Conventum recepta est, statuam miraculosam S. Jacobi, quae in prae dicto Conventu magno honore habebatur, et quae, non sine miraculo, adverso flumine natasse secundum piam traditionem fertur, in domum nostram portavit, ibique in ambitu posita est. Sed Ven. Servus Dei voluit, ut S. Apostolo Jacobo major veneratio exhiberetur, et propterea auctor fuit, ut statua illa in ecclesiam portaretur, et pone altare laterale collocaretur, ubi ad hanc usque horam existit. Docuit nos etiam, ut S. Apostolum quibusdam convenientibus orationibus coleremus.

Nec minus particularem venerationem erga S. Catharinam Senensem nutrivit, cujus magnum zelum pro causa S. Ecclesiae Romanae laudibus extulit; erga S. Theresiam, quae ad resuscitandam fidem catholicam plurimum adoperata est; erga S. Athanasium, de quo saepe nobis narravit, quam gravia certamina et mala propter fidem sustinuit. Saepe juvenibus S. Aloysium et Stanislaum tamquam exemplar virtutum proposuit, et inter octavam S. Stanislai in capella S. Stanislai (ubi scilicet Sanctus ille habitaverat) sacram Missam dicere solebat. » § 70. *S. Catharinam Sen., S. Theresiam, SS. Athanasium, Aloysium, et Stanislaum invocabat.*

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 747. *ter. respondit:* « Valde venerabatur S. Josephum et SS. Apostolos. In piis peregrinationibus, quas Romam instituit, saepe contigit

ut in Italia sub dio pernoctaret. Tunc, antequam quieti se daret, circulum in terra descripsit, eumque custodiae SS. Apostolorum commisit. Summopere venerabatur S. Alphonsum. Non obstante paupertate sua, semper pecuniam ad Procuratorem Generalem Congregationis Romam misit, ut ad expensas Beatificationis contribueret. Libros quoque S. Alphonsi et praecipue Visitationes SSmi Sacramenti in diversis linguis diffudit. »

§ 71. *Sub patrocinio SS. Apostolorum itineratus est.*

(Ex Processu Ordinario)

II. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 167. *ter.* « Cultum Sancti Josephi ubique promovit. »

V. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 206. *respondit*: « Servus Dei in veritate Deum Dominum et in Sanctis ejus honoravit, hisque tenerrimam praestitit venerationem, honorans etiam eorum reliquias, secumque eas portans probata earum authenticitate. Observavi, eum Sanctum Alphonsum uti patrem suum summopere amasse; post ejus Beatificationem anno millesimo octingentesimo decimo sexto semper in id incubuit, ut ejus cultum propagaret tum verbis, tum piis libris et imaginibus Beatam repraesentantibus, quarum magnam copiam faciendam et distribuendam curavit. »

§ 72. *Praesertim S. Fundatori Congregationis suae quaesivit honores.*

X. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 295. *ter.* « Pater Hofbauer Dominum etiam in Sanctis honorare studebat; praeprimis Sanctum Josephum, Sanctam Theresiam et Sanctum Alphonsum Ligorium venerabatur. »

Semper hoc promebat monitum « *Commendate vos enixe patrocinio Sancti Josephi, ipse enim est pater pauperum et orphanorum, adjutor in omnibus necessitatibus.* »

XII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 327. *ter. respondit*: « Inopiae tempore Servus Dei non habens unde orphanos suos aleret, ad Sancti Josephi altare prostratus auxilium instanter petiit, et eodem tempore magna alimentorum copia ad portam domus advecta fuit, quin unquam innotesceret quomodo aut unde venissent. Ut ad summam Sancti Josephi venerationem nos provocaret, ipse Pater Hofbauer hoc narravit in domo paterna. »

§ 73. *In necessitate S. Josephi auxilium expertus est.*

XVI. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 386. « Distribuit iis, qui de salute erant solliciti, bonos libros, Rosaria, et imagines, et quilibet aedificatus et laetus discessit. »

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 420. *ter.* « Quantopere Servus Dei Sanctum Alphonsum veneraretur ac diligeret, sequentibus probare possum: Duos dies ante mortem suam litteras a me accepit Retzii scriptas, ubi tunc temporis presbyter saecularis capellani munere fungebar. E lectulo dolorum surgens carus Pater Clemens et ad particulare gaudium mihi procurandum, imaginem Sancti Alphonsi mihi transmisit. »

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 543. *respondit*: « Pe-

culiari quod sciam devotione ferebatur in sanctum suum fundatorem, et paupertate sua non obstante ad sumptus Beatificationis ferendos haud parvas pecuniae summas Romam misit, et secuta Beatificatione nomine Congregationis transalpinae supplices preces Pio Papae Septimo pro ejus Canonizatione exhibuit. Erga Sanctum Alphonsum, ejusque Congregationem amorem meo etiam praesertim cordi inseruit, et hoc solo amore omnia superare potui impedimenta vocationi meae obstantia. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 584. *ter. respondit*: « Praeterea Pater Hofbauer veneratus est Sanctum Joseph, Salvatoris nutritium, Sanctam Theresiam, Sanctum Michaelem Archangelum, et Sanctum Joannem Nepomucenum tanquam patronum confessariorum. »

§ 74. *S. Joannem Nepom. tamquam patronum confessariorum coluit.*

ARTICULUS VI.

Prodebat fidem heroicam V. Servi Dei ejus reverentia erga Romanam Ecclesiam, Summum Pontificem et Hierarchiam ecclesiasticam.

(Ex Processu Apostolico)

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 366. *ter. respondit*: « Vivum fidei zelum Ven. Servus Dei maxime ardenti veneratione et pietate, qua Sanctam Ecclesiam catholicam tanquam matrem suam prosequebatur, manifestavit. Hac de causa exactissime et religiosissime omnes leges Ecclesiae observavit. Saepius concionando dixit: « Qui Ecclesiam non vult habere matrem, nec Deum vult habere patrem. »

§ 75. *Fuit obedientissimus filius S. Ecclesiae et Summi Pontificis.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 345. *respondit*: « Ex ejus viva fide provenit illa tenera studiosa voluntas erga Ecclesiam catholicam, et filialis pietas erga Sanctum Patrem, Christi Vicarium. Dicere solebat: » Qui Sanctum Patrem non honorat, nec etiam matrem nostram, sanctam Ecclesiam honorat; qui mandatis Sancti Patris non obedit, est filius inobediens Sanctae Ecclesiae; qui pro parentibus suis non precatur, est filius perversus, et qui non precatur pro Sancto Patre, malus est christianus ». Venerabilis Servus Dei venerabatur sacerdotes catholicos, et hanc venerationem aliis quoque instillare studebat. Saepe nos monuit, ut pro sacerdotibus preces funderemus; maxime vero in quatuor temporibus hortatus est, ut obligationis nostrae memores Deum pro bonis sacerdotibus imploraremus, et devote pro illis precaremur, qui post brevissimum tempus sacerdotes forent ordinandi. »

§ 76. *Nuntiis Apost. summam reverentiam exhibuit.*

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 414. *ter. respondit*: « Nobis monialibus commendavit, ut semper pro Sancto Patre preces funderemus. Magnam etiam reverentiam habebat erga Sancti Patris Repraesentantem, Nuntium Apostolicum qui

saepe in nostra ecclesia sacram Missam celebravit et in conclusione quadraginta horarum comprecationis fungebatur. »

II. Testis ex officio, *juxta* 31. *Interr. fol.* 747. *respondit*: « Sanctam Ecclesiam ardenter amabat; inde ejus zelus propagandi regnum Dei in terra, Ecclesiam et animas ad Jesum Christum reducendi. Dña Sophia Schlosser, quae cum suo viro Friderico a Ven. Servo Dei ad S. Ecclesiam reducta est, dixit: « Ejus conciones erant simplices sicut ejus persona; si vero de praecellentia Ecclesiae catholicae verba fecit, desiderium, membrum hujus Ecclesiae esse, cor apprehendit. » In pulpito aliquando et probabiliter saepius exclamavit: « Utinam gratiam haberem convertendi omnes haereticos et infideles! Brachiis et humeris meis eos in S. Ecclesiam catholicam inferrem! » Hoc mihi Soror Thaddaea ex Ursulinis narravit, quae Ven. Servum Dei sic praedicantem audivit. »

§ 77. *Flagrabat desiderio errantes ad Ecclesiam reducendi.*

Et *fol.* 748. *respondit*: « De Summo Pontifice semper cum maxima veneratione locutus est: in reverentia et obedientia erga S. Sedem verum Catholicum cognovit. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 78. *Ecclesiae praecepta sollicite observavit.*

I. Testis *juxta* 8. *inter. fol.* 85. *ter.* « Novi Patrem Hofbauer virum pro gloria Dei, pro causa Ecclesiae catholicae et pro salute animarum totum inflammatum. »

Et *juxta* 21. *Interr. fol.* 100. *ter.* « Pro Ecclesiae praeceptis verum subiit martyrium, et imprimis pro observatione praeceptorum Ecclesiae zelum contra eos ostendit, qui leviter dicerent « quid refert, non est nisi Ecclesiae praeceptum? » Jejunia ecclesiastica stricte observabat; sicut etiam in adimplendis legibus divinis nulli erat secundus. Haec omnia propria novi experientia, idque solum addo, me propterea eum martyrem pro Ecclesiae praeceptis vindicandis appellasse, quia Ecclesiae jura nullis fractus persecutionibus intrepidus defenderet. »

§ 79. *Ejusque jura defendit intrepidus.*

Et *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 102. *ter.* « Eo tempore, quo Viennae Principum Congressus celebrabatur, omnem Servus Dei navavit operam una cum quodam Canonico Helferich (cujus officium praecise indicare nequeo, qui vero certa Ecclesiae catholicae jura in Germania vindicare debebat) ut pro Ecclesiae bono quidquam efficeret; qui quidem labor an felici coronatus fuerit successu, ignoro. »

§ 80. *Etiam contra proprium judicium jubenti Ecclesiasticae auctoritati obtemperabat.*

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 142. « Fidei propagandae eum omnem navasse operam, jam ex intima ejus patet persuasione, extra Ecclesiam non esse salutem. Toti ordini hierarchico Ecclesiae visibilique ejus Capiti omnem praestitisse eum obedientiam, per se etiam patet. »

Et *infr. fol.* 153. *ter.* « De ejus obedientia hoc tantum generatim referre possum, eum Apostolicam Ecclesiae auctoritatem summopere veneratum et aliquid facere jussum, quod

proprio judicio haud conveniens videretur, illud tamen fuisse exequutum. In ejus vita, moribus vel effatis aliquid christianis virtutibus fuisse contrarium, penitus ignoro. »

V. Testis *juxta* 31. *Interr. Proc. fol.* 213. « Veritas est, Ecclesiae salutem Servo Dei valde cordi fuisse, eumque sacerdotium amasse ut pupillam oculi sui. Idcirco etiam interdum, praesertim quatuor temporum diebus, et cum sacerdotes ordinarentur, auditores ad sacras preces fundendas ferventer hortatus est, ut a Dei bonitate bonos, sanctos, et zelantes impetrarent sacerdotes: « *Considerate*, inquit, *per sacerdotes venire salutem aut perditionem, benedictionem aut maledictionem super populos. Si in veteri Testamento alia flagella ad populum induratum ab erroribus reducendum amplius non proficerent, summum in eos Dominus immisit flagellum, malos nempe et obcaecatos sacerdotes. Itaque orate et instate apud eum cum ardore, ut mittat sanctos sacerdotes, hi enim sunt summum beneficium pro populo et pro quolibet nostrum. Honorate etiam sacerdotes mandati memores Jesu Christi: qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.*

§ 81. *Sacerdotes honoravit.*

Et *juxta* 22. *Interr. fol.* 200. *ter.* « Clerum cujusvis gradus summo in honore habebat Servus Dei. Sacerdotes, qui ad Sacrum faciendum saepissime veniebant in ecclesiam monialium, amice et laete excepit, quod et fecit, cum venirent in ipsius habitationem. Summa benevolentia prosecutus est Sacerdotes ex italicis ditionibus. Ejus cum sacerdotibus agendi ratio magnopere me aedificabat. Majorem adhuc venerationem exhibuit Dignitariis ecclesiasticis, exempli gratia, Episcopis et Cardinalibus. Cum anno millesimo octingentesimo decimo sexto vel millesimo octingentesimo decimo septimo Augustinus Gruber, Episcopus Labacensis praeconizatus, in ecclesiam monialium Sanctae Ursulae ad Sacrum faciendum veniret, Pater Hofbauer in genua prostratus sanctam petiit benedictionem manumque ejus est osculatus, quamvis Augustinus Gruber nondum esset consecratus. »

§ 82. *S. R. E. Cardinalibus et Episcopis plenum obsequium exhibuit.*

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 252. *ter.* « Saepe etiam institit, ut preces funderemus pro Sancto Patre, Episcopis et presbyteris, qui singulari modo Dei gratiis indigerent, et a quibus Ecclesiae salus penderet. »

§ 83. *Preces pro ecclesiasticis Ordinibus fundi curabat.*

X. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 293. *ter.* « Quantum Patri Hofbauer Sanctae Ecclesiae salus et propagatio esset cordi, verba saepe in pulpito ab eo prolata et a me audita testantur: « *Qui Sanctam Ecclesiam non habet matrem, nec Deum potest habere patrem.* »

XII. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 328. *ter.* « Audivi, Servum Dei multiplices persecutiones et contradictiones etiam ab auctoritate civili, et quidem plurimum esse perpessum. Audivi pariter, ista omnia a Servo Dei fuisse tolerata, quia pro Dei gloria et religione et Ecclesia catholica tam decise et fortiter zelavit. »

§ 84. *Persecutiones est passus propter zelum erga Ecclesiam catholicam.*

XIV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 357. *ter.* « Eum de catholica Ecclesia praedicasse libenter, notum est, (sed eo tempore haec rara res erat, ita ut nos juvenes gaudio afficeremur, si concionator aliquis ea proferret verba « Sancta Ecclesia catholica ») cumque de ea loqueretur ardore plenus, magnopere etiam auditorum movebantur animi. Sic exempli gratia doctus vir Adamus Muller quodam die mihi narravit, quantopere ipse commotus fuisset verbis Sacrae Scripturae a Patre Hofbauer ad Ecclesiam applicatis: « Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta. »

§ 85. *Suadebat omnibus, ut Ecclesiae tanquam matri obsequerentur.*

XV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 375. *ter.* « Ferventi etiam ardebat amore Servus Dei erga Sanctam Ecclesiam catholicam « *Qui Ecclesiam non habet matrem*, dicere solebat, *eum etiam Deum nolle habere patrem.* » Sanctae Ecclesiae propagandae summum habebat desiderium, ac persuasum habeo, eum certe paratum fuisse, ad hunc finem sanguinem suum fundere. Erga Ecclesiae caput summa ferebatur veneratione eosdemque sensus et aliis instillare studebat. Maximo dolore eum affecerunt aerumnae, quas Pontifices nonnulli (Pius Sextus et Septimus) pati debebant, et sicut dolebat cum Ecclesia oppressa, ita etiam cum gaudenti gaudebat. »

§ 86 *Angebatur de aerumnis quas Pius VI et Pius VII pertulerunt.*

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 395. « Ejus fides specialiter eluxit.... in flagranti amore erga Ecclesiam catholicam, cui propagandae omnes impendit vires, quas habebat, nec dubito, quin summum ejus fuisset gaudium, pro Dei causa sanguinem fundere. Veneratione et submissione prorsus peculiari ferebatur in Sanctam Sedem. »

Et *infra fol.* 443. *ter.* « Praeprimis summa cum reverentia subjectus erat Sanctae Sedi, Nuntiis Apostolicis, qui eum semper venerabantur et amabant tamquam fortissimum catholicae vitae columen in civitate Vindobonensi. Eadem mente praeditus erat etiam erga Episcopos, in quorum Dioecesibus degebat et laborabat, etiam in difficillimis, acerbissimis et dolorosissimis mandatis. »

§ 87. *Episcopis subjectionem et obedientiam praestitit.*

§ 88. *Intimas relationes semper habuit cum Sede Apostolica et Nuntiis Pontificiis.*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 418. *ter.* « Toto cordis affectu Clemens Maria Sanctae addictus erat Ecclesiae, summo Pontifici et Romae, quo toties est peregrinatus. Intima semper in relatione erat cum Roma et Nuntiis Apostolicis apud varios Principes, eorumque plena fruitus est fiducia. Ecclesiae aerumnis magno afficiebatur dolore. »

XXIV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 501. *ter.* « Fortiter defendit in pulpito Sanctae Ecclesiae jura, quod tentamen difficile erat istis temporibus. »

XXV. Testis *juxta* 24. *Interr. Proc. fol.* 523. « Pater Clemens innumeris hominibus, illius temporis spiritu imbutis, vir apparebat peregrinus et insolitus, quum modo penitus novo et ardore valde raro catholicae Ecclesiae veritates et jura defenderet, verbo semper et ubique fidelem Ecclesiae suae se exhiberet filium. »

XXVI. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 537. *ter.* « Praeprimis summum amorem et venerationem erga Ecclesiam, Jesu Christi Vicarium, et quamlibet ecclesiasticam auctoritatem (quae veneratio tunc temporis valde erat delapsa) omnium nostrum cordibus alte infixit. Solus ejus usus homines reddidit romano-catholicos, ipse enim penitus cum sancta catholica Ecclesia vivebat, et summa veneratione ferebatur erga Summum Pontificem. » § 89. *Prodebat fidem heroicam Servi Dei ejus reverentia erga Roman. Ecclesiam, Summum Pontificem et Hierarchiam ecclesiasticam.*

Et *juxta* 22. *Interr. fol.* 540. « Quam fortis erat ejus fides, tam magnus amor erga Ecclesiam ac veneratio et obedientia erga visibile Ecclesiae caput. Omne studium impendit in Sancta Ecclesia exaltanda, regno Dei in terra propagando, quod assequi satagebat praeprimis erigendo Congregationem Sancti Alphonsi. Primarium studium in eo posuit, ut glorificaret Ecclesiam et propagaret suam Congregationem; aerumnae Ecclesiae et Congregationis suae gravius illi erant onus, quam propriae aerumnae et dolores. »

Et *juxta* 22. *Interr. fol.* 546. *ter.* « Cum Sancta Sede, quamvis id tunc tam esset rigorose prohibitum, per Nuntios apostolicos continuam retinuit relationem. Vindobonae ipse ejusque socii quasi soli Nuntios Apostolicos adibant continue, prout hoc ab iis ipsis audivi. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 584. *ter.* « Ejus erga Ecclesiam catholicam amor tener erat vereque exaestuans. Omnia ejus praescripta, dispositiones, institutiones et exercitia ipsi erant venerabilia. Magnopere in id incubuit, ut quorum animos moderabatur, ii perciperent mente et considerarent ecclesiastici anni festa. In sacris concionibus suis fideles saepius instruebat de festorum et coeremoniarum ecclesiasticarum significatione, beneque recordor, eum prima Adventus Dominica anni millesimi octingentesimi decimi septimi strenue mihi commendasse, ut incipientem annum ecclesiasticum attente et sollicite peragerem in omnibus solemnitatibus occurrentibus. Magna erat veneratio, qua in visibile ferebatur caput Ecclesiae vivaque compassio in iis omnibus, quae ob infestationem et persecutionem Sanctae Ecclesiae Sanctam Apostolicam Sedem afficiebant. » § 90. *Visibile Ecclesiae Caput obsequentissime venerabatur, et summopere diligebat.*

Et *infra fol.* 585. « Sacerdotes, verbis utens Sacrae Scripturae, saepius compellabat: « *pupillam oculi Dei* » nec unquam dominicis ante quatuor temporum hebdomadem monere fideles omisit, ut Dominum orarent, ut Ecclesiae suae dignos mitteret presbyteros. Saepius ardens manifestavit desiderium, ut exurgerent Sacerdotes vero spiritu animati apostolico ad Evangelium quasi de novo annuntiandum in variis mundi partibus, praesertim in Germania, ubi incredulitas et indifferentismus in rebus fidei magis magisque semper cresceret. » § 91. *Fideles monuit, ut pro sacerdotibus orarent.*

ARTICULUS VII.

Ven S. D. fidem languentem praedicando modo Apostolico resuscitat.

(Ex Processu Apostolico)

§ 92. *Veritates tum maxime oppugnatas libentissime praedicavit.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 167. *ter.* « Vindobonae ab omnibus tamquam praedicator apostolicus fidei catholicae habebatur, sed praecipuo amore illas veritates fidei praedicabat, quae eo tempore maxime impugnatae erant, ex. gr. de Ecclesia, de auctoritate Successoris S. Petri, de Indulgentiis. »

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 236. *respondit*: « Habuisse cum zelum sanctae Fidei tum ex ejus studio continuo fidei resuscitandae et propagandae, tum ex mirabilibus effectibus et successibus quos suis simplicibus et inornatis concionibus apud nobiles et plebejos obtinuit, mihi liquet. Sanctam Fidem etiam in aliis personis excitare, easque ad actus summe heroicos movere sciebat. »

IV. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 257. *respondit*: « Quilibet tum ex materiis concionum, tum ex ardore, quo omnes veritates in sacro pulpito defendebat, facile videre poterat, Venerabilem Servum Dei vivacissima fide esse repletum, et nemo non fidem fortem et decisam admirabatur. »

VII. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 303. *respondit*: « Qualibet etiam dominica coram numeroso devoto auditorio concionari solebat, ejusque sermones vere apostolici multas animas converterunt. Modus concionandi valde simplex et perspicuus et in explicando divino verbo valde solidus erat: omnes cum summa attentione eum audiebant. Inter auditores regulariter multi distincti et docti viri inveniebantur, exempli gratia Josephus Othmarus Rauscher, nunc Cardinalis et Archiepiscopus Vindobonensis, et ejus fratres, Dominus Neubauer, Fridericus Schlegel. »

§ 93. *Mysteria fidei commoventi modo exposuit.*

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 305. *ter. respondit*: » In concionibus id ipsi maxime cordi erat, ut mysteria nostrae fidei modo commoventi et cum solida scientia explicaret; imprimis diebus festivis auditoribus explicare studuit, quae sit festi diei significatio. Nunquam porro omisit, incidentibus Quatuor Temporibus, finem, quo S. Ecclesia ea instituerit, plenissime et clare exponere. « Hisce diebus (sic dicere solebat) jejunandum et particulariter supplicandum est, ut Deus optimus suae S. Ecclesiae sacerdotes zelo plenos mittat. » Ejus verba corda perstringebant. Saepissime fideles admonuit, ut peccata odio tenerent, et summo zelo commendavit, ut quascumque christianas virtutes exercerent. Doleo de quocumque verbo, quod debili memoriae meae decidit. Ven. Servus Dei pulchram consuetudinem habebat, conciones suas semper quadam tenera oratione claudendi, quae ordinarie hisce verbis incepit: « O Amator hominum etc. »

VIII. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 339. *ter. respondit*: » Ecclesia nostra, prinsquam P. Hofbauer eam regeret, in statu tristissimo erat. Tam parum frequentabatur, nt diebus dominicis et festis, nec non sabbatis et festis Apostolornm, quibus coram exposito Sanctissimo litanias recitare adhuc usus erat, vix una adesset persona, quae responderet: « Ora pro nobis. » Non habebatur in ecclesia nostra concio nisi in primariis festis, ex. gr. Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini etc. et tunc etiam perpauci interveniebant. Sed ex quo P. Hofbauer sacram industriam in nostra ecclesia exercere incepit, frequentatio ejusdem felicissimnm sumpsit augmentum. Prima jam dominica, postqnam P. Hofbauer officium suum assumpserat, sciscitatns qua hora inchoaret concio, responsum accepit, ordinarie concionem non haberi, nisi in primariis anni solemnitatibus. Hoc audito, illico cum admiratione monialium pulpitum ascendit, et coram parvo coetu concionem fecit. Ab eo die numerus visitantium ecclesiam visibiliter auctus est; et non solum concionibus, quas exinde Ven. Servus Dei aut unus ex suis confratribus ordinarie diebus dominicis et festivis habuerunt, plures semper auditores intervenerunt, sed quod magis stupendum est, sacrum etiam tribunal majori semper numero eorum circumdatum est, qui concionibus Ven. Servi Dei excitatos se sentiebant, ut ad ejus pedes pondus peccatorum cum dolore deponerent. Ven. Servus Dei in praedicando fuit simplex et perspicuus, et simul etiam ita fortis, ut corda anditorum concuteret, et multi eorum, qui cum perversa animi dispositione, imo cum proposito illudendi ejus sermonibus in ecclesiam nostram venerant, verbo Dei ex ejus ore profluente valde commoti et concussi a domo Dei recesserunt, et exinde diligentissime ejus sermonibus intervenerunt, et sacrum tribunal adierunt. Plures eorum postea sacerdotes Coñgnis SS. Redemptoris facti sunt, uti ex. gr. Madlener et Springer, qui a principio in concionibus Ven. Servi Dei ita se gerebant, ut facile intelligeres, eos esse incredulos. P. Hofbauer optime quidem noverat, inter auditores haud raro esse animos contrarios, sed ex eo minime animum demisit, imo auctus est zelus et fiducia in Deum, et omnem operam dedit, ut illos homines obcoecatos et perversos ad Deum reduceret. Dominus vero verbis Servi sui revera tantam unctionem et virtutem persuadendi concessit, ut multi non solum ex personis inferioris conditionis, sed etiam ex altioribus et cultioribus classibus consilium penitus mutandi principia et mores inirent, et constantes cultores et amici Ven. Servi Dei fierent. »

§ 94.
Quos sermone commoverat, eos in sacro tribunali Deo reconciliavit.

IX. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 380. *ter. respondit*: « Circa sacrum ministerium, quod Vindobonae exercuit, haec dicere possum. Ven. Servus Dei fere omnibus diebus dominicis et festivis in nostra ecclesia praedicavit. Concionando valde simplex fuit, et sermone omnium captui adaptato: « Volo,

dixit, ut etiam ab infantibus intelligar. » Sed virtus sermonis auditores adeo percussit, ut saepe lacrymis et singultibus temperare non possent. Praedicavit, ut dicunt, severe; judicia Dei cum gravitate indicavit, et si quis propter severitatem sermonis ei obloqueretur, respondit: « Proh dolor! oportet severe praedicare, quoniam religio adeo collapsa est. In pulpito nuces ab arboribus decutiendae, in sacro vero tribunali cum charitate et mansuetudine colligendae sunt. »

§ 95. *Fuit dicendo profundus et simplex.*

Et *fol.* 384. *respondit*: « Mysteria fidei, etsi summe profunda cum admirabili simplicitate et facilitate explicare sciebat. Sic ex. gr. verba S. Ecclesiae in Sabbato sancto prolata: « O felix culpa Adae, » ita explicavit, quod incarnatione Filii Dei nos quoque facti sumus filii Dei, fratres Christi, et haeredes paradisi, quodque natura humana adstat ad thronum divinae Majestatis altius exaltata, quam fuerat in paradiso. »

Et *fol.* 417. *respondit:* « In concionibus Sanctos, et maxime eos, quorum laus est in S. Scriptura, uti exempla obedientiae proponere amavit. Sic aliquando obedientiam Abrahae, cui Deus mandaverat, ut filium suum Isaac offerret, descripsit. Ejus cor, inquit, propter hoc mandatum gravissimum dolorem concepit, attamen obedivit et jussis non obstitit. Si igitur Dominus multo minora a nobis petit, nonne libenter et cum gaudio obediemus? Aliquando viros monuit, ut exemplum Abrahae sibi sequendum proponerent, qui mandatum Dei omnes, etiam mulierem, celavit, ut ejus dolori et angustiis parceret, et obedientiam difficiliorem non redderet. »

§ 96. *Praedicavit tamquam potestatem habens.*

X. Testis, Emus Card. de Rauscher, *fol.* 448. *ter. declaravit:* « In concionatoris partibus explendis admirabilis fuit. Arti oratoriae operam nunquam dederat, a sermonis elegantia multum aberat, auctorum profanorum, quorum scriptis lingua germanica exculta est, nullum certe legerat; attamen vere se exhibuit discipulum Ejus, qui tamquam potestatem habens locutus est. Nunquam audivi oratorem sacrum, cujus verba ad unum, quod est necessarium, tanta efficacia tenderent; unde virorum politissimorum non minus quam vulgi animos commovit. »

II. Testis ex officio, *juxta* 31. *Interr. fol.* 741. *ter. respondit:* « Amare Deum et Ecclesiam et animas Deo lucrari, hoc illi esse et vivere erat, hoc unice desiderabat. Hoc elucebat ex toto homine, ex ejus verbis et operibus et ex concionibus, quae simplices et inornatae erant, sicut ejus persona, et tamen modo extraordinario commovebant. »

(Ex Processu Ordinario)

I. Testis *juxta* 25. *Interr. Proc. fol.* 114. *ter. respondit*: « Sermo illi tum in pulpito et confessionali, tum in conversatione adeo simplex et omnis artis expers (quamvis virum proderet in Theologia bene fundatum) ut, quam in fidem et

vitam tum doctorum, tum rudium hominum exercebat, mirabiliter vis se manifestaret. Argumenta dedit scientiae infusae, nec temere asseritur, successus sermonum Servi Dei non ex humano loquendi modo, sed ex speciali gratia Dei provenisse. Paucis verbis heterodoxos saepe ad amplectendam veram Religionem, peccatores ad poenitentiam, pios ad majorem induxit fervorem. »

§ 97. *Paucis verbis mirabiles effectus produxit.*

Et *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 95. « Singulis fere dominicis ipsius interfui concioni. Virum vere Apostolicum, qualis erat Pater Hofbauer, nunquam vidi. Ipsius conciones, quantumvis simplices, plenae tamen erant unctione; alta carentes scientia, sed revera populares, indoctis adaptatae et doctis, qui lubenter eum audiebant. Imprimis jaculatoriae preces, quas inter concionandum ad Jesum et Mariam dirigebat, ad rem erant et corda movebant. Breves oratiunculae, quas in fine coelum versus mittebat, summopere aedificabant, et ille, quem producebant, effectus supra modum erat, ita ut praesertim inter juvenes splendidae inde sequerentur conversiones.

Et *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 101. *ter.* « Vivam suam fidem omnibus etiam discipulis inserere satagebat simulque ab oppositis principiis arcere. Manifestavit autem sese ista fides praeprimis in concionibus, et quidem mediantibus jaculatoriis precibus inflammatis, exempli gratia: « *Caro mea in throno sedet Sanctissimae Trinitatis. O animae pretioso Dei sanguine redemptae, quare moriemini?* vel: *O Jesu, amator animarum hominum, miserere nobis.* »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 140. « Ante concionem quartam horae partem arripuit, ut in medio juvenum tumultu in cubiculo sese praepararet, caput suum ad solitudinem quandam procurandam contegens sudario. Ex tempore ergo proprie non praedicabat, sed ita tamen uti Spiritus Sanctus dabat eloqui illi. Divisio inde homiletica, ornatusve rhetoricus illi deerant; nihilominus tamen sacerdotes valde conspicui ejus conciones audire quaerebant, et professor Romanus Zängerle, Episcopus postea et Princeps Secoviensis, ex iis erat, qui summa eum colerent admiratione . . . Successus, quem in sacro tribunali et in pulpito operando obtinebat, quovis tempore plus quam ordinarius dicendus est. »

§ 98. *Imparatus ad concionandum non accedebat.*

Et *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 152. « In solo pulpito ardori suo quandoque laxabat frena, tunc autem et vultus quasi rutilabat. »

Et *juxta* 25. *Interr. fol.* 156. « Ex ore pie defuncti Episcopi Romani Zängerle saepe haec audivi verba, Servum Dei praedicare ex virtute Spiritus Sancti, et quasi potestatem habentem. Idem effati sunt Episcopus Frint et alii. »

§ 99. *Spiritus Sanctus dabat eloqui Illi.*

III. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 176. *respondit*: « Ipsius verba erant Spiritus Sancti effectus. »

V. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 198. *ter.* « Singulis annis Servus Dei conciones quadragesimales, quas vocant, in Monia-

lium ecclesia habuit. Anno millesimo octingentesimo decimo sexto de Dei operibus in creatione praedicans viva fide et commoventi modo de infinitis locutus est Dei perfectionibus. Insuper de alta hominis dignitate et sublimi ejus fine praedicavit. In omnibus istis sermonibus simplicissimis iisdemque efficacissimis animos movere tantum quaerebat. In exordio dixit: *Loquar hodie tam ordinarie tamque simpliciter, ut et indocti, imo ipsi infantes me capiant, ne ad Dei tribunal accusare me possint dicentes: Non te intelleximus.* Verba sacra: « Creavit Deus hominem ad imaginem suam etc. — Videbimus Deum, sicuti est », tanto cum fervore elocutus est, ut omnium auditorum animi summopere moverentur. »

§ 100.
S. Scripturam et SS. Patres optime noverat.

VI. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 219. « Varsaviae concionans lectionem sive epistolam singulis Dominicis assignatam exponere solummodo sategit, cujus tamen unum alterumve versum tantum explicabat, sed tanta cum claritate et peritia, ut omnes dilaberentur difficultates, et auditores satures quidem, sed inviti finem sermonis appropinquare viderent. Argumenta in oratione tam solida et stringentia adducebat, ut nemo ei posset resistere, elucente ex ea profunda Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum, et tum ecclesiasticae tum profanae historiae, et praesertim etiam humani cordis cognitione. »

Et *juxta* 25. *Interr. fol.* 235. *ter.* « De ejus modo concionandi ut testis oculatus jam deposui, nempe successum, quem habebat, nulla in relatione fuisse cum simplicitate sermonis, eumque nonnisi ex peculiari Sancti Spiritus auxilio posse explicari. Obligatum ergo me sentio meam persuasionem propria experientia et depositionibus jam factis innixam referre: Servum Dei coelesti sapientia a Deo fuisse ornatum. »

XII. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 327 *respondit*: « In sacris functionibus peragendis Seraphini instar penitus erat extra se raptus. Haec omnia ex propria scio experientia, ejus enim conciones ipsa audivi et Missae interfui. »

§ 101.
Exercitio concionandi jungit assiduam sedulitatem in confessionibus excipiendis.

XV. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 374. *ter.* « Scio, Servum Dei eo tempore in ecclesia Monialium Sanctae Ursulae zelum animarum tum in pulpito, tum in sacro tribunali incredibilem in modum et ubere cum fructu demonstrasse. »

Et paulo post: « Servi Dei conciones erant simplicissimae, sed afficientes animum et moventes. Confessarius erat eximius mansuetudine, prudentia, et amore paterno. »

§ 102.
Animos supernaturali unctione implevit.

XVII. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 394. « Patrem Hofbauer in his officiis tum concionatoris tum confessarii vere apostolico laborasse modo, certissime testari possum propria experientia. Quamvis Pater Hofbauer eximiis concionatoris dotibus natura non esset instructus, imo ne linguae quidem auditorum plane esset compos, concionando tamen animos ita movere et supernaturali unctione implere novit, ut non solum populus fidelis in genere aedificaretur, sed etiam

illustrissimi, cultissimi et doctissimi viri intime perculsi edicerent: « Unicum ex ejus ore verbum sufficere sibi per totam hebdomadam. »

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 422. *ter.* « P. Hofbauer vere veritatis erat amicus, odio habens mendacium etiam officiosum, quod vocant, et quamcumque simulationem et hypocrisim. Veritatis amorem in concionando ostendit: Evangelicam veritatem simpliciter et aperte praedicans, haud sollicitus, an libenter audiretur an laederet. Ut notum est, spiritus Josephinus plerosque etiam tum concionatores infecerat, ita ut plerumque de rebus moralibus vagae omnino haberentur conciones. Unde P. Hofbauer admirationem ciebat, more catholico denuo praedicans de inferno, de diabolo, purgatorio, indulgentia et sanctae Ecclesiae auctoritate. »

XXVI. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 536. *ter.* « Propria experientia referre possum quod sequitur. In ecclesia monialium Sanctae Ursulae Vindobonae operatus est uti Apostolus a Deo excitatus et supernaturali sapientia praeditus. Omnes attraxit ordines; Ursulinarum ecclesia hominum copiam saepe vix capere poterat. Homines culti doctique, catholici et protestantes pari modo aedificati, imo in administrationem rapti sunt, ac pauperes operarii et decrepita matercula. Ipse ego audivi doctos et cultos viros dicentes: « Si praeclarum audire cupitis oratorem, in hanc » illamve ite ecclesiam; quod si Apostolum audire desi» deratis, meate in ecclesiam Sanctae Ursulae et audite » Patrem Hofbauer! » Qua in re hoc mirum est, quod Patrem Hofbauer idipsum defecerit, quod alias homines culti doctique quaerunt; ipse non erat doctus, in profanis scientiis quasi peregrinus, nec linguae germanicae penitus gnarus. Insuper adeo simpliciter praedicabat, ut ipse saepe diceret: « Hodie loquar tam simpliciter et clare, ut quaevis anus et ipsi infantes me capiant. »

§ 103.
Docti et haeretici ejus sermone in admirationem rapti sunt.

XXIX. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 581. *respondit*: « Eo tempore, quo ego cum eo contraxi relationem, munere fungebatur ordinarii Confessarii Monialium Sanctae Ursulae, et in earum ecclesia variis praefuit sacris functionibus. Ex hoc titulo in memorata ecclesia singulis diebus dominicis et festis praedicabat, paucis exceptis. Verbum Dei annuntiabat digne et simpliciter, in id incumbens, ut ab omnibus etiam minus cultis intelligeretur, saepe ideo istud repetens verbum: « *Ut et parvuli me capiant.* » Istis in concionibus sancta fide, quam praedicabat, ita erat plenus et penetratus, ut et audientes eadem fidei persuasione accenderentur. Ecclesia mediocris tantum amplitudinis regulariter fere referta erat hominibus variae spiritualis culturae; inter eos videbas tam pauperes et plebejos, quam homines superioris ordinis, quin etiam conspicui et tum conditione, tum scientia praecellentes ho-

mines ejus ordinarie frequentabant conciones. Omnes attentis stabant auribus, et verborum ejus vis, sublimitas et dignitas in hominum descendebat animos e concione cum aedificatione semper discedentinm. »

XXX. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 612. *ter.* « Recordor concionis Servi Dei a me auditae, scio autem, me simplicibus ejus verbis, omni tamen fidei ardore prolatis, alte fuisse commotum et summopere aedificatum, praesertim quum eadem finita quinquagesimus psalmus *Miserere* recitaretur, ac ipse tali auditorio in ecclesia penitus referta ferventi cum devotione apostolicam daret benedictionem (facultate pontificia ad id instructus qua Vicarius generalis Congregationis SSm̃i Redemptoris) et manifeste cum communi auditorum commotione.»

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 513 *ter. respondit*: « Fortis Servi Dei fides praesertim elucet ex contrarietate cum indifferentismo religioso tunc temporis adeo universali, et imprimis Vindobonae adeo florente. Urbanitatis erat non solum in communibus coetibus, sed etiam in circulis familiaribus, et in ipso pulpito quamlibet mentionem rerum fidei revelatae vitare. Voces, catholicas imo et in genere christianas veritates directe designantes, vix ullibi nisi in vocabulariis inveniebantur. Inter sacros concionatores praeter P. Hofbauer fel. record. non erant nisi tunc temporis professores Zängerle et Ziegler, multa necessitudine cum P. Hofbauer conjuncti, qui, prout sonat proverbium, puerum (id est catholicismum) suo nomine appellare auderent. His adjunctus est tempore Congressus Vindobonensis celeber Zacharias Werner, ad fidem catholicam reversus, qui illico fidelem et humilem Patris Hofbauer discipulum sese profitebatur. »

XXXIX. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 688. « A Sua Excellentia Domino Norberto de Purkhardt, olim Praesidente Consilii Imperii, multa jam diu audiveram de Servo Dei P. Clemente Maria Hofbauer, cui ideo semper sacram servavi memoriam. Eo majori affectus sum gaudio, cum a Ven. SSm̃i Redemptoris Congregatione honorifica mihi fieret invitatio, ut intervenirem exhumationi et depositioni Servi Dei. Excellentia Sua ob provectam aetatem et caecitatem domo exire haud valens copiam mihi fecit, de P. Hofbauer ex sua scientia et fide referendi sequentia, quod et facio ad juramentum meum me referens: = Ante annum 1820. Vindobonae magna negligentia increbuerat quoad functiones sacras visitandas: ecclesiae parum erant frequentatae, cum homines potius se darent voluptatibus. Res idcirco mira mihi apparuit, quod fortuito ad Conventum Ursulinarum pertransiens turbam invenirem in ecclesiam sese intrudentem. Sciscitanti mihi, quid hoc sibi vellet, responderunt: « Concionatur P. Hofbauer. » Memet intrudens audivi concionem, cujus argumentum hoc erat: Homo non

indiget nisi seria voluntate, virtutem praestat Deus. P. Hofbauer, pio zelo et sancto affectu commotus, modo vere apostolico ad hominis sancti et transfigurati instar praedicavit, talique modo, prout et confessiones excipiendo et aegrotos visitando animos ad religionem reduxit. Multos novi viros etiam literatos, de religione ejusque mandatis parum sollicitos, sed per P. Hofbauer postea omnino conversos. ==

ARTICULUS VIII.

Praedicatio Ven. S. D. uberrimos ubique fructus produxit.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 157. *ter. respondit*: « Ex auditoribus, quorum fidem excitaverat, plurimi deinde in sacro tribunali eum adierunt, et confessionem generalem apud ipsum fecerunt. Temporis decursu numerus poenitentium ita auctus est, ut fere per totum diem, imo usque ad tardam horam noctis excipiendis confessionibus occuparetur. »

Et *fol.* 158. « Ven. S. D. paulatim magnum numerum studentium Universitatis, prae caeteris multos jurisprudentiae et etiam medicinae et theologiae studiosos circa se colligebat, e quibus postea saltem viginti septem Congregationem ingressi sunt. Magnetis instar paterna sua charitate eos attraxit, et ut fideliter ipsi adhaererent, effecit. Quilibet apud eum felicem sese sentiebat Per suos discipulos et poenitentes auctoritatem semper crescentem in omnes classes societatis Vindobonensis obtinuit, et ab ipso repetenda est vera reformatio religiosa Vindobonensium, in quo negotio Werner, ejus fidelis discipulus et celeber concionator, auxilium ei praestitit. »

§ 104. *Plurimos magnetis instar attraxit.*

Juxta 31. *Interr. fol.* 176. « In parva ecclesia S. Ursulae simul convenerunt, ac ibi multi quasi quotidie sacrae Missae hora septima intervenerunt; et laetum praebuit aspectum, cum ibi flexis genibus preces fundebant, et tenerum fuit spectaculum, si cum summa devotione sacram communionem receperunt. Quae quidem res mira videbitur consideranti, haec eo tempore evenisse, quo ubique locorum tepor et indifferentismus dominabatur, et frequens Sacramentorum usus penitus ignorabatur. »

II. Testis *juxta* 53. *Interr. fol.* 227. « Scio, I°: Eo auctore in multas et conspicuas familias novum omnino pietatis spiritum introiisse; II°: Per eum frequentiam Sacramentorum Vindobonae denuo fuisse introductam, eo tempore fere ignotam penitus; III°: Per eum Sanctissimi Rosarii recitationem iterum fuisse introductam, quod non nisi apud paucas personas senescentes inveniebatur. »

§ 105. *Spiritum rectum innovavit.*

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 236. *ter. respondit:* « Firmissime affirmare possum (praemissa semper gratia Dei), labo-

ribus Ven. Servi Dei gratum referendum esse, fidem catholicam Vindobonae penitus extinctam ad novam vitam esse resuscitatam, nam ex eo tempore Viennae homines cujuscumque conditionis de Sancta Ecclesia catholica melius sentire coeperunt. »

IV. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 258. *ter. respondit*: « Bene recordor, verbum Ven. Servi Dei concionantis permagna vi corda penetrasse. Simile fuit flammae ignis subito corda accendentis vel gladio animam transfigenti, et utique mihi persuasum est, effectus sermonum Ven. Servi Dei particulari gratia tantum Spiritu Sancti explicari posse: alia hic deponenda non habeo, »

VII. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 316. « Ven. Servi Dei sacra industria tum in pulpito tum in sacro tribunali, tam extraordinariis effectibus coronata fuit, ut recte dicendum sit, particularem gratiam Spiritus Sancti ei adstitisse. »

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 346. *ter. respondit*: « Certo omnes, qui fructus sacrae industriae Ven. Servi Dei noverunt, attestari debent, non solum ecclesiam et conventum nostrum, sed totam Vindobonam ipsi et primis sacerdotibus suae Congregationis, qui omnes ejus discipuli erant, acceptum referre, quod eo tempore fides et vita christiana tam extraordinarium incrementum ceperunt. »

Et *juxta* 35. *Interr. fol.* 362. « Quantum scio, Ven. Servus Dei etiam donis extraordinariis ornatus fuit. Quod ad ejus conciones spectat, verbum Dei stylo simplici, familiari, sine omni verborum pompa (hanc enim summopere oderat) enuntiavit. Ex ejus modo concionandi clare videbas, ipsum non suum honorem, sed gloriam Dei et salutem proximi quaerere. Sed locutus est cum virtute et vigore, et aliquando quodam sacro ardore accensus. Ejus verba, quae omnia de corde veniebant, corda quoque audientium penetrabant. Qui ejus conciones audiebat, operationi divinae gratiae resistere non poterat, et libenter faciebat, quod proposuit et monuit. Eo loquente magna fuit quies inter auditores, qui erant numerosissimi. Cum summa attentione excipiebant ejus verba. Saepe auditores ita commoti sunt, ut fletum et singultum continere non possent, et quod majus est, tantam vim et benedictionem Deus verbis suis concessit, ut numerosae et extraordinariae conversiones sequerentur. Negari non poterat, istas conversiones fructus esse gratiae Spiritus Sancti, qui modo extraordinario Ven. Servum suum in pulpito illuminabat, et ornabat. »

§ 106.
Auditores compuncti lacrymas fuderunt.

IX. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 381. *respondit*: « Conciones benedictione celesti uberes erant. Ecclesia nostra plurimum frequentabatur, innumeri ad vitam christianam convertebantur, multi etiam ex numero Acatholicorum sive Protestantium ad fidem reducti sunt. »

Et *juxta* 35. *Interr. fol.* 421. *ter. respondit*: « V. S. D. certe donis supernaturalibus ornatus erat, idest a Deo gratiam

accepit in salutem animarum et utilitatem S. Ecclesiae extraordinaria operandi. Ven. Servus Dei annuntiando veritates divinas, oratione simplicissima usus est, et tamen effectus extraordinarios produxit. Ejus verba erant scintillae inflammatae, quae omnium corda incendebant, erant gladius animam transfigens. Auditores saepe copiosas lacrymas effundebant, et innumerae conversiones ad fidem et vitam catholicam sequebantur. Paucis verbis haereticos saepe ad veram religionem, peccatores ad poenitentiam, pios ad majorem zelum perduxit. Ejus verbis gravibus et persuasione plenis cessit omne dubium, tentationes sunt repulsae, omnis animi dolor sanatus est; id quod ipsa saepius experta sum. Omnino persuasum mihi est, hos fructus instructionum Ven. Servi Dei tum tantum recte explicari, si pro certo tenes, gratiam extraordinariam Spiritus Sancti ejus verbis adstitisse. »

XVII. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 600. *ter. respondit :* « Utique ex propria experientia novi, Ven. Servum Dei in Ursulinarum ecclesia tum confessiones audiendo tum concionando sacrum ministerium cum fructibus abundantibus exercuisse. Fere omni die dominica et festiva praedicabat, et optime memoria teneo, ipsum etiam in festo Corporis Domini, quo in aliis ecclesiis non erat concio, sermonem instituisse. Concionibus ejus plurimus populus interveniebat, et recordor, numerum praesentium extraordinarium fuisse, cum quatuor temporibus per annum auditoribus indulgentiam impertiretur. In pulpito plenus ardore et ex corde suo loquebatur, et ut mihi quidem videbatur, ea pronuntiabat, quae Spiritus Sanctus in ejus ore posuerat. Quae dixit, omnium indigentiis respondebant, ita ut quilibet haberet, quod ei conveniebat. Quotidie audiendis confessionibus occupatus erat; ejus verba simplicia quidem erant, sed corda movebant. »

107. *Plurimos convertit.*

XXIII. Testis, I. ex officio *juxta* 24. *Interr. fol.* 678. *respondit* : « In ista ecclesia a Deo benedicta festum continuum vel potius missio perpetua celebrari videbatur. Populi multitudo, salutis avida, accurrebat, ut Dominum adoraret, et pietatis ac misericordiae divinae, quae hic manifestabatur, particeps fieret. Ecclesia semper plena erat populo, et sacra tribunalia a gente quasi circumvallata. Hae tam felices et insolitae manifestationes vivae ad pietatem conversionis causa expulsionis horum religiosorum pietate excellentium fuit: cum enim dictae pietatis manifestationes inimicis religionis periculosae viderentur, Patres modo valde barbaro expulsi sunt. Auctore Patre Hofbauer plures uniones ad pios fines se formaverant, inter quas unam hic nomino, scilicet unionem adolescentularum cujuscumque conditionis, quae egregia institutio quoad mores et pietatem optimos fructus produxit. »

§ 108. *Propter conversiones innumeras ab inimicis Ecclesiae Varsavia expulsus est.*

Et *fol.* 686. « V. S. D. Vindobonae tum in pulpito, tum in sacro tribunali cum fructibus valde abundantibus laborabat. »

XXIV. Testis, II. ex officio *juxta* 24. *Interr. fol.* 729. *respondit*: « Ex literis V. S. D. Romae in Archivo generali servatis haec tantum adduco, quae die 9. Januarii anno 1808. ad P. Blasucci, tum Rectorem Majorem Coñgnis, scripsit: = Etiam hic multi dissidentes catholici facti sunt: nostra Ecclesia est fere semper plena: Confessarii Regis et Reginae Saxoniae, qui hic frequentabant ecclesiam et domum nostram, fuerunt stupefacti. Sub una Missa sunt circiter centum et plures communicantes. Hoc anno centum et quatuor millia communicantes fuerunt, et certe essent adhuc plures, si possemus expedire omnes et ecclesia caperet. = Rm̃us et Illm̃us Dñus Litta, Archiepiscopus Thebanus, qui Petroburgi Nuntius erat, literis die 11. Januarii anno 1800. Varsaviae ad Superiorem generalem Coñgnis datis hos ingentes labores V. Servi Dei confirmavit, et haec scripsit: »

§ 109. *Nuntius Apostolicus de fructibus Missionis Varsaviensis refert.*

« Passai per Varsavia, ove mi trattenni più di un mese. Con mia consolazione osservai, che la Casa del SSm̃o Redentore fioriva sempre più nell'acquisto di nuovi operaj, nel concorso continuo di popolo, e col frutto assai grande che ricavasi colla predicazione della divina parola, e coll'amministrazione del Sacramento della Penitenza, e della santa Comunione. Concorso vi è non interrotto di popolo dalle ore avanti giorno sino all'imbrunir della sera, e dalla mattina alla sera altro non si fa che confessare, predicare e dar la benedizione col SSm̃o Sacramento. Io non esagero. Quattro prediche si fanno ogni giorno, due la mattina, e due il dopo pranzo: ogni mattina una predica in polacco, ed una in tedesco, così il dopo pranzo. Il concorso è grande, e vi si vede il frutto in molti che vi concorrono colla mutazione della vita. Forse quello che essi fanno, sembrerà troppo, ma non è troppo pel gran bisogno, che in quel paese vi è, ove gli altri poco si curano di operare nella vigna del Signore. Nè io oserei consigliare i suddetti Padri a lasciare alcuna delle suddette opere, vedendo che ciascuna riesce di molto frutto, anzi temerei oppormi alla volontà del Signore, e guastar l'opera sua. Se si ottiene in Germania una casa, che serva come di Seminario de'Missionarii, conforme a' desiderii ed alle speranze del P. Hofbauer, non vi è dubbio, che il frutto che se ne ricaverà per le regioni settentrionali, sarà molto maggiore. »

Juxta 26. *Interr. fol.* 731. *ter.* « Etiamsi V. S. D. in quovis loco per breve tantum tempus immoraretur, tamen miracula conversionum effecit. R. D. Ludovicus Vicari, Parochus Plessensis Dioeceseos Augustanae, mihi pro certo dixit, usque ad hunc diem vestigia Apostolicorum laborum

§ 110. *Fideles vestigia pedum V. S. D. osculabantur.*

Venerabilis Servi Dei conspicua esse: idem asseruit, a Testibus oculatis audivisse, fideles vestigia pedum praetereuntis V. S. D. osculatos esse. Tantam auctoritatem Venerabilis Servus Dei apud populum habebat. »

Juxta 28. *Interr. fol.* 733. *ter.* « Omnes, qui eo tempore (ab 1813.) V. Servum Dei noverant, et ejus labores propriis osculis videbant, de ejus extraordinaria sacra industria, ac de miraculosis conversionibus, sive in pulpito, sive in sacro tribunali, et ad lectum infirmorum, nec non familiari conversatione, cum studiosis Universitatis et juvenibus Officialibus eum in habitatione sua invisentibus obtentis enarraudo non satiabantur. »

(Ex Processu Ordinario)

I. Testis *juxta* 17. *Interr. fol.* 94. *respondit*: « Quod attinet ad ejus labores Varsaviae, scio ex auditu (et probabiliter ab ipso et ab ejus tunc temporis Confratribus) in S. Bennonis ecclesia continuam fuisse quasi Missionem, cum quater in die verbum Dei ibi praedicaretur, istosque labores copiosos tulisse fructus, et perdurasse usque ad suppressionem Congregatiouis. »

IV. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 187. *ter. respondit*: « Scio ex propria experientia, Servum Dei tum in sacro tribunali, tum in pulpito ubere cum fructu laborasse. Concionandi modus illi simplicissimus, et tamen successus erat extraordinarius, nec omnino mihimet explicare poteram, quomodo vir tam simpliciter loquens tam alte movere posset corda. Inter ejus auditores multi etiam erant ampliorum ordinum, in quibus fides ad novam revocanda erat vitam. Ex eo loquebatur revera Spiritus Dei. »

§ 111. *Specialis gratia Dei assistebat.*

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 253. *respondit*: « Quantum Servus Dei allaboraverit, ut spiritum catholicum tunc longe lateque languentem resuscitaret et roboraret, ejus testantur conciones et indefessa in sacro tribunali applicatio; quo autem splendido successu ejus coronati sint labores, praeprimis in Ordinis nostri ecclesia apparuit, quae deserta prius, per ejus industriam adeo frequentabatur, tam ab auditoribus quam a poenitentibus, ut compressa multitudine fere semper esset impleta. »

Et *juxta* 25. *Interr. Proc. fol.* 256. *ter.* « Simplicissimo praedicans modo admirabiles tamen producebat fructus, ita ut non raro dicerent, specialem Dei gratiam illi assistere oportere, cum alias talem in animos potestatem exercere non posset. »

V. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 195. *ter. respondit*: « Vidi Servum Dei saepissime inflammatum divino spiritu in pulpito et ejus audivi concionem, quae ita attrahebat fideles, ut ecclesia iis impleretur. Homines docti haud raro ad magnam ecclesiae portam stantes obstupescebant de simplicitate, auctoritate, et virtute verbi in ore Servi Dei. Admirabantur facilitatem, qua instruebat, convincebat, et movebat, et cognoverunt eum tum Sacrae Scripturae, tum Sanctorum Patrum amplam habuisse cognitionem. »

Idem *juxta* 31. *Interr. Proc. fol.* 211. *respondit*: « Servus Dei eo tempore, quo ego cum noveram, in Vindobonensi civitate alta habebatur in opinione, et homo sanctus universim putabatur. Talem agnovit, quicumque eum novit, hoc omnes dicebant, admirati ejus praeclaram vitam. Sanctitatis fama in omnes hominum classes est diffusa; frequens populus accurrit in parvam et nitidam Ursulinarum ecclesiam, in qua Pater Hofbauer laborabat tamquam confessarius, omnesque summopere aedificabat flagrantissima charitate in Sacri celebratione manifestata. Ibi conspiciebatur in sancta oratione penitus submersus, ibi sine intermissione orans et flagrans sanctissimo zelo homines ad agnitionem et amorem Dei inducendi, et animos avellendi ab indifferentismo religioso; ibi vere apparebat homo secundum cor Dei. In pulpito verbum Dei praedicare eum audiebas cum apostolico ardore, et benedictio, virtus, gratia et potestas, quibus Deus eum munierat, auditorum mentem illuminabant, corda movebant, salutarique compunctione implebant. Ideo accurrerunt, ut conscientiam in sacro tribunali illi aperirent et Deo reconciliati animi invenirent quietem; et sicut auditores verbi, ita et poenitentes quotidie numero crevisse dicere potes. Vita ad Ecclesiae spiritum ac leges conformata peculiare incrementum coepit, cum vox divina per humilem, simplicissimum, sed superno spiritu inflammatum praeconem altas Libani cedros, idest nobilium, doctorum, et studentium animos et magnorum peccatorum corda fortiter tangeret et ad salutis tramitem reduceret. »

§ 112. *Charitas et sanctimonia Servi Dei passim Vindobonae celebratur.*

§ 113. *Incredulos ad veritatem fidei, peccatores ad poenitentiam convertit.*

§ 114. *Omnibus omnia fieri, et cunctos Christo lucrifacere contendit.*

« Hoc modo Servus Dei omnibus omnia fieri, omnes Christo lucrifacere, in gratia Dei conservare, et ad perseverandum animare continue satagebat. Praedicabat singulis Dominicis, festis Domini, Beatae Mariae Virginis et Sanctorum. Per anni decursum eas veritates explicandas assumpsit, quas auditoribus magis necessarias esse cognovit. Concionabatur, uti jam dixi, simpliciter, sine ornatu, fluenti eloquio, vivacitate et spiritus ardore animatus, quo corda movebat et ad Deum reducebat. Animas salvandi et earum salutem promovendi unica ejus intentio tum in pulpito, tum in sacro tribunali, tum in privatis colloquiis, et cui semel eum concionantem audire concessum erat, ille hunc Dei Famulum derelinquere amplius nequibat, ipsum consulens et ab ipso ductus. Mille homines, quam quaerebant apud ipsum, pacem invenerunt. »

X. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 291. *ter.* « Concionibus suis non solum plebejos, sed etiam conspicuos et doctissimos viros fidei catholicae est lucratus, eosque ad eam inflammavit. »

XII. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 328. *ter.* « Propria de experientia hoc solum afferre possum, eum simplicissime praedicasse, sed stupendos produxisse fructus; non solum ubique de celebri hoc concionatore homines loquebantur, sed multi etiam per eum sunt conversi. »

XIV. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 364. « Concionandi ejus modus valde simplex erat et paternus. Auditores omnes homines pii mihi esse videbantur et valde attenti erant. Saepe audivi de conversionibus factis; ita exempli gratia officialis senex mihi retulit, se a bono amico in Sanctae Ursulae ductum fuisse ecclesiam, cum eo ipso tempore praedicaret P. Hofbauer, eaque unica concione adeo se fuisse commotum, ut ex ea hora in alium mutatus esset hominem, addiditque, se multos jam celebres et eximios audivisse praedicatores, sed eumdem semper mansisse peccatorem. »

XVI. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 385. « Propria experientia scio, eum fuisse confessarium monialium Sanctae Ursulae hujus civitatis eo tempore, quo praefatam cum eo habebam relationem. Pariter novi, eum tum confessarii et conscientiae moderatoris munus indefesso zelo et ubere fructu obiisse, tum concionibus suis non solum moniales, sed et numerose semper assistentes auditores summopere aedificasse, et inter eos praesertim nonnullos studentes juvenes de recta via aberrantes pro Dei et Sanctae Ecclesiae causa fuisse lucratum. »

XVII. Testis *juxta* 25. *Interr. Proc. fol.* 450. *ter. respondit*: « Servi Dei donum concionandi revera supernaturale et admirabile erat, non in humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. Fructus aperte superabant, quidquid ab ejus praestationibus mere naturalibus et indole posset expectari. »

XX. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 460. *ter.* « Scio, eum tum in pulpito, tum in sacro tribunali indefesse laborasse, nec non ejus zelum in sacro ministerio exercendo incredibili modo et ubere fructu fuisse coronatum. »

Et *juxta* 7. *Interr. Proc. fol.* 460. « Indefessus Servus Dei quiete et pie laborando multa sparserat sementa, post annos demum Deo benedicente maturata in uberes fructus. »

XXI. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 473. *ter.* « Propria experientia referre possum, eum in pulpito et in sacro tribunali magno cum fructu laborasse. Ejus concionandi modus sancta simplicitate et salutari virtute abundabat. »

XXIV. Testis *juxta* 7. *Interr. Proc. fol.* 497. « Audivi nonnullas ejus sacras conciones in ecclesia Ursulinarum hic loci; similes conciones nunquam audivisse mihi visus, conscientiam meam ei confidere constitui. »

Et *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 499. *ter.* « Ex quo factus sum discipulus P. Hofbauer, singulis dominicis et festis diebus ejus concionibus in ecclesia Ursulinarum ordinarie interfui. Ecclesia semper plane erat referta, et P. Hofbauer simplicibus et ordinariis verbis praedicabat auditoribus, sed tanto cum spiritus ardore, ut omnes commoverentur, plurimique converterentur. »

Et *juxta* 25. *Interr. Proc. fol.* 503. « P. Hofbauer magnus orator non erat; dicebat simpliciter et inculte, et tamen

sermonum ejus successus extraordinarius erat, dum multiplices efficiebat conversiones, et auditores ad lacrymas saepe movebat. Itaque Dei gratiam speciali omnino modo per eum operatam fuisse oportet, ita ut esset canalis per quem Dei gratia in ejus diffusa est auditores. »

Rursus XXIV. Testis *juxta* 37. *Interr. Proc. fol.* 505. *respondit*: « Deponere debeo, me totam P. Hofbauer vitam miraculum reputare; alioquin intelligi nequiret, quomodo homo adeo simplex et rectus tot millia conversionum efficere potuisset, quin imo quomodo per eum, ut ita dicam, totum saeculum, in quo vivebat, ad meliores fruges quoad religionem fuerit conversum. »

XXVII. Testis *juxta* 25. *Interr. Proc. fol.* 562. *ter.* « Ex propria observatione haec tantum scio, Servum Dei, quamvis tum in concionibus tum generatim in sacro ministerio peragendo magna cum simplicitate procederet, successus tamen obtinuisse vere stupendos. Speciale divinae gratiae instrumentum eum fuisse confitendum est. Ejus admonitiones erant breves, succosae, ad rem et corda mutantes. »

ARTICULUS IX.

Bonos Libros et sacras Imagines diffundit ;
Colloquiis familiaribus instruit.

(Ex Processu Apostolico)

§ 115. *Discipulos suos ad publicandos libros bonos induxit.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. Proc. fol.* 177. *ter.* « In quibusdam suis discipulis, uti in Madlener, Georgio et Antonio Passy, Veith, et Silbert pervidit ingenium exarandi libros, eosque ut libros ederent, induxit. Quod quidem eo magis necessarium ipsi videbatur, quia eo tempore fere mali tantum libri publicabantur, qui propter defectum bonorum librorum cum gravi damno animarum avide legebantur. »

§ 116. *Sacras Imagines incidendas curavit.*

II. Testis *juxta* 53. *Interr. fol.* 227. « Scio . . . per eum reviguisse usum sacrarum imaginum, frustra tunc quaesitarum. Ipse infantis Jesu imaginem apud moniales S. Ursulae existentem aeri incidendam curavit, quae quidem prima erat devota imago tunc rursus confecta et vendita. Quae omnia non de auditu novi, sed ipsa in familia mea experta sum et novi. »

X. Testis, Emus Cardinalis de Rauscher, *fol.* 449. « Ipso agente (ni fallor a P. Hübl familiarissimo ejus amico) adornata est versio germanica visitationum SS. Altaris Sacramenti a S. Alphonso Liguorio compositarum, quae postea ipsius opera Viennae et per omnem Austriam innumeris exemplaribus diffusa est, et praesenti quoque tempore in plurimorum manibus versatur. »

I. Testis ex officio *juxta* 24. *Interr. Proc. fol.* 679. *respondit:* « Congregationem Marianam introduxerat, cujus membra ad

id praecipue se obstrinxerunt, ut bonos libros diffunderent. »

§ 117. *Libros S. Alphonsi diffudit.*

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 748. « Libros quoque S. Alphonsi et praecipue Visitationes SS. Sacramenti in diversis linguis diffudit. »

Iterum I. Testis *juxta* 28. *Interr. Proc. fol.* 158. « Ven. S. D. paulatim magnum numerum studentium Universitatis, prae caeteris multos jurisprudentiae, et etiam medicinae et theologiae studiosos circa se colligebat, e quibus postea saltem viginti septem Congregationem ingressi sunt. Magnetis instar paterna sua charitate eos attraxit, et ut fideliter ipsi adhaererent effecit. Quilibet apud eum felicem sese sentiebat. Quamvis de Congregatione ejusque institutionibus nihil cum iis colloqueretur, saltem eo tempore, quo nondum exploratum habebat an sedem figere posset in Austria, tamen sensim sensimque amorem status religiosi, et studium perfectionis iis indidit. »

§ 118. *Juvenes circum se collegit eosque instruxit.*

VII. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 303. « Finito sermone, saepe aliqui domini Venerabilem Servum Dei in sacristiam revertentem secuti sunt, uti ipsa vidi, eumque precabantur, ut invisendi eum licentiam ipsis daret, quo cum eo colloquium instituere, vel apud eum confessionem peragere possent. Ven. Servus Dei cum multa charitate eos excepit, et domum habitationis et tempus, quo facilius eum alloqui possent, eis indicavit. Hoc modo V. Servus Dei multos eorum, qui sermonibus suis ad agnitionem Dei perducti, vel in sancta fide confirmati fuerant, amicitia sibi devinxit. Semper societatem horum discipulorum circum se colligere solebat, ex quibus nonnulli ab eo inducti sunt, ut mundo penitus renuntiarent, et Deo totos se darent, exempli gratia, Pater Madlener, Springer, Held, Putz, Unkhrechtsberg, Prigl, Kosmacek, Veith et alii. »

X. Testis, Eñus Card. de Rauscher, *fol.* 450. *ter.* « Neque prandii tempore quiescebat, nam circumdatus erat egentibus, quibus cibos divisit, vestigiis inhaerens Domini, qui non venit ministrari, sed ministrare. Mens autem a rebus externis facile ascendit ad Deum, cui intentione sancta semper manebat conjuncta, et ad homines redibat, si caritas juberet. Ipse saepius eum vidi clausis ferme oculis sedentem inter juvenes quibus ex libro quodam pio legebatur. Divina procul dubio meditabatur, sed comiter interdum ad nos conversus sapienter dicta lectioni interponebat. »

II. Testis ex officio *juxta* 28. *Interr. fol.* 733. *ter.* « Omnes, qui eo tempore V. Servum Dei noverant, et ejus labores propriis oculis videbant, de ejus extraordinaria sacra industria, ac de miraculosis conversionibus, sive in pulpito, sive in sacro Tribunali, et ad lectum infirmorum, nec non familiari conversatione cum studiosis Universitatis et juvenibus Officialibus, eum in habitatione sua invisentibus, obtentis enarrando non satiabantur. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 415. *ter.* « Ven. S. D. non solum ipse leges Ecclesiae exactissime observavit (quod de se patet) sed alios quoque ad observantiam eandem legum Ecclesiae verbis paternis et gravibus inducere studuit. In cujus rei argumentum factum sequens adducere possum. Cum Servus Dei per vias publicas urbis procederet, pueri saepe accurrebant, manus osculaturi, et quia cum iis comis erat, et colloquia instituebat, ipsum prosequebatur, et aliquando usque ad domum habitationis suae eum comitabantur. Hac occasione bonas instructiones eis dedit, imagine sacra, pomis vel aliis esculentis illos donavit. »

§ 119. *Parvulos quoque modo suavissimo Deo lucratus est.*

Aliquando cuidam puero, cui nomen erat Carolus Brenner, nunc jam defuncto dixit: « Carole, praecepta Ecclesiae stricte observanda sunt, et feria sexta non licet carne vesci, ut parvum sacrificium faciamus dilecto Domino et Salvatori nostro, qui feria sexta vitam suam pro nobis in cruce obtulit ». Cum igitur Carolus domum venisset, et mater iterum carnem proponeret (feria sexta fuit) puer dixit: « Care Pater, hodie non manducabo carnem. » Quare? respondit Pater; et Carolus: Quia feria sexta est, et sancta Ecclesia hac die, qua divinus Redemptor noster in Cruce pro nobis mortuus est, abstinentiam a carnibus praescripsit. « Quis tibi hoc dixit? interrogavit Pater, et Carolus reposuit: « Pater Hofbauer ». Statim manduca; dixit pater, sed Carolus instanter supplicavit, ut sibi abstinentiam servare permitteretur. Nunc statim ex oculis meis abi, adjecit pater, et hodie per totum diem nihil manducabis. » Carolus extemplo matrem adivit, et postquam totam rem enarravit, haec dixit: « Tunc cibum ex farina tibi faciam. » Sed Carolus hunc etiam cibum recusavit dicens: Minime mater, pater enim mihi prohibuit, ne per totum diem quidquam manducarem, et obediendum mihi est, nam Pater Hofbauer dicit: Filioli, obedite parentibus vestris, et ego possum jejunus sustinere. » Haec audiens mater lacrymans ad virum currebat. « Quid, inquit, facis? Nunc vis, ut Carolus per totum diem famem patiens in fine infirmetur? Carnem non manducat, nec cibos ex farina edere vult, quia ei prohibuisti, ne per totum diem quidquam manducaret ». Tunc pater Carolum advocans, dixit: « Amplius feria sexta nunquam manducabis carnem, sed nunc cibum farinarium manduca. » Ex hinc diebus prohibitis nunquam carnem videbas ad mensam, et pater, qui erat consiliarius aulicus, magna V. Servi Dei veneratione expletus, filium in nostram Ecclesiam conduxit, ut Servo Dei ad sacram missam ministraret. »

Juxta idem Interr. fol. 399. « Ven. S. D. summam curam habebat, ut infantes et ignorantes in rebus fidei bene instruerentur. Aliquando V. Servus Dei incidit in quemdam puerum plane neglectum, et instituto cum eo colloquio de ejus plena ignorantia rerum ad salutem necessariarum dubitare non potuit. Qua de re Ven. S. D. valde afflictus pueri cu-

§ 120. *Ignorantes instruxit, correxit.*

ram suscepit, eumque ad ludi magistrum ad Sanctam Annam conduxit, ut ab eo necessariam instructionem acciperet. Dum cum illo magistro loquebatur, meridies facta est et campanae = ad Angelus Domini = sonabant. Tum magister, vir juvenis et aliquantulum levis, dixit: « Jam campanae ad devorandos cibos invitant ». Ad haec verba Ven. Servus Dei valde contristatus dixit: « Quid dicis? Magister es, et juventutem in sacra religione instruere debes, et nescis, quid signum campanarum significet? » Tunc magistro explicavit, nostram sanctam Ecclesiam fidelibus ter quotidie signo campanarum magnum mysterium incarnationis Christi annuntiare eosque invitare, ut pro tanta gratia Domino gratias agant, et Beatissimam Virginem salutatione angelica reverenter salutent. Haec paterna admonitio animum magistri adeo commovit, ut paulo post mundo renuntiaret, et aliquem conventum ingrederetur. Hoc factum Ven. Servus Dei corde afflicto nobis narravit. »

(Ex Processu Ordinario)

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 206. *respondit*: « Semper in id incubuit, ut ejus (S. Alphonsi) cultum propagaret, tum verbis, tum piis libris et imaginibus Beatum repraesentantibus, quarum magnam copiam faciendam et distribuendam curavit. »

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 539. *ter. respondit*: « Fidelis imago erat S. Alphonsi, cujus Visitationes SS. Sacramenti et S. Deiparae ipse tamquam fidelis filius et successor diligenter diffundebat. »

XIV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 357. *respondit*: « Cum actum esset eo tempore de libris catholicis, ita ut his nostris diebus ideam sibi formare ea de re quis nequeat (neque enim pro sacerdotibus neque pro laicis prodibant libri catholici, et concionatores hauriebant ex fontibus protestanticis populusque utebatur libro precum a certo Eckartshausen composito, librique ascetici penitus ignorabantur), Pater Hofbauer hac rerum conditione bene perspecta statuit et effecit, ut nonnulli spiritualium suorum discipulorum ederent optimos illos fasciculos, qui « Olearum rami » inscribuntur, et avide legebantur. Quod quidem fecit, ut quodammodo saltem illum sanaret defectum dicens: « *Germani legere amant, sed nihil extat, quod bona fide ipsis dari queat.* »

§ 121. *Per libros sanam doctrinam diffudit.*

X. Testis *juxta idem Interr. fol.* 295. *ter.* « S. Alphonsi libros, preces continentes, ubique diffundebat, prout et alia ejusdem spiritualia opera. »

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 437. *ter. respondit*: « Pro viribus non solum in pulpito et sacro tribunali, sed etiam in serotinis fere quotidianis collationibus cum juvenibus ad se convenientibus id efficere curabat, ut Deus ab omnibus agnosceretur et amaretur. Cujus exemplum est, quod cum die

§ 122.
Data opportunitate apte utebatur, ut veritates gravissimas homines edoceret.

quadam exorta adunationis tempore vehementi tempestate et fulgura continua obscurum illustrarent cubiculum, ac demum terribilis coeli fragor omnia concuteret, ille illico inciperet explicare Christi verba: « *Sicut fulgur exit ab Oriente et paret usque ad occidentem, ita erit adventus filii hominis,* addens, *hoc accidit in hora mortis nostrae: tunc enim fulguris celeritate et claritate tota vita animae nostrae obversabitur, sed luce omnino diversa ab ea qua hucusque eam conspeximus, nempe in luce aeternitatis.* » Haec omnes adstantes ita perculserunt, ut quilibet bonum Patrem Clementem rogare studeret, ut confessionem generalem peragere posset. Ista erat fortis et utilis concio. »

XXIV. Testis *juxta* 7. *Interr. fol.* 497. *respondit*: « Quavis fere hebdomade semel vel bis vespertino tempore visitavi Patrem Hofbauer ibique complures discipulorum ejus unitos inveni. In ejus propinquitate felicissimum me esse sentiebam, et tamquam patrem meum spiritualem eum adamabam. »

Et *fol.* 498. *respondit*: « Per aliquod temporis spatium bona et salutaria instituebantur colloquia, in quibus Pater Hofbauer instruebat semper efficaciter, deinde ex historia ecclesiastica Beraut-Bercastel legebatur, et demum deambulavimus super munimenta civitatis. Saepe decem et ultra discipulorum secum habebat; omnes ad eum sese protundebant, et quilibet felicem se reputabat, si colloqui cum eo poterat. Inter quos erant Zacharias Werner, Veith, Madlener, Doll, Weidlich et alii, quorum nomina non recordor amplius. Simul ac sonabat campanula ad salutationem angelicam indicandam, omnes levato pileo orationem « Angelus Domini » secreto recitavimus, caeteris ambulatoribus nos cum admiratione aspicientibus, sed nos non erubuimus. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 591. *ter. respondit*: « Nos, discipulos suos, serenis vesperis super munimenta civitatis conduxit, eo tempore ab aliis ambulantibus ordinarie frequentata. Qua occasione a nobis circumdatus tanquam pater a filiis inter deambulandum utilia et religiosa instituit colloquia sereno modo. Saepe stans factum aliquod utile narravit. Sacerdos senex magno juvenum numero circumdatus et publice cum eis prodiens, multorum istorum ambulatorum Vindobonensium pro particulari eorum indole curiositatem ciere debebat, et ideo circa nos in via subsistentes fere numerosior formata est curiosorum hominum corona, Patris Hofbauer narrationes audire gestientium. Nos ejus discipuli intentum a Patre Hofbauer finem in istis deambulationibus ab initio non subito perspicere potuimus, postea vero nobis innotuit, Patrem Hofbauer ex una parte eum habuisse finem publice ostendendi, se spiritualibus mediis juvenes circa se colligentem res secretas minime moliri, et ex altera parte se sufficientem juvenum numerum pro erigenda Congregatione coadunasse, simulque nobis occasio-

nem praebere voluisse, inanem humanum respectum et pudorem vincendi et eliminandi, cum virum religiosum patris spiritualis instar a nobis veneratum comitati publico in loco compareremus. »

ARTICULUS X.

Ven. S. D. conversioni haereticorum, incredulorum, infidelium summam operam impendit, et uberrimos fructus colligit.

(Ex Processu Apostolico)

II. Testis ex officio *juxta* 28. *Interr. fol.* 740. *respondit*: « Non solum plurimos catholicos, qui vel fidem perdiderant, vel a recta via aberraverant, iterum ad fidem et vitam christianam reduxerat, sed etiam viros et mulieres nobiles a judaismo et protestantismo ad fidem catholicam converterat. Inter primos nomino duos fratres et pictores Joannem et Philippum Veit, filios Dominae de Schlegel, natae Mendelsohn, ex priori matrimonio cum Judaeo Veit Berolinensi. De hac conversione, ex literis Philippi Veit ad filiam suam Alphonsam, Religiosam pauperis infantis Jesu Aquisgrani viventem, quas literas R. P. Pfab, Superior Provinciae Romanae, legendas mihi dedit, sequentia particularia referre possum. Fridericus de Schlegel ejusque mulier Dorothea jam die 16. Aprilis anno 1808. Coloniae Agrippinae fidem catholicam professi fuerant. Duo filii Dorotheae Vindobonae per P. Hofbauer in religione catholica instructi sunt, et deinde 9. Junii anno 1810. Sabbato ante Pentecosten in capella privata Nuntii Apostolici, tunc Rm̃i Severoli, baptizati sunt. Philippus Veit asserit, se non valere sufficienter laudare zelum et patientiam quibus P. Hofbauer eos instruxit. »

§ 123. *Judaeos Veit ad fidem convertit.*

« Inter Protestantes, quos V. S. D. tempore sui sacri ministerii Vindobonae exerciti ad fidem catholicam reduxit, conversio Dñi Friderici de Schlosser ejusque mulieris Sophiae, nec non conversio Friderici de Klinkowstroem et personarum ipsi propinquarum speciali mentione dignae sunt. Circa conversionem Dñi Friderici de Schlosser ejusque mulieris Sophiae epistolam legi, quam Dña Sophia de Schlosser die 20. Junii anni 1864. particularia de conversione referens ad dictum P. Pfab scripsit. Fridericus de Schlosser anno 1815. a civitate Francofurtana tamquam delegatus ad Congressum Principum Vindobonam missus erat, ibique in domo Dñi de Pilat Patrem Hofbauer cognovit. Domina Sophia de Schlosser in dictis literis haec habet. « Vir meus et ego anno 1815. nacti sumus fortunam, noscendi Patrem Hofbauer: fuit in domo Dñi de Pilat, cujus jam defuncta uxor Elisabeth, sicut illius soror et cognatus, Dña et Dñus

§ 124. *Conversio Protestantium Friderici et Sophiae de Schlosser.*

de Klinkowstroem, pariter Patri Hofbauer summum bonum referebant. Vix tamen dicere possum, quantum ille pietate excellens vir nos affecerit. Amare Deum et Ecclesiam et animas Deo lucrari, hoc illi esse et vivere erat, hoc unice desiderabat. Hoc elucebat ex toto homine, ex ejus verbis et operibus, et ex concionibus, quae simplices et inornatae erant, sicut ejus persona, et tamen modo extraordinario commovebant. Cum de praecellentia Ecclesiae Catholicae verba faceret et subjungeret: « Illi tantum ipsam cognoscere valent, qui intra eam sunt, quibus beata sors contigit ejusdem membra esse »; desiderium hujus Ecclesiae membrum esse cor apprehendit, et sic revera, quin bene intelligerem, quid mihi praestitura esset, Ecclesiam ingressa sum. Bene mihi perspectum erat, me sic tantummodo illam pacem inventuram esse, quam Calvinismus numquam mihi dederat. Postquam P. Hofbauer Fidei professionem exceperat, nos tamquam liberos suos tractavit, et feliciores horas numquam habui prae illis, quando apud eum (quod saepius post Missam factum est) communione refecti collationem sumpsimus, ubi a discipulis suis nobis inservientibus circumdatus, revera patrem familias laetabundum, pium et hilarem sese exhibuit. — Dña de Schlosser iterum felicitatem extollit, quod Patrem Hofbauer prope nosset. »

« Quisque ei appropinquans, (sic scribere pergit), sentiebat, in illo animam habitare, quae non solum omnis falsitatis, expers, sed etiam tam praecellenti charitate plena erat, ut obligatum se sentiret, recognoscere magnum bonum, quod esset cum illo agere, et virum nosse, cujus conversatio jam in terra tamquam sancti erant. »

§ 125. *Conversio Frid. de Klinkowstroem.*

De conversione Domini de Klinkowstroem saepius illos narrantes audivi, qui ejusdem circumstantias ex proprio ejus ore perceperunt. Dñus de Klinkowstroem nobilis Svevus, cum adhuc juvenis esset, in quadam urbe societati virorum petulantium interfuit; tum in eamdem societatem introducta est foemina lasciva, unde juveni magnum imminebat periculum. Casu versus portam respiciens figuram sacerdotis vestibus sacris induti videbat. Expalluit, et quin verbum diceret, societatem dereliquit. Post aliquot annos Vindobonam venit, et a quodam amico in ecclesiam nationis Italicae conductus, dum V. S. D. ad faciendam aliquam sacram functionem ad altare procederet, cum summo stupore cognovit, illum sacerdotem plene eandem habere figuram, quam in illa lascivorum societate viderat, quaeque eum a peccato deterruerat. V. Servum Dei invisit, et post breve Sanctae Ecclesiae catholicae totum se dedit: atque excellens catholicus factus filiali pietate Ven. Servum Dei prosecutus est. »

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 747. *respondit*: « Sanctam Ecclesiam ardenter amabat: inde ejus zelus propagandi regnum Dei in terra, Sanctam Ecclesiam, et animas ad Jesum Christum

reducendi. Dña Sophia Schlosser, quae cum suo viro Friderico a Ven. Servo Dei ad S. Ecclesiam reducta est, dixit: « Ejus conciones erant simplices, sicut ejus persona, si vero de praecellentia Ecclesiae catholicae verba fecit, desiderium, membrum hujus Ecclesiae esse, cor apprehendit. » In pulpito aliquando et probabiliter saepius exclamavit: Utinam gratiam haberem convertendi omnes haereticos et infideles; brachiis et humeris meis eos in Sanctam Ecclesiam catholicam inferrem. Hoc mihi Soror Thaddaea ex Ursulinis narravit, quae V. Servum Dei sic praedicantem audivit. »

§ 126. *Conversionem omnium haereticorum sitiebat.*

Juxta 24 *Interr. fol.* 729. *ter. respondit:* « Etiam (Varsaviae) multi dissidentes catholici facti sunt. »

I. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 152. « Plurimi Protestantes et Hebraei (Varsaviae) ad fidem conversi sunt. »

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 236 *respondit*: « Habuisse eum zelum sanctae fidei tum ex ejus studio continuo fidei resuscitandae et propagandae, tum ex mirabilibus effectibus et successibus, quos suis simplicibus et inornatis concionibus apud nobiles et plebejos obtinuit, mihi liquet. Sanctam fidem etiam in aliis personis excitare easque ad actus summe heroicos movere sciebat. Adduco exemplum, et quidem de propria matre mea, de hac enim V. Servus Dei dicere solebat, fidem habuisse ut etiam montes transferre posset. Zelus V. Servi Dei, quo alios ad fidem catholicam reducere quaerebat, egregie comparuit, et coronatus est conversione plurium haereticorum et infidelium ad Ecclesiam catholicam. Hic nominatim adducere possum praeter patrem et matrem, Fridericum de Schlosser ejusque conjugem, materteram meam Elisabeth de Pilat, nec non ejusdem sororem Justinam de Mengershausen. »

§ 127. *Vivam fidem in aliis quoque excitare sciebat.*

VII. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 301. « Multae Missiones ibi (Varsaviae) habitae sunt, et multi peccatores et haeretici se converterunt. »

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 306. *ter. respondit*: « Fidem eo quoque zelo monstravit, quo alios fidei et vitae catholicae lucrari quaerebat. In cujus rei argumentum adduco Fridericum de Klinkowstroem, Dominam de Schlosser, quatuor sorores natas Mengershausen, qui omnes opera Venerabilis Servi Dei ad fidem catholicam conversi sunt. »

IX. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 381. *respondit:* « Conciones benedictione celesti uberes erant. Ecclesia nostra plurimum frequentabatur, innumeri ad vitam christianam convertebantur, multi etiam ex numero Acatholicorum sive Protestantium ad fidem reducti sunt. Raro hebdomas transiit, quin Protestantes fidem catholicam profiterentur, aut Hebraei sacro baptismate abluerentur. »

§ 128. *Continue Hebraeos et Protestantes convertebat.*

Et *fol.* 388. *ter.* « Fidem suam Ven. S. D. continuo zelo, etiam alios ad fidem christianam reducendi monstravit. In quadam concione ita precatus est: Domine Jesu, Salvator

meus, de throno tuae Divinae Majestatis et misericordiae respice propitius in nos: Tu enim pretioso Sanguine tuo, quem in opprobriosa cruce fudisti, ad vitam aeternam nos redemisti. Pater tuus coelestis etiam noster pater est, quia

§ 129. *Preces pro convertendis haereticis fundendas docuit.*

secundum carnem frater noster es. Num tot animae in aeternum peribunt? Si vis, tu salvare nos potes. Intuere lacrymas sanctae Ecclesiae tuae sponsae; adduc iterum filios a fide aberrantes, ut ipsam sequantur. Effunde super omnes errantes lumen celeste fidei, quae sola nos salvare et sanctificare potest: et si gemitus amoris mei non merentur, ut eos exaudias, quia peccator sum, ad te accedo, o potentissima Virgo, mater misericordiae, ut ores pro nobis; tum omnes peccatores convertentur, et omnes te laudabunt, et glorificabunt. »

Et *juxta* 34. *Interr. fol.* 420. « Inter familiares Archiducissae Henricae multi protestantes erant, et unus ex ejus famulis in manus Venerabilis Servi Dei fidei catholicae professionem fecit. Hac de causa vir quidam, qui pariter circa Archiducissam erat, valde iratus, et passione sua eo abreptus est, ut Ven. Servum Dei publice magnum fidei perturbatorem increparet; « nam (dixit) in ea fide perseverandum et moriendum est, in qua quis natus est ». Cui Ven. Servus Dei respondit: « At cur, quaeso, Martinus Lutherus in

§ 130. *Haereticum confutat.*

sua fide non perseveravit et mortuus est »? Nos omnes, (sic ille contrarius) filii sumus ejusdem Patris, qui in coelis est, sive hanc, sive illam fidem profiteamur. Reposuit Ven. Servus Dei: « Si Deum patrem habetis, ubi est mater vestra? Nobis catholicis sancta Romana, catholica et apostolica Ecclesia mater est. » Cultus Sanctorum (sic replicuit iterum contrarius) non est, nisi commentum catholicorum. « Et Ven. Servus Dei respondit: « Homines mediatoribus et intercessoribus inter Deum et peccatores indigent, et eos in Sanctis habemus. Sicut apud Dominos alte positos intercessores necessarii reputantur, ita nobis indignis hominibus apud Deum intercessores necessarii sunt. » — Vir conversus postea apud Archiducissam Beatricem famulabatur. Haec, quae modo dixi, ex ore Ven. Servi Dei audivi. »

§ 131. *Aliae haereticorum conversiones enumerantur.*

I. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 688. *ter. respondit*: « V. S. D. impensam operam dedit, ut heterodoxos ad fidem catholicam reduceret, ejusque studia felicissimo successu coronata sunt. Praeprimis hic nominare debeo meam propriam matrem, quae simul cum sorore Ludovica de Klinkowstroem in manus V. Servi Dei fidei confessionem emisit. Deinde Fridericus Ludovicus Zacharias Werner; Fridericus de Schlegel ejusdemque uxor, Adamus de Müller ejusque uxor, Fridericus de Schlosser ejusque uxor, Fridericus de Klinkowstroem, vir materterae meae, nec non alia soror matris meae, Augusta de Mengershausen, quae postea religiosa Ordinis Visitationis B. M. V. in Gleink facta est,

V. Servo Dei conversionem ad fidem catholicam gratam referunt. »

I. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 188. *ter. respondit*: « Ven. S. D. non solum Protestantes et Hebraeos, sed etiam liberos murarios convertit: quorum conversio expertis confessariis prae caeteris valde difficilis videtur; nam illa societas est conspiratio contra Ecclesiam, unde apostasiam a fide continet, et insuper murarii proprio juramento sectae colligati sunt. Cum liberi murarii sectam secretam efforment, conversiones eorum ordinarie non cognoscuntur, unde bene credere potes, Ven. Servum Dei longe plures murarios convertisse, quam innotuit. Duae conversiones hujusmodi sectariorum mihi innotuerunt: unius, qui est testis decimus quintus in processu Ordinario, et id ipse de se confessus est, et hic quidem usque ad obitum suum catholicus plenus zelo permansit, uti attestari possum, cum per octo annos regulariter, nec pessima tempestate, nec gravi aetate impeditus, quolibet die octavo eadem hora ad confitendum peccata sua ad me venerit. Ex ejus ore audivi, etiam Zachariam Werner, cum adhuc acatholicus esset, societati liberorum murariorum adscriptum fuisse. Werner Romae catholicam fidem amplexus est, et postea fidelissimus amicus et discipulus zelo plenus ac cooperator Ven. Servi Dei Vindobonae fuit. De conversione alterius liberi murarii duae sorores Rosalia et Josepha Biringer haec mihi retulerunt. Erat iste officialis imperialis et per aliquot annos a muliere sua pia separatus vivebat. Curiositate aut alia ratione aliquando in concionem Patris Hofbauer perductus; sed concione ita tactus et commotus est, ut statim consilium faciendi confessionem generalem iniret, quam apud Werner peregit. Paulo post cum periculo vitae aegrotavit. Ven. Servus Dei eum invisit, cum uxore sua reconciliavit, eique morienti adstitit. »

§ 132. *Liberos quoque murarios convertit.*

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 309. *respondit*: « Conciones, quas Ven. Servus Dei in ecclesia Ursulinarum fecit, etiam conversionem cujusdam viri effecerunt, qui sectae liberorum murariorum adscriptus erat. Hac de re sequentia dicere possum. Ille vir officialis imperialis fuit, et jam ultra annos sexaginta habuit. A muliere sua separatus vixit, filios non habuit. Per longum tempus qualibet dominica concionibus Ven. Servi Dei adstitit. Mulier, quae erat pia catholica, multas preces pro eo fundebat, et etiam Ven. Servum Dei adiit, ut pro ejus conversione precaretur. Ad hanc intentionem multas quoque sacras missas dicendas curavit. Cooperante gratia Dei, vir concionibus tanta vi enuntiatis Ven. Servi Dei ita commotus est, ut extemplo crimen suum cognosceret, et sacra confessione generali Deo reconciliari vehementer cuperet. Eam apud Rev. D. Zachariam Werner peregit: sciens enim uxorem esse poenitentem V. S. D. hunc evitavit. Facta devotione cum uxore sua se reconciliavit,

de omnibus male factis doluit, et etiam cum Sancta Ecclesia reconciliatus est. Brevissimo tempore post vir pulmonum inflammatione aegrotavit, et diebus quatuordecim post conversionem plenus dolore feliciter obiit. V. S. D. adhuc paucis horis ante obitum eum visitavit, nec satis verba consolatione plena dicere potuit, quam bene ad moriendum paratus, et vehementissimo dolore de peccatis correptus hic vir fuerit. Mulierem quoque precatus est, ut sibi de omnibus, quae contra eam peccaverat, veniam daret. Relata ex ore viri conversi uxoris et ex dictis V. Servi Dei scio; uxor jam defuncta est. »

XVII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 601. *ter. respondit*: « Summam quoque operam dedit, ut infideles et haereticos ad fidem catholicam converteret, et semper in id incubuit, ut ubique sensus catholicos suscitaret et confirmaret. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 133. *Conversio Baronis de Rieger ejusque fratris narratur.*

I. Testis *juxta* 25. *Interr. Proc. fol.* 115. *respondit*: « Heterodoxos saepe ad amplectendam veram religionem . . . induxit. Quod ut comprobem, adduco sequentia: Duo filii adulti liberi Baronis de Rieger, helveticae confessionis, Patrem Hofbauer de visu non cognoverant, multa vero de hoc apostolico viro a me audierant. Adolescentioris eorum, Adolfi mortem imminentem cum Patri Hofbauer annuntiassem: « *pro ista anima*, inquit ad me, *tu reddes rationem; dic illi, eum moriturum.* » Visitavi aegrotum dicens: Pater Hofbauer de te interrogavit, et libenter te inviseret. Et aeger: gratias, inquit, illi refero, ego ipsum cum sanatus fuero, visitabo. Replicanti mihi: sed graviter infirmaris, ille redidit: « Vade subito et ora pro me. » Ego vero pergens ad Patrem Hofbauer dixi: « Veni, Reverende Pater, veni sine mora mecum ad istum graviter aegrotantem; » surgensque Pater Hofbauer per viam recitavit rosarium, et comiter aegro appropinquans rogavit, ut se cum eo solo relinquerent. Elapsa quarta horae parte Pater Hofbauer cubiculo egrediens dixit: « *Infirmus jam est catholicus; vado ut illi portem sacrum Viaticum; Madlener, praepara illum ad sacrum convivium.* » Ille autem, quamvis ego hac subitanea conversione attonitus mandati prorsus obliviscerer, summa cum devotione sacram recepit synaxin, tranquillusque permansit usque ad mortem, quae post quatuor horas accidit. Paucis post diebus frater major, Liber Baro Carolus de Rieger, Vindobonam venit, quem conduxi ad Patrem Hofbauer solumque cum eo reliqui. Post unius horae spatium etiam iste catholicam amplexus est fidem et postea theologicis studiis in Hungaria absolutis sacerdotio initiatus est, et obiit anno millesimo octingentesimo sexagesimo tertio. »

Concordat Testis XXIX. « *Proc. fol.* 588. »

XIII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 335. *respondit*: « Plu-

res mihi notae sunt personae ab eo in Ecclesiae sinum reductae; inter alias mea mater felicis recordationis, hujus soror domina de Klinkowström, et uxor Adami Müller felicis memoriae. »

§ 134. *Confirmantur dicta in Processu Apostolico.*

Testis XV. *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 374. *ter. respondit*: « Multos ad meliorem convertit vitam, aliosque in via christianae perfectionis direxit. Per eum non solum uxor mea, sed etiam duae ejusdem sorores ad catholicam Ecclesiam reductae fuerunt, omnes tres autea Augustanae adhaerentes confessioni. »

Rursus XV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 376. *respondit*: « Servus Dei summam impendit curam, ut heterodoxos Ecclesiae catholicae lucraretur, ejusque zelus optimum quoque habuit successum; plures enim, prout jam memoravi, per eum in sinum Ecclesiae catholicae fuerunt reducti. »

Rursus XV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 376. *ter. respondit*: « Singulari prorsus prudentia Servum Dei fuisse praeditum peccatores convertendi eosque ad praestanda opera difficilia inducendi, hoc facto probare possum. Uxorem meam (defunctam) ob certam aversionem contra confessionem difficultates proferentem, ne catholicam profiteretur fidem, Servus Dei sensim, et ut ita dicam, ipsam insciam eo deducere novit, ut totius vitae anteactae rationem ipsi exponeret. Quo factum est, ut Servus Dei perspecta tali modo ejus conscientia, cum magno ejus stupore et gaudio declararet, eam eo ipso jam confessionem quamdam fecisse, et ita aversione ejus sublata lucratus est animam: »

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 417. *ter. respondit*: « Multos Protestantes ad Dei Ecclesiam reduxit, multosque in Ecclesia quidem natos, sed fide naufragos ad vivam convertit fidem. Ecclesiae auctoritatem strenue semper defendens, ipse quoque loquebatur tanquam auctoritatem habens. Quilibet cernere poterat, eum iis fuisse penetratum veritatibus, quas praedicabat, fidemque catholicam summum hominis bonum ab eo fuisse habitam. Reducendi ad Ecclesiam heterodoxos omnes, desiderio flagrabat. Isti autem firmae et decisae fidei unitam habebat magnam lenitatem judicii erga singulos protestantes magnamque comitatem in agendo, quando res illi erat cum eis. »

§ 135. *Cum zelo animarum comitas et prudentia erant unitae.*

XXI. Testis *juxta* 27. *Interr. Proc. fol.* 474. *respondit*: « Amorem proximi indefessum probabat . . . . ardore reducendi ad Ecclesiam heterodoxos. »

XXIV. Testis *juxta* 22. *Interrog. Proc. fol.* 500. « Pater Hofbauer Sanctam Ecclesiam, ejus Caput et hierarchiam venerabatur, et homines fide debiles vel incredulos ad fidem reducere satagebat, sanctae religionis praestantiam, virtutem et benedictionem persuadentibus exponens verbis. Hoc quod attinet, adducere debeo, eum imprimis studiosorum juvenum animos movisse et quidem eorum prae caeteris, qui jurisprudentiae operam dabant. »

Et *juxta* 22. *Interr. fol.* 501. *respondit*: « *Prudentiam et simplicitatem* animi Pater Hofbauer magno in gradu possidebat. Priorem virtutem imprimis exhibebat, cum ab hominibus firma fide carentibus objectiones contra aliquam Sanctae Ecclesiae doctrinam fierent. Ipse stringentissimas semper proferre valebat rationes ad adversarios confutandos. Qua in re sublimi eruditione non est usus, sed ejus sermones simplicitatem potius animi praeseferebant, quo factum est, ut eo ipso plus efficerent, immediate saepe opponentis tangentes personam. »

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 544. *ter. respondit*: « Sola conversatio erat sufficiens, ut multi tum catholici tum protestantes e corde projicerent omnes errores, qui ab eo fuissent refutati. »

ARTICULUS XI.

Ven. S. D. studiis schismaticis et rationalisticis fortiter se opposuit.

(Ex Processu Apostolico)

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 748. *respondit*: « Quam gravi moerore eum affecerint studia Sailerii et Wessenberg, ex ejus literis patet, maxime ex voto ejus circa doctrinam Sailerii quod expostulatus a S. Sede exhibuit, »

(Vide novum Summarium additionale Processus Ordinarii pag. 57.)

§ 136. *Doctrinas Sailerii improbabat.*

Eodem fol. ter: « Cum ei narratum esset, professorem Sailer quandoque cum juvenibus literarum studiosis deambulantem audire eos quaedam facta ex propria vita narrantes, et tali narratione confessionis loco facta contentum dicere: « Sufficit, jam confessus es », V. S. D. valde contristatus dixit: « Innovationem esse, sed non confessionem; nam deficere humilem, dolorosam et integram accusationem sui. »

§ 137. *Rationalisticis doctrinis Bolzani se opposuit.*

Doctrinas rationalisticas professoris Bolzano Pragensis ex toto corde abhorruit: inde Dñum Frint, palatii imperialis parochum adiit, et conquestus est, quod tali viro permissum sit, juventuti academicae praelectiones circa materias religionis facere. Frint ea de re Imperatori Francisco relationem fecit, et malum sublatum est. Hoc utrumque factum Canonic. Dñus de Unkrechtsberg mihi narravit. »

Et *fol.* 755. « Sicut Emus Card. Reisach mihi dixit, viri catholici fama celeberrimi Germaniae in Congressu Vindobonensi circa Ven. Servum Dei se collegerunt, et cum iis adlaboravit, ut studia schismatica tum praevalentia, ecclesiam nationalem Germaniae erigere tendentia impugnaret. »

Juxta 28. *Interr. fol.* 734. « In Germania Febronianismus universim dominabatur et studia schismatica a Wessenberg

excitata aperte proponebantur, ita ut V. S. D. literis ad Summum Pontificem Pium VII. scriptis claris verbis timorem exprimeret, Germaniae summum periculum schismatis imminere. « Et nos (scripsit) profecto timemus merito non quidem pro Ecclesia ipsa, cujus fundamentum Petra est, a Christo Domino posita, sed magnam deplorabilem nostrae Germaniae regionis ab illa separationem, quam vehementer dolentes cum timore et tremore jam coepisse conspicimus; cum tanta audacia, cum tali progressu coepisse conspicimus, ut prorsus nullibi consolationem, nisi in Sanctorum precibus, nullinde auxilium cum fiducia expectare queamus nisi ex alto. »

§ 138. *Ven. S. D. literis ad Pium VII. datis de periculo schismatis scribit.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 168. « Anno 1815., cum Vindobonae Congressus Principum celebraretur, Ven. Servus Dei magnum pro sancta fide Ecclesiae meritum sibi comparavit. Inimicus Ecclesiae Beck, sacerdos apostata in biographia Wessenbergii conatus hujus viri schismaticos, sicut ab eo non aliter expectandum erat, supra modum extulit. Erat tunc Wessenberg Vicarius Generalis Principis Dalberg, Primatis Germaniae et episcopi Constantiensis, pro hac Dioecesi, et tamquam Primatis legatus Vindobonam ad Congressum venit. Cum ejus frater minister status et legatus plena potestate instructus ad Congressum fuisset, cum insuper affinitate viris egregiis et multum valentibus intime conjunctus esset, et multis ingenii dotibus extraordinariam uniret industriam in rebus gerendis, ejus studia pro formanda Ecclesia nationali Germaniae cum Primate sive Patriarcha a Sede Apostolica quasi independente valde periculosa erant, tanto magis, quia principia Febronii et Imperatoris Josephi II. plurimos adhuc et fervidos asseclas habebant. »

§ 139. *In Congressu Principum Vindobonensi studia schismatica fortiter impugnat.*

Wessemberg desideria sua pluribus memorandis et libellis typis impressis exponebat, et multis bene placebat, unde schismatis periculum haud parvum aderat, sed ut apostata Bech refert: Aliqui docti Germanici paulo ante ad fidem conversi, videlicet Fridericus de Schlegel, Fridericus de Schlosser, Zacharias Werner et Josephus de Pilat, editor « Observatoris Austriaci » sese ei opposuerunt. - Hic ultimus natus quidem in fide catholica, sed ut saepe mihi narravit, nonnisi per Patrem Hofbauer fidem catholicam penitus edidicit. Omnes vero isti viri amici et intimi cultores Patris Hofbauer erant, qui ab eo sicut parvuli regebantur. »

Praeterea ex eodem scriptore scimus, tres sacerdotes causam Ecclesiae in Congressu defendisse, quorum caput Helferich Canonicus praebendarius ecclesiae cathedralis Spirensis fuit. Dicit autem Pater Srna, qui eo tempore in domo Patris Hofbauer habitabat, dictum Helferich quotidie Ven. Servum Dei adiisse, ut ejus consilium expeteret: unde patet, Patrem Hofbauer horum virorum pro causa Sanctae Ec-

clesiae militantium, ut periculum schismatis averterent, ducem fuisse. In eadem biographia porro narratur, Principes et Ministros Germaniae omnes consiliis Wessenberg propensos fuisse, et tantum Bavariam sese eisdem opposuisse, et ita decisionem impedivisse. Sine dubio jam tunc Bavaria cum Sede Apostolica conventionem inire intendebat. Atque constat, tempore Congressus Principum Ludovicum, Principem haereditarium Bavariae, saepius Patris Hofbauer domum adiisse, et diu cum eo conversatum esse, imo audivi, eum quadam die fere per integram noctem apud Ven. Servum Dei versatum esse, unde vix a veritate aberrabis, si oppositionem Bavariae, auctoritati Principis haereditarii aut operae Domini Helferich apud regem Maximilianum impensae, itaque ut causae primariae zelo et orationibus Ven. Servi Dei attribueris. »

§ 140. *Ubique Jansenianis et sectis liberorum Murariorum destruendis operam dedit.*

I. Testis ex officio *juxta* 24. *Interr. Proc. fol.* 679. « Zelus animarum eum induxit, ut pietatem amabilem redderet. Rigorismum Jansenisticum odio habuit. Jansenistarum et liberorum murariorum sectis destruendis operam dedit ubique. »

(Ex Processu Ordinario)

I. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 102. *ter. respondit*: « Eo tempore, quo Viennae Principum Congressus celebrabatur, omnem Servus Dei navavit operam una cum quodam Canonico Helferich (cujus officium praecise indicare nequeo qui vero certa Ecclesiae catholicae jura in Germania vindicare debebat), ut pro Ecclesiae bono quidquam efficeret: qui quidem labor, an felici coronatus fuerit successu, ignoro. »

§ 141. *Confirmantur dicta* § 139.

§ 142. *Amicitiam fidei posthabendam docuit.*

Et *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 101. *ter. respondit*: « Inter alia pervenerunt quondam ad me ab amicissimo meo N. Michel, Theologiae Landishuti Candidato, litterae quae multa continebant de Christianismo interno, quin verbulum fieret de externis hominis christiani officiis. Quas litteras cum Patri Hofbauer legissem, mandavit ille mihi, ut eas in folii columna transcriberem, et dubitanti mihi amicitiam prodere, severe replicavit: « *Fidei cedere debet amicitia, tu obedito.* » Rem probabiliter Romam detulit. N. Michel praedilectus fuisse videtur discipulus Joannis Mich. Sailer tunc Professoris. »

Et *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 101. *ter.* « Animus Servi Dei Romam semper directus; illuc mittebat litteras annuntiantes, quidquid periculi pro Dei Ecclesia ipsi innotuerat. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol* 148. *respondit*: « Sanationum, quas vocant magneticas (*des clair voyants* sive clarae intuitionis), causam absolute semper rejecit et condemnavit. »

V. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 200. *respondit*: « Ser-

vum Dei propagandae Ecclesiae Dei semper studuisse, summoque affectum fuisse dolore, si eam et sacras ejus doctrinas videret oppugnatas, res est de facto certa. Id in eo observavi praesertim anno millesimo octingentesimo decimo septimo. Cum impiae Episcopi Dalbergii et Wessembergii doctrinae proludere viderentur ecclesiastico schismati, Servus Dei continuis suspiriis Deum enixe orabat pro utroque, et doctos viros summo excitavit zelo, ut Ecclesiae Dei causam agerent, eos juvans superno suo lumine. Doctorum istorum virorum caput erat celeber praebendarius Spirensis Josephus Helferich, Patrem Hofbauer quotidie fere adiens, cujus audiret consilia. Deus Optimus Maximus auditis suspiriis et benigne exceptis precibus et sacrificiis pro sua misericordia Episcopum Dalberg ad meliorem avocavit vitam, qui revocatis erroribus anno 1817. sive initio anni 1818. valde contritus diem ultimum obiit. »

§ 143. *Cum timor instaret schismatis, doctorum piorumque virorum zelum et studia excitavit.*

XIV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 357. *respondit* : « Pater Hofbauer custos quoque erat tam vigilans et attentus sanctae fidei, ut quidquid non sonaret vere catholice, illico adverteret. Notum est, Zachariam Werner primis annis, postquam ad catholicam rediit Ecclesiam, et sacerdos factus est, extraordinaria sua eloquentia variis in pulpitis omnes hominum ordines Vindobonae summopere commovisse. Patri Hofbauer cum esset amicissimus, persaepe etiam in S. Ursulae ecclesia concionatus est. P. Hofbauer « Tubae Dei pro Vindobona » nomine eum appellavit. Werner autem solida dogmatum scientia non adeo erat instructus (quod quidem mirum non est) ideoque Pater Hofbauer hoc bene sciens attente audiebat ejus conciones. Quodam die vero accidit, ut Werner sententiam proferret minus catholicam. In sacristiam redeunti dixit Pater Hofbauer : « Quod dixisti, (et indicavit illi propositionem) minus est catholicum ; sequenti dominica retractare debes. » Quod et fecit Werner, quin tamen famam suam exponeret. »

§ 144. *Nil nisi catholicum et rectum a suis proferri sinebat.*

ARTICULUS XII.

Ven. Servus Dei sollicite curavit, ut juventus juxta principia catholica rite educaretur

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 24. *Interr. Proc. fol.* 152. « Etiam gymnasium ibi (Varsaviae) erectum fuit, ut juvenes statui ecclesiastico et Congregationi efformarentur : exteri quoque pueri scholas adierunt. Narrat autem Joannes Brunner, se tribus annis ibi in studio peractis cum tribus condiscipulis ex regione Znaim oriundis a potestate publica in patriam reductum esse. Ex quo videri licet, quam graves

§ 145. *Varsaviae gymnasium et orphanotrophium erexit.*

difficultates in propaganda Congregatione P. Hofbauer jam eo tempore sustinuit. »

Juxta 25. *Interr. Proc. fol.* 154. *ter.* « Adjungo, Ven. Servum Dei ibidem etiam domum ad educandos orphanos fundasse. »

Et *juxta* 28. *Interr. Proc. fol.* 158. *ter.* « Cum Ven. Servus Dei cum dolore videret, juventutem in principiis fidei et religioni contrariis educari, Adamum Müller consiliarium aulicum, quem optime noveram, cohortatus est, ut institutum educandis juvenibus nobilibus destinatum erigeret. Quod cum a gubernio non confirmaretur, Friderico de Klinkowstroem, quem pariter bene noveram, persuasit ut simile institutum erigeret, quod de facto ab Imperatore confirmatum est, et per multos annos cum larga Dei benedictione florebat. In illo instituto, in quo non tantum ex Austria, sed etiam ex aliis regionibus alumni inveniebantur, ipse Catechista fui. Alumni institutionem plane universalem receperunt. Multi facti sunt sacerdotes, alii militares, alii officiales. Albertus Crivelli, qui nunc Romae Legati munere fungitur, sicut etiam ejus praedecessor Baro Hübner, et Baro Brenner in hoc instituto educati sunt: plures alii praeclara publica munera obierunt, et jam defuncti sunt. »

§ 146.
Vindobonae erigendo instituto pro educandis juvenibus operam dat.

VII. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 301. « Plura etiam instituta et scolae infantium et orphanotrophium pro pauperibus ibi (Varsaviae) erecta sunt. »

IX. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 380. « Ven. S. D. nobis dixit secum plures sacerdotes in sacro ministerio laborasse, Varsaviae orphanotrophium fuisse erectum, et per illud plurima saluti animarum proficua esse obtenta. »

Juxta 31. *Interr. fol.* 386. « Ven. S. D. summo zelo in id incubuit, ut fidem christianam familiis et precipue infantium cordibus insereret. Quapropter aliquando parentes instantissime monuit hoc modo: « Vos estis patres et matres familiarum, nolite oblivisci, benedictionem aut maledictionem generis humani maxime a vobis provenire: educatio enim humanitatis vobis concredita est: certe bonam generationem educabitis, si filiorum resistentem voluntatem flectitis. Quod in teneris filiorum cordibus seminatur, usque ad senectutem manet, et firmiter tenete: Si facitis, quantum in vobis est, Deus omnipotens incrementum dabit. »

I. Testis ex officio, *juxta* 31. *Interr. fol.* 687. *ter.* « Valde ipsi cordi erant, ut filii nobiles juxta principia catholica educarentur, atque hunc in finem proprium institutum educationi destinatum erigeretur. Primo hoc institutum in horto dicto Karolyano sub directione Adami Müller erigendum erat: sed ex causis mihi ignotis, res ad effectum non fuit deducta. Postea vero simile institutum erectum est, quod sub directione defuncti Friderici de Klinkowstroem, qui fuit vir materterae meae, primo in suburbio Wieden, tum in alio di-

eto Alser, per multos annos substitit. Jucundissimos fructus produxit: nam multi firmissimi catholici, qui postea ad amplissima officia vocati sunt, ex eo prodierunt. Inter hos numerandi sunt Josephus et Maximilianus de Klinkowostroem, S. J. sacerdotes, Liber Baro Stillfried, nunc praeses piae unionis S. Michaelis, Liber Baro Hübner qui fuit Legatus in Curia Romana, Liber Baro Brenner, legatus primo in Hassia - Darmstadt, deinde Minister, Comes Crivelli jam Legatus in Curia Romana, P. Alexander Wenninger, S. J. sacerdos, aliique quorum nomina non recordor. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 147. *Oravit sategitque ut juventus catholice educaretur.*

IX. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 268. *respondit* : « Adducere hic possum, juventutis educationem juxta principia catholica maxime illi cordi fuisse, eumque saepius orationes nobis commendasse, cum proprium Institutum ad hunc finem erigere intenderet. »

XV. Testis *juxta* 20. *Interr. Proc. fol.* 375. *respondit* : « Propria experientia scio, Servum Dei desiderantem, ut juvenes juxta principia catholica educarentur, allaborasse ut in institutione pro educandis pueris nobilibus erecta, quorum scientificam directionem ipsius amicus Adamus Müller susceperat, nonnulli suorum sociorum religiosam haberent directionem; contra quod conamen cum exorta esset insuperabilis resistentia, Servo Dei auctore aliud simile institutum erectum est, quod Friderico de Klinkowström meo cognato fel. memoriae dirigente per multos annos feliciter perduravit. »

§ 148. *Ob eam rem institutum condi obtinuit ope Friderici de Klinkowström, favente Archiduce Maximiliano Atestino.*

XXIX. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 583. *respondit* : « Vindobonae Servus Dei eo tempore, quo eum jam noveram, Dominum de Klinkowström incitavit ad institutum pro nobilibus juvenibus educandis erigendum, in quo ipso auctore per tres menses auxiliario modo educatoris officium suscepi. Aliquoties hoc institutum visitavit, vivum ostendens affectum, et a familia Klinkowström magno habitus est in honore. »

XXV. Testis *juxta* 20. *Interr. Proc. fol.* 513. *respondit* : « Scio, Patrem Hofbauer ex multo jam tempore ea versatum esse in cogitatione, erigendi educationis institutum catholicis innixum fundamentis, sed tale institutum antea jam ab Adamo Müller inceptum nascens jam extinctum est. Pater Hofbauer igitur Dominum Fridericum de Klinkowström adiit, cui animum indere novit ad difficile hoc conamen necessarium. Deinde probabilissimum est, Archiducem Maximilianum Atestinum felicis recordationis propter Patrem Hofbauer intercessisse in ea re apud Imperatorem Franciscum augustae memoriae. Iste Archidux patrum nostrorum uni narravit, se a Patre Hofbauer sese invisente optime fuisse affectum, idque praesertim visa ejus extrema paupertate; Archidux enim, coram quo comparebat, advertit, tibialia pro-

spicere ex perforatis calceamentis. Ad quem cum postea venisset Adamus Müller supplicans, ut apud Imperatorem Franciscum intercederet, ut dominus de Klinkowström facultatem obtineret, erigendi institutum pro educatione, Archidux Maximilianus, recordatus, eandem petitionem antea ipsi (Adamo Müller) fuisse denegatam, promisit, se per totam vitam saccharum ad caffeum non adhibiturum ista petitione concessa. Hanc circumstantiam ipse Archidux paucis diebus ante mortem suam Patri Mangold Congregationis SS. Redemptoris narravit. »

§ 149. *Pecuniam ad rem perficiendam non defuturam praedixit.*

XVIII. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 405. *ter. respondit*: « De potestate, qua Servus Dei in hominum animos pollebat, ex relatione patris mei (felicis recordationis) et certe post expletum decimum quartum annum aetatis meae hoc adducere possum. Cum pater meus in Suburbium Vindobonae, quod de Alser vocant, cum Patre Hofbauer veheretur, domum ibi inspecturus, in qua educationis institutum erigeret, et vix eo pervenisset, Pater Hofbauer domo parumper aspecta patri meo: « Eme, inquit, domum istam. » Et respondente patre meo, pecuniam sibi deesse, prout sciret Pater Hofbauer, hic respondit: « *Pecuniam recipies, eme dumtaxat domum.* » His contentus pater meus acquisivit domum, nec spes eum fefellit, nam quidam lutheranus, Liber Baro de Geisau, necessariam pecuniae summam suppeditabat aequissimis cum conditionibus. »

§ 150. *Ex ea institutione egregiae utilitates secutae sunt.*

XXVI. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 538. *ter. respondit*; « Item scio propria experientia, Patrem Hofbauer Friderico de Klinkowström auctorem fuisse, ut pro educandis juvenibus praesertim cultorum et nobilium ordinum erigeret institutum. Ipse ego per aliquod tempus in hoc habitavi instituto, testisque fui magni successus et uberis benedictionis inde manantis. »

XXVIII. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 568. *respondit*: « Possum referre, Patrem Hofbauer domino de Klinkowström fuisse auctorem, ut institutum erigeret ad educandam juventutem secundum principia vere catholica, in quo instituto per sex annos studiis gymnasii incubui, et possum attestari, Patris Hofbauer finem fuisse obtentum. »

ARTICULUS XIII.

Ven. Servus Dei propagandae Congregationi suae operam dedit, ut per eam regnum Dei praedicaretur.

(Ex Processu Apostolico.)

Depositiones Testium I, II, III, VII, IX, XXIII et XXIV supra num. 6. de laboribus Apostolicis habentur, eisque concordat Testis IV. *juxta* 24. 25. 26. *et* 27. *Interr. fol.* 255. *et seqq.*

(Ex Processu Ordinario.)

V. Testis *juxta* 13. *Interr. fol.* 195. « Servus Dei pluribus in domibus religiosis est versatus, nec alia ex causa, nisi ut animas lucraretur, et pio desiderio Congregationem propagandi satisfaceret. »

Et *juxta* 17. *Interr. fol.* 195. *ter.* « Scio, eum titulum et munus Vicarii generalis regionum septentrionalium obtinuisse, munusque illud ad mortem usque retinuisse. Scio etiam, eum fuisse missum Varsaviam Missionarium, ibique summo cum successu laborasse. »

Et *juxta* 20. *Interr. Proc. fol.* 198. *respondit*: « Anno 1815. (quo tempore jam cognoveram Patrem Hofbauer) ipse parvam Missionariorum coloniam ex Congregatione SS. Redemptoris Buckarestum in Valachia misit, nempe Patrem Forthuber, duos clericos Libotzki et Hätscher, et fratrem laicum Mathiam, quos omnes quatuor ego noveram. Persecutiones ibi natae hanc domum religiosam everterunt. »

§ 151. *Missionarios in Valachiam misit.*

I. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 100. « Ego scio, Patrem Hofbauer misisse Buckarestum sacerdotes Forthuber, Häetscher, et Libotzki. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 142. *ter.* « Terrestris vitae affectu omnino carebat, eo excepto, qui prodibat ex desiderio glorificandi nomen Jesu et fidem in Germania propagandi. »

Et *juxta* 13. *Interr. fol.* 138. *ter.* « Inconstantia ipsi prorsus erat ignota, cum omne studium in Sancti Alphonsi honorem et Congregationis suae propagationem immutabiliter dirigeret. »

Et *juxta* 22. *Interr. fol* 147. *ter.* « Pro se nihil quaerebat nisi Congregationis suae causam, sed et in ea aperte ostendens, pro nihilo se reputare propriam personam, ideoque saepe illud proferens proverbium: « *Deus nemine indiget.* »

VI. Testis *juxta* 13. *Interr. Proc. fol.* 218. *ter.* « Scio certe, Servum Dei in Polonia, in Germania, in Helvetia et postremo etiam Vindobonae fuisse nec alia ex causa, nisi ut secundum Congregationis finem pro Missionibus laboraret. »

§ 152. *Summopere cordi fuit Servo Dei propagatio S. Ecclesiae et suae Congregationis.*

XIV. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 355. *ter.* « Scio equidem, Patrem Bartholomaeum Pajalich promptum fuisse in Americam cum eo proficisci. »

XV. Testis *juxta* 20. *Interr. Proc. fol.* 375. « Propria pariter experientia scio, Servum Dei anno 1815. postulante apostolico Nuntio Vindobonae, Reverendissimo Domino Severoli, nonnullos confratrum suorum misisse in Valachiam, ubi pro salute illius populationis magna revera praestiterunt. »

XIX. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 417. « Missionarios a Patre Hofbauer in Valachiam missos, ubi pro istius populi salute laborarent, ipse ego coram novi et nomine; nempe P. Josephum Forthuber, et clericos Franciscum Häetscher et Josephum de Libotzki, qui Buckaresti in manus Vicarii Apostolici vota

§ 153. *Missionarios mittere in Asiam et Americam cupiebat.*

emiserunt, et ibidem sacerdotes ordinati sunt. Audivi etiam de Servi Dei desideriis missionarios mittendi in Asiam et Americam. »

Et *juxta* 24. *Interr. Proc. fol.* 429. *ter. respondit* : « Scio, Servum Dei multa fuisse passum contradictionibus, persecutionibus et etiam processibus judicialibus. Inter ejus adversarios erant laici et sacerdotes. Cum Vindobonae spiritum catholicamque vitam repristinare et Congregationem suam in Austriam vellet introducere, complures illi hoc vitio ducebant. Nolebant concedere, ut cum Superioribus suis extra imperium existentibus relationem retineret, ab iisque dependeret. Pater Stark quoque mihi narravit, Varsaviae auctoribus impiis hominibus odio repletis persecutionem vehementem contra Congregationem exortam esse, ex quo domus religiosae secuta est suppressio, eum in arcem Borussiacam Küstrin deductum, ibique in custodia per plures retentum fuisse hebdomadas. Servum Dei ex parte auctoritatis ecclesiastieae, et civilis judiciali inquisitioni Vindobonae fuisse subjectum, saepe narrari audivi .... Item scio, Imperatorem Roma reversum propensum Servo Dei se exhibuisse, ideoque, ut pro omnibus acerbitatibus toleratis indemnem eum redderet, insinuasse eidem, ut gratiam a se peteret. Hoc Imperatoris favore utens Servus Dei veniam petiit Congregationis suae domum Vindobonae fundandi, quam petitionem Imperator benigne excepit. »

§ 154. *Multas persecutiones passus est Varsaviae et Vindobonae.*

§ 155. *Tandem obtinuit, favente Imperatore, ut Congregationis suae domum Vindobonae constitueret.*

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 515. *ter. respondit*: « Qua forti fiducia iis ipsis valde tristibus temporibus Servus Dei expectaret finalem victoriam Ecclesiae de impietate, liquet ex inconcussa ejus tenacitate, qua ut ita dicam, vitae suae propositum prosequebatur, idest demum Congregationi suae firmum fundamentum et propagationem extra Italiam procurandi. »

Et *infra fol.* 516. « Patris Hofbauer fiduciae mercedem Deus absque dubio repentina Congregationis diffusione post ejus obitum reddidit. Praefatus Archidux Maximilianus Atestinus hac de re maximam semper ostendit admirationem dicens: « Vidi pauperem istum virum solum coram me assistentem in summa paupertate et humiliatione, et ecce nunc video ejus Congregationem juxta ejus votum tam mirabiliter ubique diffusam. »

XXVI. Testis *juxta* 9. *Interr. Proc. fol.* 534. *ter.* « Deus optimus illi etiam initio laborum Varsaviae eximios misit cooperatores e regionibus slavis, germanicis et gallicis, (Polonos, Bohemos, Gallos, Germanos, exempli gratia Patres Podgorski, Czech, Srna, Hübl, Passerat etc.). »

XXVIII. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 568. *respondit :* « Scio etiam et testor ex relationibus a Patre Libotzki, Häetscher, et Forthuber mihi factis, Servum Dei instante Nuntio Apostolico Vindobonae commorante nonnullos suorum confratrum misisse in Valachiam, ubi pro istius populi salute magna effecerunt. »

XXIX. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 583. « Audivi deinde de statione missionis in Valachia existentis, cujus membra, nempe presbyteros Patres Libotzki, Haetscher et Forthuber coram cognovi, scioque, inter catholicos in Valachia ad hodiernum usque diem gratam existere memoriam apostolicorum laborum istorum Missionariorum. Caeteras domos in Germania et Helvetia quod attinet, hoc solum cognovi, fundationes saepius fuisse derelinquendas ob temporum vicissitudines. »

Rursus XXIX. Testis *juxta* 24. *Interr. Proc. fol.* 599. *respondit:* « Honorificae declarationes et commendationes Patri Hofbauer faventes ab Austriae Monarcha in Urbe ipsa acceptae persuaserunt Imperatori innocentiam, imo magnum valorem hujus viri, et post reditum primus gratiae actus erat Imperatoris, ut per aulicum tunc temporis parochum, D. Abbatem Jacobum Frint, Pater Hofbauer ad petendam ab Imperatore gratiam invitaretur, ut pro injuriis illatis indemnis redderetur. Pater Hofbauer nihil pro se quaerens, gratiae loco facultatem petiit erigendi Vindobonae et in Austria Congregationem SS. Redemptoris. Hoc proprie illud est factum, ex quo Congregationis fundatio Vindobonae et in Austria indeque in omnibus fere Europae regionibus, imo et in America septentrionali et meridionali prodiit. »

§ 156. *Congregatio Ssmi Redemptoris opera Servi Dei Vindobonae recepta, in ceteras orbis plagas manavit.*

DE HEROICA SPE VEN. S. D.

Num. 9. *De heroica Spe.*

ARTICULUS I.

Cuncta bona terrestria propter Deum despexit

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 169. *ter. respondit:* « Quod ad spem spectat, ante omnia meam persuasionem enuntiare debeo, me scilicet sentire, omnes virtutes theologicas ita inter se esse conjunctas, ut si una virtus, exempli gratia fides in gradu heroico, adest, etiam reliquae virtutes theologicae, spes et charitas in gradu heroico adsint oporteat. Quia videlicet promissiones Dei firmiter credo, et de ejus bonitate, omnipotentia et sapientia convictus sum, omnia bona ab eo spero. Hoc lumine fidei instructus Ven. Servus Dei mundana quaeque despiciens sola coelestiae et imperitura bona quaerebat. »

Et *fol.* 161. *ter.* « Dixit: In fine mundi qualis erit valor omnis pecuniae? Tantum quantum modica lamina valet. »

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 237. *respondit:* « Quantum Ven. Servus Dei humanas dignitates et honores parvi penderit, patet etiam ex hoc facto, quod scilicet honorem a

§ 1. *Mundana despexit, honores fugit.*

Rege Poloniae ordinis decoratione ipsi factum omnes celaret, ita ut solum casu, occasionis illius jam dictae inquisitionis, innotesceret. »

II. Testis ex officio *juxta* 29. *Interr. fol.* 746. *respondit*: « Mori cupiebat, quia ut dixit, magnus honor eum expectabat, quem fugere voluit. Hoc factum ab omnibus discipulis Ven. Servi Dei et primis Congregatis narratur. »

(Ex Processu Ordinario)

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 204. *respondit*: « Servus Dei filiali fiducia in Dei bonitate et promissionibus et in Jesu Christi meritis praeditus fuerat, quam fiduciam repetitis saepe his demonstravit verbis: » *Peccator quidem sum, sed spero peccatorum meorum remissionem, gratiam perseverantiae et aeternam beatitudinem.* « Servus Dei temporalia bona et honores contempsit, et eorum vanitatem ostensurus verbo, (ut ita dicam) Vindobonensi usus est dicens: » *Omnia sunt solummodo scruta* « et addidit » *Fratres mei quaeramus sola coelestia* « et eo fixos ipse P. Clemens Hofbauer tenebat oculos. Vivam in Dei providentia fiduciam his expressit verbis; » *Nihil solliciti sitis, solum regnum Dei quaerite ejusque justitiam, et caetera vobis Deus dabit.* « Hoc verbum proprio probavit exemplo, Deusque ejus fiduciam benigno auxilio nunquam deficiente confirmavit. »

§ 2. *Sola coelestia inhiabat.*

Et infra fol. 205. « Per plures annos quotidie, quin fere quavis hora, occasio mihi erat data, Patris vitam observandi, et vidi eum e Dei manu aequo animo omnia suscepisse, dolores et consolationes, semperque in omnibus eventibus hilarem servasse animum et vultus jucunditatem. Querelam ex ejus ore prodeuntem nunquam audivi; *omnia in honorem Dei mei*, praedilecta illius erat sententia. Et sicut ipse Servus Dei agebat, ita etiam nos discipuli sui, ut in iisdem circumstantiis ageremus, voluit, et amara cum mansuetudine, et dulcia reciperemus cum humilitate a Dei manu. »

§ 3. *Bona et mala aequo animo a Deo accipiebat.*

Et juxta 7. *Interr. Proc. fol.* 194. « Clemens Hofbauer in Deo et pro Deo vivebat totus. Quidquid cogitabat, dicebat et agebat, in Deum solum tendebat. Haec unica ejus beatitas. Vere dicere poterat: Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum. Mundus, honor, bona temporalia nullius ipsi erant valoris. »

§ 4. *Omnia ad Deum referebat.*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 419. *respondit*: « Clemens honores et divitias contemnens paupertatem dilexit et humiliationem. Bene de ipso Psalmistae verba adduci possunt: Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea. »

§ 5. *Res pretiosas quasi lutum spernebat.*

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 585. *respondit*: « Res temporales pauci habebat. Ita factum est, ut quondam Sacerdos eo praesente gloriaretur, quod eodem die manu tenuisset ornatum supra modum pretiosum et carum, quocirca

Pater Hofbauer respondit: « Ego vero hodie infinities plus in manu habui, nempe Jesum Christum in sacra specie sacramentali, et tu gloriaris manu tenuisse stercus et lutum? »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 150 *respondit*: « Servum Dei de sua vita nunquam anxie fuisse sollicitum nec doloribus, rheumatismo, haemorroide, frigore, intemperie, tenebris etc. territum a charitatis operibus exercendis et viis longis capessendis abstinuisse, saepissime observare potui. »

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 294. « Spei quoque virtutem in summo gradu possidebat Servus Dei, et quavis occasione hoc demonstrabat. In difficillimis circumstantiis pertranquillus et summa cum fiducia in Dei auxilio confidebat. Servum Dei animum semper ad coelestia direxisse ideoque omnia bona terrestria et honores contempsisse, omnis ejus vitae testatur tenor. »

§ 6. *De crastino nunquam erat sollicitus.*

VII. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 257. *respondit*: « Nobilis puella Barbara (cognomen ignoro) mihi narravit, juvenem se pro mundo et juxta ejus principia vixisse. Villam vendiderat octoginta millibus florenorum; publica calamitate rei pecuniariae anno 1811 secuta maximam hujus summae partem perdidit, unde desperans petiit flumen sese submersum. Eo pergens audivit quemdam immediate se sequentem. Iste erat Pater Hofbauer interrogans eam, quo vaderet, quidque intenderet, subitoque eam a pessimo molimine avertit, quod spiritu perspexerat, nam neuter sese cognoverat. Ipsa propositum haud negans, magnam ei exposuit pecuniae jacturam. Pater Hofbauer inclinatus pugillum terrae sustulit et dixit: « *En jacturam, quam es passa, pugillum terrae; et idcirco vitam temporalem et aeternam perditura es?* » Ipsa in se reversa et ab eo instructa et ducta in sancta poenitentia transegit vitam. Per multos annos habitavit apud nos in domo locatitia conventus, et Pater Hofbauer saepe sanctam poenitentem eam appellabat. »

§ 7. *Desperatam mulierem suicidium meditantem ad meliora revocat consilia.*

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 515. *ter. respondit*: « Quantopere Servus Dei bona terrestria, commoditates, voluptates et similia contemneret, cernebas in paupere ejus habitatione, in qua nullum alicujus abundantiae ornatus vel commoditatis reperiebatur vestigium, nec non in misero ejus vestitu. »

§ 8. *Voluptates, commoditates, divitias, pro nihilo habuit.*

ARTICULUS II.

Multas tribulationes passus est pro Christo Domino.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 170. *respondit*: « Ubique etiam graves persecutiones, imo carcerem passus est, sed non decidit, cum enim de voluntate Dei persuasum sibi esset, a Deo auxilium necessarium sperabat, nec ulla res eum a

§ 9. *In adversis animum non demisit.*

proposito revocare potuit quamvis una fundatio post alteram rursus supprimeretur. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 750. *respondit*: « Ab operibus, quibus gloria Dei et salus animarum promovebatur, nec difficultatibus nec defectu subsidiorum temporalium deterrebatur, sed cum plena fiducia in Dei auxilium ea suscepit. Sic Varsaviae pro orphanis pueris et puellis asyla erexit, eleemosynas pro iisdem quaesivit, et multa opprobria passus est; sed ea contempsit, et quae a Deo speravit, semper felicissime obtinuit. »

§ 10. *Difficultatibus non fuit deterritus.*

II. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 222. *respondit*: « Nullis difficultatibus, quae hujusmodi conatibus eo tempore saepe objiciebantur, deterritus est. Optime memini, Gubernium tunc Ecclesiae inimicum ejus studia et opera vere catholica malo oculo vidisse, et in genere sacerdotes exteros ejicere voluisse. »

Et *juxta* 31. *Interr. Proc. fol. eodem ter.* « Admiratus sum in eo... Spei constantiam imperturbatam, charitatem Dei et proximi ad omnia sacrificia paratam, voluntatis submissionem in sufferendis doloribus physicis et moralibus, fortitudinem in quibusvis vitae aerumnis, et in omnibus hisce virtutibus perseverantiam invariabilem usque ad finem vitae. »

IV. Testis *juxta* 34. *Interr. Proc. fol.* 258. *ter. respondit*: « Certum est, Ven. Servum Dei contrarietates et persecutiones tum Vindobonae, tum etiam in Polonia fuisse passum, quamvis particularia de iisdem deponere non valeam. Omnia opprobria et aerumnas patienter tulit. »

§ 11. *Speravit contra spem.*

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. Proc. fol.* 310. *respondit*: « Spes Ven. Servi Dei inconcussa erat. Proverbium suum, quod quasi semper ex ejus ore audiebatur, hoc erat: « Sperandum est contra omnem spem. » Cum summa fiducia decreta divinae providentiae expectabat, sed etiam voluntatem Dei cum plena submissione adorabat. Hoc ipsae ex ejus ore audivimus, ejusque discipuli hoc nobis dixerunt. »

Et *juxta* 34. *Interr. Proc. fol.* 316. *respondit*: « Ven. S. D. omnes persecutiones cum magna patientia pertulit, et nunquam de iis conquestus est. »

§ 12. *Pati amabat propter spem.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. Proc. fol.* 350. *ter. respondit*: « Ven. S. D. in omnibus aerumnis et adversitatibus inconcussam fiduciam servavit, et similes sensus aliis quoque instillare noverat. « Utique patere, patere, (sic saepius mihi dixit) nam pretiosum est pati: qui patitur, animas lucrari et peccatores convertere potest. » Hisce et similibus verbis animam meam doloribus quandoque afflictam consolatus est. Nox, quae votorum meorum emissionem sequebatur, dolorosa mihi fuit: quod cum lamentando ei dicerem, mihi congratulatus est, et hanc consolationem mihi dedit: Valde gaudeo, quod hac nocte dolores passa es: nam hac nocte feliciter peccatorem salvavi, qui jam a tri-

ginta et duobus annis peccata non confessus erat. » Solitus erat, dolores suos cum doloribus poenitentium unire, et pro conversione peccatorum, Deo offerre; et quanto plus patiebatur, tanto plus crescebat fiducia, ad salvandas animas a Deo gratias necessarias se impetraturum. Quoties et quam instanter Ven. Servus Dei in diuturnis laboribus et gravibus infirmitatibus meis (propter quas timui, ne me ad profitenda vota non admitterent) ad preces fundendas, et ad fiduciam me hortatus est. Pro certissimo affirmavit, meas preces fore exauditas, imo tempus mihi indicavit, quo sanarer, et idonea fierem plus praestandi, quam multae aliae moniales, quae eo tempore juvenes, sanae et robustae erant; et sicut promisit, res contigit. »

(Ex Processu Ordinario)

I Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 109. *respondit*: « Lubenti animo pro Dei gloria et animarum salute difficilia aggressus est opera, haud respiciens labores et pericula illis annexa, praesertim in fundationibus domuum Varsaviensis et Germanicarum. Hac de re particularia deponere poterunt Pater Czech et Pater Srna. Quodsi demum vi coactus cedere debebat, animum nequaquam despondit, sed absque mora aliud pro gloria Dei opus suscepit. Heroica praesertim fortitudine persecutiones Varsavienses et Vindobonenses tolerabat, rebus in adversis et persecutionibus dicere solitus: « *Quod vult Deus et sicut vult Deus.* »

§ 13. *Sicubi cogeretur cedere, aliud novum ad gloriam Dei moliebatur.*

IV. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 189. *resp.*: « Scio, eum persecutiones, contradictiones et convicia varie fuisse passum easque libenter et tranquilla cum patientia, uti jam dixi, tolerasse. Verba in inimicos aspera nunquam ab eo audivi, sed pro inimicis rogavit; animarum salutem omnibus anteponens rebus, omnia pro ea est passus. »

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 297. *respondit*: « Summum dolorem, quem sentiebat videns tribulatam Ecclesiam Dei, et omnes morbos suos magna cum patientia pertulit, sententiam suam prorsus adimplens: « *Quod vult Deus, quomodo et quando vult.* »

§ 14. *Totum se divinae resignavit voluntati in rebus adversis.*

XII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 327. *ter.* « Ejus . . . . . spes erat inconcussa. »

XXVI. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 547. *ter. respondit:* « Omnibus notum est, Servum Dei non solum contradictiones, sed apertas passum esse persecutiones, imprimis ab Ecclesiae inimicis, quorum eo tempore multi et exacerbati fuere; istis ejus zelus pro fide catholica, observantia erga Sanctam Sedem, introductio Congregationis, visibilis ejus successus in resuscitanda fide catholica et vita odio erant. Factum est pariter notum, eum Vindobonae judiciali inquisitioni fuisse obnoxium, ea praesertim de causa, quod cum Superioribus Congregationis relationem habebat, eique re-

§ 15
Fuit semper tranquillus, Dei auxilium exspectans.

nuntiare nolebat pro judicum voluntate, et nisi divina providentia, corda hominum dirigens, Imperatoris Francisci Majestatis cor in ejus vertisset favorem, ille (Pater Hofbauer) Vindobonam et Austriam derelinquere fuisset coactus. Eo persecutionis tempore in eo nullam unquam mutationem aut in agendo acerbum modum observavi. »

XXI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 474 *resp.* : « Ejus spes erat inconcussa, illud: Sperare contra spem, ejus propria erat virtus. »

XXV. Testis, *juxta* 22. *Interr. fol.* 515 *ter. respondit*: « Tametsi eo tempore victoria Ecclesiae mox futura haud esset speranda, et in Austria praesertim civilis auctoritas ingenti vexatione Ecclesiam opprimeret, non memini eum videre nisi summam tranquillitatem in vultu praeseferentem et animi dispositionem adeo integram, ut videretur jam cernere Ecclesiae finalem victoriam. Tanta ejus erat fiducia. »

ARTICULUS III.

In Deo confidens res arduas suscepit.

(Ex Processu Apostolico)

§ 16.
In propaganda Congregatione fortem fiduciam monstravit.

I. Testis *juxta* 31. *Interr. Proc. fol.* 170. *resp:* « Sperans Deum sibi adfuturum, sine omni mundano auxilio et temporalibus bonis res difficillimas aggressus est. Quisque facile intelliget, rem difficillimam et periculis plenam fuisse, Congregationem SS. Redemptoris eo tempore propagare, quo perturbationes politicae ubique victoriam reportabant, et monasteria et instituta ecclesiastica ubique destruebantur. »

§ 17.
In Deum sperans instituta educationis erigenda curavit.

Fol. 171 *ter*: « Aliud exemplum, ex quo patet, quam bene Ven. Servus Dei fiduciam in Dei auxilio inspiraverit, adest in sequenti facto. Domino de Klinkowstroem consilium dedit, ut institutum educandae juventuti destinatum erigeret, et in hunc finem domum compararet. Cumque Klinkowstroem stupefactus diceret: Quomodo faciam, cum pecunia mihi desit? Ven. Servus Dei respondit: Nihil secius eme eam, Dominus pecuniam procurabit. Cui dicto confisus Klinkowstroem domum emit, et acatholicus quidam modico cum lucro pecuniam ei mutuam libenter dedit. »

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 237. *resp*: « Fiducia Ven. S. D. pluries modo plane conspicuo a Deo benedicta est, in cujus rei documentum ex narratione patris mei defuncti sequentia facta adducere possum . . . Alterum factum, quod adducere possum, proprio meo patri defuncto contigit. Cum enim ille anno 1818. auctore Serenissimo Archiduce Maximiliano Atestino institutum educationis amplificare et in hunc finem domum ampliorem pecunia comparare sibi vellet, subsidia necessaria defecerunt. Quadam die Ven. Servus Dei patrem invitavit, ut domum quamdam in suburbio ab «

Alser » dicto sitam, et ad hunc finem aptam secum inspiceret. Possessor domus erat liber Baro Wetzlar; illamque Ven. Servus Dei patri meo emendam obtulit. Cum enim eam inspiceret, Ven. S. .D. statim dixit: « Hanc domum emas oportet. » Et respondenti patri, se pecuniam ad hoc necessariam non habere, reposuit Ven. Servus Dei: « Pecunia non deerit: eme confidenter. » Elapsis paucis hebdomadis vir acatholicus, quin rogatus fuisset, patri meo pecuniam necessariam sub conditionibus valde aequis mutuam dedit. »

IV. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 255. *ter. respondit*: « Hofbauer et Kuntzmann Varsaviam profecti subito monasticam vitam degere coeperunt, quamvis post adventum omnes opes ad tres thaleros essent reductae, qui paulo post erant consumpti. Kuntzmann herbas tantum coquendi antea peritus, coquus factus est, et confecit ligneum cochlear, parum supellectilis culinariae a bonis hominibus commodans. Ven. Servus Dei erecta ibi domo Congregationis suae cum uberibus fructibus laboravit, et mala multa sustinuit. Infantes suscepit educandos, quorum numerus centum quandoque superabat. »

§ 18. *In Deo confisus sprevit difficultates.*

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 749. *ter. respondit:* « Spes Ven. S. D. patet ex facto communiter noto, quod tempore, quo ubique monasteria et instituta ecclesiastica destruebantur, inter extremas difficultates et pericula nunquam operam propagandae Congregationis suae intermisit. »

(Ex Processu Ordinario)

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 231. *ter. respondit*: « Spei virtus in gradu heroico a Patre Hofbauer exercita praesertim eo elucebat 1. quod paupertate sua et omnibus impedimentis non obstantibus, quae exurgebant contra vocationem ipsius et labores susceptos, felicem tamen exitum rei suae cum certitudine semper expectaret; 2.... 3. quod Servus Dei, quem difficillimae circumstantiae domuum suarum et persecutiones saepe opprimebant, firmus semper staret in fiducia, et quamvis suorum sorte magis contristatus quam propria, animum tamen nunquam desponderet, sed contra omnem spem in Domino duce suo speraret, et absens Patri Passerat instructiones daret adeo solidas, quibus Congregatio in Germania non obstantibus omnibus temporum difficultatibus usque ad fundationem Vindobonensis domus conservaretur, quod absque peculiari providentia fuisset impossibile. Imo fundatio domus Vindobonensis majore etiam robore confortavit domum Helveticam et ambae viribus unitis laborabant ad dilatandam Congregationem, quemadmodum Servus Dei praedixerat. Magna exorta penuria quondam in domo Varsaviensi Servus Dei in ecclesiam se conferens plenus fiducia pulsavit tabernaculum, benigni Jesu auxilium implorans. Nec fiducia eum fefelle-

§ 19. *In gravi penuria confidenter a Christo poscit opem et impetrat.*

rat, eodem enim fere momento dominus quidam comparuit summam haud parvam ei tradens. Haec mihi narravere nonnulli Patres Varsavienses, quorum tamen nomina adducere amplius nequeo. »

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 419. *respondit*: « Fidei firmitatem ejus *spes* prorsus aequabat. Quod ille ostendit imprimis in magno illo et difficili opere diffundendae Congregationis inter tanta impedimenta, quae temporum illorum conditio, gallica revolutio et Josephinismus austriacus illi parabant. »

§ 20. *Carnis et sanguinis oblitus spectat unice propagationem regni Dei.*

Et *fol.* 422. *ter. respondit*: « Propinquis suis Servus Dei adeo renuntiaverat ut penitus ignoraretur, an eorum aliquos haberet, cum nunquam de iis loqueretur. Novi etiam, P. Clementem in epistola (apud Tannoja) ita scribere « *In hoc mundo nihil aeque diligo ac Congregationem meam pro qua propaganda nullus labor ac nulla aerumna me terret.* »

§ 21. *Auxilio fretus divino Congregationem in Germaniam introducere adlaboravit.*

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 585. *respondit*: « Heroica cum fiducia in Dei auxilio spem nutriebat Pater Hofbauer fore, ut in Austria et Vindobonae Congregationem SS. Redemptoris introduceret, ideo qua Superior Congregationis cisalpinae inde ab anno 1809. juge Vindobonae figens domicilium, tametsi varias Congregationis domos in Germania et Helvetia dirigere deberet. Et tamen Pater Hofbauer conditiones et relationes apprime novit tunc temporis in Austria vigentes et Congregationi in Austriam introducendae penitus contrarias. »

§ 22. *Cum desperata omnia viderentur, spem non abjecit.*

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 102. *respondit*: « Ea summa in Deum fiducia dux illi erat in omnibus, quae aggressus est; res adversa nulla, animum ut deponeret, effecit, et cum omnia desperata esse viderentur, sicut in ultima persecutione Vindobonae, alibi continuandi apostolicum munus spem non amisit omnesque nos discipulos suos nova spe roboravit. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 142. *ter. respondit*: « Fiduciam, quam in Deo ponebat, quavis occasione ostendere, solemne illi erat. Ex virtute fidei natum est illi: sperare contra spem. Hujus in Deo positae fiduciae et justificandae et probandae dedit speciale argumentum, cum post irritum conatum, pro nobilium juvenum educatione fundandi institutum, magistrum pro eo destinatum, dominum de Klinkowström ad fidem conversum invitaret et animaret, ut catholicum institutum pro educandis juvenibus fundaret, quamvis omnia deficerent media ad id necessaria. Quod institutum reapse perfectum per annorum seriem floruit. Haec novi propria experientia, domino de Klinkowström intima conjunctus familiaritate. »

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 542. *ter. respondit*: « Spes ejus gravissimis subjecta fuit tentationibus, et in eo ipso ille suum ostendit heroismum, quod nullis impedimentis et difficultatibus deterreretur. Fundationibus suis una post alteram eversis illico de novo coepit aedificare. »

ARTICULUS IV.

In necessitatibus temporalibus firmiter a Deo auxilium expectavit.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 170. *ter. respondit:* « Etiam in paupertate et penuria a Deo auxilium expectabat, dicere solitus: « Si sacerdos officium suum adimplet, Deus eum nunquam derelinquet, et si unus tantum panis in mundo esset, mediam partem Deus ipsi daret. »

§ 23. *Egregium effatum Ven. S. D.*

Et *fol.* 171. *ter.* « Splendidum fiduciae exemplum in Deum dedit etiam, cum de introducenda Vindobonam Congregatione ageretur. Supplicavit tantum, ut Ecclesia B. Mariae V. ad Litus Congregationi traderetur, quin summam pecuniae pro fundatione expostularet: certus enim erat, Dominum operariis suis etiam panem quotidianum esse daturum. »

§ 24. *In fundatione domus Vindobon. pecuniam non requisivit.*

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 237. *respondit*: « Fiducia Ven. Servi Dei pluries modo plane conspicuo a Deo benedicta est, in cujus rei documentum ex narratione patris mei defuncti sequentia facta adducere possum. In itinere, quod Ven. Servus Dei una cum clerico Martino Stark fecerat, hora sera vespertina in diversorium venit. Per totam diem nihil manducaverant, unde juvenis Clericus de fame intolerabili conquestus est; sed Ven. Servus Dei eum consolatus est firma spe, se eadem adhuc die satiatum iri. In diversorio, in quo super stramine jacentes morabantur, quidam hospites chartis ludebant, qui hac occasione verbis contendere, et tandem verba blasphema evomere inceperunt. Ven. Servus Dei de offensa Dei magno dolore correptus, summa charitate gravitatem peccati monstrando eos correxit. Hoc tamen cum tanta mansuetudine et teneritudine fecit, ut viri blasphemi resipiscentes eum invitarent, ut cum socio coenae ipsorum participaret. Tum Ven. Servus Dei ad socium suum conversus: « Vides, inquit, Martine, quod dixi, factum est; Deus auxiliatus est nobis. »

§ 25. *Fidens in Deo esurienti socio coenam promittit.*

§ 26. *Praedicationem mirabilis eventus consequitur.*

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 310. *respondit:* « Spes Ven. S. D. inconcussa erat. . . . Saepius etiam Ven. Servum Dei dicentem audivi: « Sacerdos, qui fideliter juxta vocationem suam vivit, fame non peribit. »

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 351. *respondit*: « Haec sancta spes semper, etsi in rebus temporalibus necessariis penuria premeretur, eum sustinuit. Quaecumque habuit, cum filiali fiducia inter suos, quorum multos fuisse constat, distribuit; Deus vero ejus fiduciae ita benedixit, ut pro omnibus semper ad sufficientiam haberet. Tam inconcussa fiducia Deus Ven. Servum suum animavit, ut paulo ante obitum suum diceret, preces suas exauditas esse; Congre-

§ 27. *Omnia, quae habuit, inter suos dispensavit.*

gationem Vindobonae erectum iri, se vero brevi moriturum, et tunc Congregationi apud Deum majorem utilitatem afferre posse, quam si amplius inter vivos mansisset. »

IX Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 392. *ter. resp.* « Eo tempore, cum moniales magnam penuriam paterentur, iisdem praescripsit, ut post missam conventualem dicerent: » Omnipotens et clementissime Deus, rogo te, ut aperias mitem manum tuam, benedictione tua terram reple, omnes noxias tempestates depelle; sed praecipue da nobis cor, quod te timeat et vere amet, ne indigni efficiamur beneficiis tuis; fac ut tibi pro beneficiis tuis honorem et debitam gratitudinem exhibeamus, et non aliter iisdem utamur, nisi ad tuum honorem et nostram salutem. Pater coelestis, da nobis panem quotidianum, et quae necessaria sunt ad sustentandam vitam; omnem annonae caritatem, omnemque penuriam elementer averte, et nutrimentum, quo indigemus, nobis concede. Da nobis gratiam, ut totam fiduciam nostram in te solo ponamus: hoc a te petimus per Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit etc.

§ 28. *Preces in necessitatibus dicendas docuit.*

I. Testis ex officio, *juxta* 24. *Interr. fol.* 679. *resp.* « Pauperiorem V. Servo Dei videre non poteras; nemo vero ejus magnanimitatem in sublevandis miseris cujuscumque generis superabat. Nunquam eleemosynam petebat, et Deo soli notum est, quomodo cuique aliquid dare potuerit. »

§ 29. *Largas eleemosynas dedit.*

II. Testis ex officio, *juxta* 31. *Interr. fol.* 750. *resp.* « Cum Vindobonae Institutum educationi inserviens erigere intenderet, domino de Klinkowstroem domum digito monstrans dixit: « Eme hanc domum », quamvis pecunia deesset; et haec in Deum fiducia felici exitu coronata est. »

§ 30. *Confirmantur dicta* §§. 23 *et* 24.

Et *fol.* 752. *ter.* « In rebus temporalibus tantam fiduciam in Deo posuerat ut dicere soleret: « Si unus tantum panis in mundo esset, sacerdos, qui obligationibus suis satisfacit, mediam partem haberet. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 31. *Quod speravit obtinuit.*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 419. *respondit*: « De crastino die nunquam sollicitus, saepe, quidquid habebat, pauperibus erogavit, persuasum habens, fore ut a Deo semper adjuvaretur, et omnia larga restitutione reciperet juxta promissionem: « *Date et dabitur vobis* ». A Patre Stark saepe audivi narrari quae sequuntur: In itinere, quod Hofbauer cum clerico Stark fecit, pecunia deficiebat, ita ut hic quereretur, quod post longum iter diei necessaria carere deberet coena. Servus Dei enim consolatus est promittens, lautam coenam ipsis non defuturam. In diversorio parum straminis tantum ad decumbendum accepto, Martinus Stark factae promissionis eum commonuit, quam Servus Dei repetebat. Duo viri in eodem diversorio chartis ludentes exorta lite conviciis in alterutrum invehebantur. Stramine re-

§ 32. *Confirmantur dicta* §§. 25 *et* 26.

licto, Servus Dei suavi adhortatione adiratos mitigans pacem composuit. Virorum alter resipiscens non solum, sed et Servi Dei admiratione et amore motus comiter eum invitavit, ut cum socio suae coenae participaret. Tunc Servus Dei ad Martinum Stark conversus « *Videsne,* inquit, *Martine, bonum Deum servos suos non derelinquere* »? Memini, in domo nostra ad scalas Marianas narrari, quomodo Servus Dei pauperem familiam, cujus domus, oppugnatâ a Gallis Vindobonâ, periclitabatur, ne bellicis hostium tormentis vastaretur, consolatus hortaretur, ut in divina providentia omnem reponerent fiduciam, et revera domus incolumis stetit, quamvis summo exposita periculo, et cum globus in domum caderet, nemo tamen est laesus. »

Concordant Testis VIII. *juxta* 22. *Interr. fol.* 253. *ter.*, Testis X. *juxta* 22. *Interr. fol.* 294. *ter.*, Testis XVIII. *juxta* 22. *Interr. fol.* 405., Testis XXVIII. *juxta* 22. *Interr. fol.* 568. *ter.*, Testis XXV. *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 516. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 585. *respondit*: « Suam in Dei auxilio fiduciam quoad res temporales sibi suisque ad vitam necessarias his audivi eum exprimere verbis: « Si duo solummodo in mundo essent panes, Deus optimus » unum panem dabit sacerdoti officio satisfacienti ejusque » ad vitam indigenti, dum alter panis caeteris hominibus » in mundo deberet sufficere. » § 33. *Nec non dicta* § 23.

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 294. *respondit:* « Etiam quoad res ad vitam necessarias Evangelii observabat doctrinam: « *Pro crastina die ne solliciti sitis*: » et quavis occasione, quidquid domi habebat, discipulis suis distribuebat et pauperibus. Illud revera assumpserat axioma: « *Date et dabitur vobis* ». Quomodo ejus in Deo fiducia miraculoso etiam compensaretur successu testatur factum, quod refero, prout ipse illud nobis narravit. Cum Thaddaeum Hübl ad iter secum Romam instituendum inducere vellet, ut ibi Theologiae vacarent simulque vocationem probarent, et ille reponeret: Ego infirmor et pecunia careo, quomodo tecum tam longum iter facere possum? Servus Dei respondit: « *Pecuniam viaticam ego colligam et reliqua providebit Deus* ». Et utrumque adeo feliciter contigit ut iter aggredi et ad bonum finem producere possent. Aliud factum hic loci commemorandum a Patre Martino Stark audivi. Post longum iter diei a Patre Stark cum Patre Hofbauer factum carebant pecunia, qua necessariam procurarent coenam. Tunc Servus Dei querentem socium consolatus est promittens, lautam coenam non defuturam. Diversorium ingressi straminis parum solummodo ad cubandum obtinere poterant, quare Martinus Stark Servum Dei promissionis commonuit, quam iste renovavit. In eodem autem diversorio duo viri chartis ludentes exorta rixa male se invicem conviciis affecerunt. Tunc Servus Dei e stramineo lecto surgens adhortatione sua pacem inter adiratos restituit, quorum alter non solum

§ 34. *Divinae innixus providentiae socium egenum et infirmum ad Urbem perduxit feliciter.*

§ 35. *Confirmantur enarrata supp.* §§ 25, 26.

resipuit, sed et tanta Servi Dei admiratione et charitate in eum captus est, ut eum cum socio ad coenam suam invitaret. Laetus tunc Servus Dei socio: « *Vides,* inquit, *Martine, Deum servis suis non deesse.* »

§ 36. *Dabat libenter, credens plura adhuc sibi datum iri.*

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 102. *respondit*: « Rebus etiam in temporalibus, inprimis cum de aliorum miseriis ageretur sublevandis, totam in Deo, non in homine repositam spem habebat. Multas easque amplas erogavit eleemosynas, nec unquam, quod daret, illi defuit; facete quondam mihi dixit: « *Istae duae sunt sorores: Danti-Dabitur.* »

ARTICULUS V.

A Dei misericordia gratias coelestes expectabat: aliisque eandem firmam spem instillavit

(Ex Processu Apostolico)

§ 37. *Aliis fiduciam in misericordia Dei instillavit.*

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 752. *ter. respondit*: « Magnam fiduciam quam V. S. D. in Deo posuerat, aliis quoque infundere scivit, et peccatores saepe convertit, fiduciam in misericordia Dei, et intercessione B. Mariae Virginis ponendam iis instillando. »

§ 38. *Probatur exemplo.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 170. *ter. respondit*: « Ven. S.D. sive praedicaret, sive confessiones exciperet, sive aegrotis assisteret, fiduciam in Dei misericordia omnibus ingerendi omnesque solandi peritissimus erat, unde ad infirmos, ope spirituali maxime indigentes, saepe vocatus est. Ita exempli gratia Liber Baro Moser diuturno pectoris morbo laborabat, et quamvis non esset incredulus, tamen ad recipienda sacramenta induci non poterat, quia infirmitatem suam periculosam non reputabat, uti iu infirmis hujus generis saepissime contingit. Ejus igitur mulier Patrem Hofbauer accersivit, ut periclitantem infirmum moveret, ne divina Sacramenta recipere tardaret. Venit Ven. Servus Dei et dixit infirmo: « Domine Liber Baro, confitere peccata tua, et certus esto, quod coelum intrabis ». De hoc verbo stupefaetus interogavit Baro: « Quid dicis, Pater Hofbauer? Res ita se habet» ? « Certissime; replicavit Servus Dei». Et infirmus: Si ita est, inquit, statim peccata confitebor; summo perfusus gaudio, quod Pater Hofbauer asseveraverat, ipsum in coelum fore ingressurum. Cum vero infirmitas adhuc protraheretur, cum amicis suis ad animum levandum ludum aliquem fecit, quae res piae uxori displicuit, voluit enim ut vir huic quoque oblectamento renuntiaret, sed infirmus respondit: « Pater Hofbauer hoc mihi non prohibuit quod mihi sufficit, nam si peccatum adesset, certo hoc mihi non permisisset.» Et divinae voluntati plane subjectus obiit cum spe se coelestis gloriae certe fore participem. »

I. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 688. *ter. respondit*:

« Ex facto sequenti patebit quam *potenter V. S. D. animas tranquillare potuerit.* Juvenis Comitissa Lichtenberg tabe laborabat, et V. S. D. ad eam vocatus est, ut eam ad ultimum in aeternitatem iter praepararet; cumque ab ea discessisset, ea gaudio et fiducia plena semper repetiit: « Certe paradisum ingrediar, id P. Hofbauer mihi promisit. »

§ 39. *Aliud exhibetur exemplum.*

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 237. « In quantum ad fiduciam, quae Ven. Servum Dei in Deum animabat, et desiderio paradisi implebat, audivisse memini, ipsum amico de recuperata salute congratulanti respondisse: « Egregii mihi estis amici, qui ipsum coelum mihi invidetis. »

§ 40. *Ad aeternam vitam desiderio ferebatur.*

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 392. « Semper Ven. Servus Dei nos monuit, ut nobismetipsis diffideremus, sed totam fiduciam in Deo poneremus. Saepe dixit: Sperandum est contra spem; quod hominibus impossibile videtur, Deo possibile est. Unde etiam hortatus est, ut in omnibus necessitatibus cum plena fiducia et instanti oratione ad Deum confugeremus. »

(Ex Processu Ordinario)

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 231. *ter. respondit*: « Spei virtus . . . eo elucebat . . . quod ipsius zelus etiam alios et praesertim peccatores ad hanc inconcussam incitandi fiduciam, nunquam remitteretur. Cum in pulpito verbis de judiciis Dei medullam et ossa penetrantibus peccatoris cor quasi contrivisset, illud erexit denuo ad fiduciam in infinita Dei misericordia, tenerrimis modis Jesu Christi amorem, sanguinem et passionem, et Mariae misericordiam depingens. »

§ 41. *Tenerrimo modo de misericordia Dei et B. M. V. praedicabat.*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 419. *respondit*: « Instructus heroica fiducia magnum etiam possidebat donum pusillanimos anxiosque erigendi et consolandi, ac peccatoribus fiduciam in Dei misericordiam instillandi. Particulari praedilectione de Dei charitate et misericordia praedicabat, commoventi saepe voce ea proferens verba: « *Jesu, fili David, miserere nostri* », sive exclamans: « *Quare moriemini, domus Israel?* » Saepe etiam praeclaram demonstravit mercedem justos manentem et magna commotione verba illa S. Scripturae adduxit: « *Ego ipse ero merces tua magna nimis.* »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 585. *respondit*: « Ejus in Deo fiducia in meritis praesertim et divina Salvatoris nostri Jesu Christi fundata erat dignitate, quem in concionibus suis saepe et cum emphasi magnum inter Deum et homines mediatorem ostendere satagebat. Saepe etiam ista repetita usus est exclamatione: « *Jesu, fili David, miserere mei.* » Saepe auditus est dicere cum dolore, homines fiduciam nimis parvam ponere in infinitis Jesu Christi meritis, et iterato fideles hortantem audivi, ut sincero corde quaererent Deum et veram sapientiam; sapientia enim divina, uti ajebat biblicis verbis, quasi mater honorificata obviam venit quaerentibus se. »

§ 42. *Fundamentum habet confidentiae infinita Jesu Christi merita.*

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 102. *respondit*: « Firma et filiali cum fiducia in Deum difficillimas incredulorum conversiones moliebatur et minimam, quam in iis detegebat humilitatis scintillam, Deo favente accendit eo successu, ut praeclaras efficeret conversiones. »

Et *infra fol.* 102. *ter.* « Talis illi in Deo fiducia, ut totius mundi causam in se ipso positam totumque mundum a se crederet ad Deum reducendum. »

§ 43. *Confirmantur dicta* §. 40.

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 253. *respondit*: « Cum moniales ei post gravem morbum de recuperata salute gratularentur, eum dicentem audivi: « *Egregiae vero amicae, quae coelum mihi invidetis.* » Servus Dei viva in Deum fiducia non solum ipse erat animatus, sed eundem et aliis instillare studebat affectum. Sic etiam nos admonuit, ne de crastina die essemus sollicitae, Deum enim prospecturum. »

§ 44. *Divinam misericordiam auditoribus suis considerandam exhibebat.*

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 542. *ter. respondit*: « Concionando de Dei charitate et misericordia loqui amabat, peccatoribus fiduciam et animum inspirabat; non tumultuabatur, et quamvis severas annuntiaret veritates, nunquam tamen quietem amittebat, nec omittebat unquam Dei justitiae etiam misericordiam adjungere. Speciali etiam praecellebat dono scrupulosos tranquillandi. »

§ 45. *Anxios et sollicitos mirabiliter ad spem erigebat.*

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 395. *ter. respondit:* « Servus Dei spe christiana totus penetratus et animatus erat, quod omnis ejus vitae tenor ostendit. Sperabat non solum ipse vitam aeternam inconcussa fiducia ob merita Jesu Christi, sed et timidis et anxiis eandem inspiravit fiduciam, speciale etiam nactus donum, paucis verbis ex aliorum animis deflandi anxietatem. »

XVIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 404. *respondit*: « Deponere hic possum, quae sequuntur: Amico de recuperata salute congratulanti respondit: « *Egregii estis amici, qui ipsum coelum mihi invidetis.* »

ARTICULUS VI.

Sine intermissione orabat, et orationis necessitatem assidue inculcabat.

(Ex Processu Apostolico.)

§ 46. *Semper orabat, et ad orandum hortabatur.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. Proc. fol.* 349. « Virtutem divinae spei Ven. Servus Dei modo perfectissimo exercebat. In veritate sine intermissione orabat, et ubique et quovis tempore tam filiali et sincera fiducia precabatur, ut alii quoque ejus exemplum et monita ad orandum alacri animo sequerentur. « Petite! (sic auditores ex pulpito hortatus est,) quaerite, pulsate, nam qui petit accipit, qui quaerit invenit, qui pulsat, huic aperitur porta ad thesauros divinae misericordiae. »

Et *fol.* 350. *ter.* « Etiam vos (sic nos saepe monuit) Rosarium recitetis oportet, ut conversionem peccatorum obtineatis. Religiosae praecipue vocatae sunt, ut pro conversione peccatorum preces fundant; earum enim preces apud Deum magis acceptae sunt, quam preces saecularium. » Cum aliquando Ven. Servus Dei mihi injungeret, ut pro conversione peccatoris unum « Ave Maria » dicerem, hoc mihi nimis parum videbatur, unde me obtuli, ut hunc in finem pluria « Ave Maria » recitarem. Sed Ven. Servus Dei dulciter respondit: « Personae, quae per votum obedientiae propriam voluntatem Deo obtulerunt, cum fructu majori orant, quam saeculares. » Saepe nos monuit, ut pro convertendis magnis peccatoribus precaremur, addens: « Precibus et doloribus a filiis suis spiritualibus patienter sustentis multum se juvari ad convertendas animas aberrantes. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 392. « Aliquando mihi dixit (V. S. D.): Si iterum in antiquas tuas debilitates relaberis, noli animum demittere, sed confide Deo, et majori quam antea zelo ei servi; usque ad finem vitae a vigilando et orando ne cesses. Cum homo ex se omnino nihil boni, et ad promerendum coelum utile facere possit, cumque omne nostrum posse a Deo veniat, id fortiter te excitare debet, ut ad orandum confugias; oratio enim est fons omnium gratiarum et virtutum, nutrimentum animae, lumen intellectus, medicina contra tentationes, certum praesidium adversus omnes impetus et incursus inimicorum salutis. Quapropter oratio tibi panis quotidianus sit, semper eam ardenter et devote cum plena collectione spiritus institue, et dic saepe: Domine fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra. »

§ 47.
Orationem fontem omnium gratiarum esse docuit.

Et *fol.* 393. *ter.* « Enixe Ven. S. D. nos monuit, ut saepe pro felici obitu preces funderemus. Hujusmodi preces sunt: « Jesu Christe summum bonum, per sudorem et sanguinem tuum rogo, nec non per triplicem orationem tuam, ut cum in agonia posita fuerim, ob dolorosam passionem tuam animae meae miserearis. » Alia oratio. « O Jesu, concede mihi unam tantummodo guttulam sanguinis ex sacris pedibus tuis manantis. Quam si in mortis meae hora gustandam mihi permiseris, anima mea salva erit, et ad te perveniet. »

§ 48.
Preces pro felici obitu dicendas docuit.

(Ex Processu Ordinario)

III. Testis *juxta* 38. *Interr. Proc. fol.* 178. *ter. respondit*: « Addere debeo, principalem Patris Hofbauer occupationem fuisse orationem, eum aperto semper incessisse capite, praesentia Dei (uti mihi referebant) ante oculos illi semper versante, eum nunquam adhibuisse tegmen ad imbres avertendos, pauperem vestitum testimonium dedisse

§ 49.
Semper orando detecto capite incessit.

ejus, a quo animatus erat, spiritus paupertatis ; totumque ejus agendi modum valde placidum et benignum fuisse. »

XXIV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 500. *ter. respondit*: « Etiam spe christiana erat plenus ; fiduciâ praesertim in Dei misericordia et ferventi oratione probatâ. »

Et infra *fol. eodem.* « Quae sua erant, nunquam quaerebat. Omnium ejus actuum finis semper erat Deus. Erat vir orationis et in ipsa via recitabat Rosarium, tum praesertim, cum ad graviter decumbentem vocaretur hominem. »

§ 50. *Monitis et hortationibus spem in aliis insinuat.*

XXX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 613. *respondit*: « Magnae Dei Famuli spei argumentum invenio in adhortationibus saepe repetitis ad juvenes, ut in omnibus vitae circumstautiis in Deo confiderent, praesertim plenam fiduciam reponerent in Dei misericordia, et continue ad aeterna anhelarent bona, prout ipse ego ex ejus ore audivi. »

Multa alia testimonia ad rem spectantia hic omittuntur, cum jam supra n. 8. art. 2. relata fuerint, et alia infra n. 11. referenda sint.

Num. 10. *De heroica charitate in Deum.*

DE VEN. S. D. HEROICA CHARITATE IN DEUM.

ARTICULUS I.

Ex amore Dei peccatum abhorruit.

(Ex Processu Apostolico)

§ 1. *Ne minimum quidem peccatum in eo observatum est.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 172. *respondit*: « Heroicam charitatem Dei Ven. Servus Dei maxime monstravit mandata Dei, Ecclesiae, et Regularum Ordinis sui fideliter observando. Equidem non tam frequenter eo usus sum, ut ad proprias observationes provocare possim: sed uti jam dixi, cum multis et intimis Ven. Servi Dei amicis commercium habui, et saepe cum eis de Patre Hofbauer collocutus sum. Attamen neminem novi, qui vel minimum peccatum in eo observavit. »

§ 2. *Omnibus virtutibus excelluit.*

II. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 222. *ter. respondit* : « Admiratus sum in eo . . . . . continuum orandi zelum, studium nunquam intermissum perfectionis, amabilem urbanitatem in usu nobilium et plebejorum, magnam prudentiam in agendo, sinceram gratitudinem pro benefactis, animum intrepidum inter persecutiones, magnam modestiam in verbis et factis, suavitatem teneram in docendo et corrigendo, inexhaustam beneficentiam erga egenos, extraordinariam temperantiam cum ageretur de propria persona, magnam vigilantiam ad tuendam puritatem cordis, circumspectionem

in regimine animarum, nec non sacram industriam coelestibus benedictionibus plenam, studium et obsequium erga Sedem Romanam, singularem vigilantiam circa puritatem doctrinae catholicae, fidem vivam, spei constantiam imperturbatam, charitatem Dei et proximi ad omnia sacrificia paratam. »

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 241. *ter.* « Servus Dei in exercitio virtutum usque ad obitum perseverasse, jure merito ex eo concludo, quia ipse ab omnibus qui bene eum noverant, et quidem hominibus cujuscumque conditionis, ab hora obitus tanquam sanctus in veneratione habitus est. »

§ 3.
In exercitio virtutum perseveravit usque ad finem.

IV. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 257. *ter. respondit:* « Cum tota vita Ven. Servi Dei sancta fuerit, persuasum mihi est, ipsum etiam omnibus et singulis sanctorum virtutibus fuisse ornatum. »

VIII. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 360. *ter. respondit:* « Qui sicut ego Ven. Servum Dei diu et proxime, et sine intermissione observare poterat, testimonium ei reddere debet, ipsum non solum sacerdotem virtutibus ornatum, et zelo animarum plenum in sensu communi fuisse, sed juxta meam intelligentiam Sanctum fuisse; nam non solum multis illis annis, quibus beata sors mihi contigit, ut ejus directioni spirituali subjecta essem, nihil unquam vidi nec audivi, aut experiri potui, quod ejus virtutem vel minime obumbrasset, sed e contra profitendum est, virtutes in eo resplendentes extraordinarias esse dicendas. Nullae difficultates et impedimenta, quae ipsi in exercitio virtutum et in sacro ministerio certo saepissime obvenerunt, nullae adversitates et persecutiones, quarum minime erat expers, nullae tentationes, infirmitates et molestiae ejus virtutem concutere valebant. Quovis tempore, quibusvis sub circumstantiis et miseriis quas Deus ei immisit, comparuit tanquam exemplar virtutis, quae modo exercenda erat, tanquam exemplar extraordinarium sanctitatis. Nec ipsi ejus adversarii quidquam ejus sanctitati contrarium proferre poterant. »

§ 4.
Exemplar virtutum et sanctitatis comparuit.

IX. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 419. *ter. respondit:* « Facile videre poteras Ven. Servum Dei omnes virtutes in gradu heroico exercuisse. Dicere volo, ipsum virtutes in perfectiori gradu exercere non potuisse, nam in quibuscumque circumstantiis, ubique et constanter eas exercuit. Cum facilitate, imo cum gaudio eas exercuit, quamvis in conditionibus difficilibus positus fuisset. »

X. Testis (Emus Cardinalis de Rauscher) *fol.* 447. *ter.* « Quae vidi, seu audivi, extraordinariis eum virtutibus gratiaeque donis ornatum esse demonstrabant. »

I. Testis ex officio, *juxta* 24. *Interr. fol.* 676. *ter. respondit:* « Amor D. N. Jesu Christi, quo totum cor suum plenum erat, ex omnibus actionibus suis elucebat, quin ullum vestigium singularitatis aut affectationis videres. Ex ejus facie puritas animae, et illa beata pax, quae est fructus sancti gaudii ex intima unione cum Deo orti resplenduit. »

§ 5.
Amor Dei ex omnibus V. S. D. actionibus elucebat.

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 305. *ter. respondit:* » Saepissime fideles admonuit, ut peccata odio tenerent, et summo zelo commendavit, ut quascumque christianas virtutes exercerent. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 6.
Cavebat, ne venialiter quidem peccaret.

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 437. *respondit:* « Tota Servi Dei vita erat *charitas* erga Deum. Ex amore Dei omnia facere, laborare et pati non solum illius erat axioma, sed et revera stella, quam per totam vitam sequebatur. Lex Dei in medio cordis ejus. Summa cum sollicitudine et vigilantia cavebat, ut ne venialiter quidem Dei et S. Ecclesiae violaret praecepta. »

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 420. *respondit:* « Tamquam homo Deum et proximum ex toto corde diligens Pater Hofbauer Vindobonae ab omnibus eum noscentibus habitus est. »

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 204. *ter. respondit:* « Veritas est, R. Patrem Hofbauer amasse Deum super omnia, hancque charitatem probasse observando magnum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, sicut et adimplendo Dei et S. Ecclesiae praecepta, continue peccatum quodlibet, imo etiam ejus umbram fugiendo. »

XXIV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 500. *ter. respondit:* « Charitas erga Deum et proximum viva prodibat in toto, quo se gerebat modo; omnia ejus cogitata, verba et opera ad Dei et Ecclesiae gloriam augendam semper tendebant. Non solum a gravibus peccatis erat liber, sed nec infirmitates humanae quas vocant, in eo erant deprehendendae. Magnus erat ejus zelus convertendi peccatores, et percellentes saepe voces, quibus, ut peccati magnitudinem declararet, in pulpito est usus. »

XXVI. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 539. *respondit:* « Ad hoc interrogatorium aliud deponere nequeo, nisi me numquam aliquid peccaminosum, sed perfecta tantum, (viro) sancto digna in Patre Hofbauer observasse. »

Conferatur Num. 7. De virtutibus in genere. »

ARTICULUS II.

Voluntas Ven. S. D. semper divinae voluntati erat conformis.

(Ex Processu Apostolico)

§ 7.
In mediis tribulationibus perfecta pace gaudebat.

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 172. *respondit:* « Omnes ejusdem plenam quietem et pacem cordis nunquam perturbatam laudabant; quod fieri non potuisset, nisi ejus voluntas plene cum voluntate Dei concordasset. Cumque continue multa pateretur, tum propter corporis infirmitates tum propter persecutiones, et communes tribulationes Ecclesiae,

quibus compatiebatur, haec ejus harmonia cum voluntate Dei tamquam heroica charitas consideranda est. »

III. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 242. *respondit:* « (V. S. D.) omnes virtutes in cunctis etiam prorsus contrariis circumstantiis cum hilaritate semper sibi aequali, et nulla re turbata, et cum perseverantia adeo firma exercuit, ut crederes, eas fuisse illi ingenitas. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 393. *ter. respondit:* « Saepe mihi Ven. Servus Dei dicebat: « Deum amare tantum bonum est, ut verbis dici non possit. Amor Dei sit causa omnium tuarum actionum, sacra voluntas Dei tua lex, honor et beneplacitum Dei finis tibi propositus esto. In tentationibus ne perdas patientiam, hilaris esto, Dei voluntati totam te committe. Noli murmurare contra Deum, etsi interne et externe te omnino derelictam vides. Clama: — Jesu esto mihi Salvator, et propter nomen sanctum tuum salvam me fac! Servi Deo semper ex puro amore, nunquam propter tuam utilitatem. Si voluntatem tuam plene cum voluntate Dei unitam habes, magis Deo places, quam jejunio aliisque corporis austeritatibus. Ora Sanctum Angelum custodem, ut charitatem Dei te doceat. Quomodo in veritate dicere potes, te Deum ex toto corde amare, si non vis tribulationes, contemptum et persecutiones tibi contingere? — Credo, illum, qui alios hoc vel simili modo hortatur, tenero et sincero amore Dei esse impletum. Moniali senescenti et infirmae haec recitavit precando verba: « Jesu mi, vivere volo, quamdiu vis; pati volo, quomodo vis, mori volo, quando vis. »

§ 8. *Quod egregie docuit ipse servavit.*

§ 9. *Varia Monita V. S. D.*

Et *juxta* 57. *art. fol.* 440. *ter. respondit:* « Certum est, V. S. D. semper institisse, ut poenitentes propriam voluntatem ad voluntatem Dei plene conformarent, et si de aliquo dici potest, ipsum, quod docuit, fecisse, certe id de Ven. Servo Dei dicendum est. Sic me monuit: In doloribus cave, ne sis impatiens, sed tranquillum serva animum, et cum gaudio voluntati Dei te submitte. Quoties ante crucifixum pertrausis, dic reverenter: Pater, non mea, sed tua fiat voluntas in me dum vivo et dum morior. Cum tam diu (per quinque annos) expectare deberem, usquedum ad emittenda vota admitterer, quadam die de hoc tristis fui. Hoc duae sorores me praesente Ven.. Servo Dei dixerunt, qui mihi dixit: Haec tristitia est fumus ex inferno ascendens et cor tuum comprimens. Cumque istae sorores dicerent, nimium durare novitiatum meum, replicavit: « Vita nostra continuus novitiatus est, tunc tantum cessaturus, cum ad communionem Sanctorum in coelo pervenerimus. » Nihil facias, sic aliquando mihi dixit, quod est contra ordinem et usum domus, — et iterum: Ambula caute et semper in obedientia, nec credas esse aliquid lumen supernum, quod tantum ab inclinationibus sensualibus et a propria voluntate originem trahit. Exercitium humilitatis, abnegationis tui ipsius et mortificationis tuum continuum studium sit. Esto grata etiam

erga illos qui te persequuntur et cogita, illos magnam tibi utilitatem creare. »

Et *juxta* 60. *art. fol.* 441. *ter.*: « Die quarta Martii anno 1820. postremam sacramentalem confessionem coram Ven. Servo Dei peregi, et ea, quam tunc mihi dedit, instructio semper adhuc viva haeret in corde meo: « Charitatem, inquit, habe omnino magnanimam, nulla adversitate vincendam; activam habe charitatem, charitas nunquam est otiosa; charitatem patientem, charitas enim omnia suffert; charitatem dolorosam, charitas enim usque ad ultimum halitum debet pati. » Deinde me commonuit, quantum amaret, et quantum sufferret Jesus in SS. Sacramento, et quanta charitate nos sustineret SS. Cor Jesu. Deinde: « Curre, inquit, curre, dilecta Dei, in stadio Domini; recordare non eum coronari, qui bene incipit, sed qui bene consummavit. Noli esse parca erga Deum, nam qui parce seminat, parce et metet. »

§ 10. *Alia monita, testi data, cum ultima vice ante obitum V. S. D. eidem confiteretur.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 357. *ter.* « Ven. S. D. inter dolores et gaudia semper cum Deo unitus erat, et inturbatam servabat animi sui quietem, ita ut ex ejus ore nullam unquam querelam sentires. »

§ 11. *Ex ejus ore nulla unquam audiebatur querela.*

I. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 689 *respondit*: « Aliud effatum V. Servus Dei frequenter in ore habuit, quod egregie monstrat, quantum ipsius voluntas divinae voluntati conformis fuerit. « Quod vult Deus, quomodo vult Deus, quia vult Deus, et quamdiu vult Deus. »

§ 12. *Pulchrum effatum Ven. S. D.*

II. Testis ex officio *juxta* 38. *Interr. fol.* 766. *ter. respondit*: « Infirmitatis angores, et graves quos passus est dolores cum patientia tulit, totus voluntati Dei deditus. Quod Deus vult, quando Deus vult, haec erant orantis suspiria. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 13. *Amabilem vultus hilaritatem praeseferebat.*

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 255. *ter. respondit*: « Ex ejus ore saepe haec audita sunt verba: « *Quod vult Deus, quando et quomodo vult*; » quod axioma etiam monialibus iustillare satagebat. »

XXX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 613. *ter.* « Recordari nequeo, Servum Dei me unquam vidisse nisi amabilem in vultu hilaritatem praeseferentem, eximio certe argumento, ejus voluntatem cum divina semper convenisse. »

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 294. *ter. respondit*: « De charitate Dei loquens Pater Hofbauer adeo erat animo succensus, ut oculos paulisper in coelum levatos teneret, et Seraphinum ardentem aequaret. Iste ejus in Deum amor robur illi praestabat, ut in maximis etiam calumniis et in quacumque tribulatione tranquillus maneret et hilaris: « *Non sicut ego volo*, repetebat semper, *sed sicut vult Deus* ». Tristis solummodo erat, et tum etiam gravi moerore affectus, cum offendi Deum audiret. »

§ 14. *Tantummodo de offensis Dei moerore affectus est.*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 420. « Ejus erga Deum amor

hilaritate etiam sese prodebat, quae eum ubique insignivit. Ego quotiescumque eum invisi, hilarem ipsum vidi, ita ut ea hilaritas me penitus ad eum traheret. Si tristis illi obtigit hora, cantavit: « Nunc o coeli, audite precem meam etc. » sive aliud canticum suave, et quotidiana ejus sententia haec erat: « *Omnia in honorem Dei mei, ad Dei gloriam et laudem augendam.* »

ARTICULUS III.

In omnibus solum Dei honorem quaerebat.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 172. *ter. respondit*: « Sed quae fuit causa movens omnium suarum actionum, studiorum et laborum? Nullla alia, nisi charitas Dei, quam hominibus annuntiare et infundere voluit. Omnia ad majorem Dei mei honorem, ad augendam ejus laudem et gloriam, haec erat ejus sententia, cum mane evigilaret, quam saepius per diem repetivit, et omnibus fidelibus instillare studuit. »

§ 15. *Omnia ad majorem Dei honorem referebat.*

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 753. *respondit*: « In omnibus actionibus suis honorem Dei et salutem animarum quaesivit. Omnia in honorem Dei mei, hoc erat ejus solitum proverbium. Cantare solebat:

» Omnia in honorem Dei mei,
» Ad Dei laudem et gloriam augendam.
» In labore et requie,
» Deo meo soli dabo
» Corpus et animam, totam vitam meam.
» Da, o Jesu, ad hoc gratiam.
» Benedic nobis.
» Ad adjuvandum nos festina.
» O Maria, assiste nobis,
» Ut Deus nobis sit misericors.
» Introitum et exitum meum
» Tibi Domine commendo:
» Suscipe Domine prout desidero
» Omnes gressus meos ad tuam gloriam.

Concordat Testis I. ex officio *juxta* 51. *Interr. fol.* 689.

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 394. *ter. respondit*: « Sorores conversae ligna per scalas portantes multum defatigabantur, ipsas consolabatur, dicendo: « O Jesu mi, sinas me portare pusillam hanc crucem tecum. » Argumentum divini amoris sunt etiam preces, quas nobis commendavit: « Amo Te super omnia. Veni, Jesu, in cor meum, imple illud gratia tua; accendatur igne tui amoris, ut semper ardeat, et nunquam deficiat. »

§ 16. *Preces amore plenas dicendas docuit.*

Has preces nobis commendavit in exercitium Communionis spiritualis. Alia oratio ex ejus ore haec erat: « Omnes sancti et electi Dei, orate pro nobis, et obtinete nobis gratiam, ut in gratia Dei vivamus, et moriamur; sitque extremus spiritus actus perfectae charitatis Dei. Da Deus, ut hac et quacumque hora corde et ore in Te credam, firmiter in Te sperem, ut super omnia Te diligam. O Deus, in Te credo, in Te spero, ex toto corde Te diligo. Poenitet me peccasse, amplius nolo peccare, cum tua gratia, Domine cum tua gratia. » Amorem Dei quo ardebat Ven. Servus Dei, praecipue noscere licet ex sic dicta recta intentione, qua omnia opera sanctificantur, et sublimantur. Docuit me, ut evigilando statim dicerem: « Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. » Deinde rectam intentionem ita facere edocta fui. « Omnia in honorem Dei mei; ad ejus laudem et gloriam augendam. Tam in labore, quam in requie, Deo meo cupio dare totum corpus ac animam et totam vitam meam. Praesta o Jesu, ad hoc gratiam tuam. Largire nobis benedictionem tuam, ad adjuvandum nos festina. Assiste nobis, Maria, ut Deus propitius sit nobis. Introitum et exitum meum Tibi Deus commendo, et suscipe, prout precor, omnes gressus meos ad gloriam tuam augendam. » Nobis injunxit, ut bonam intentionem saepius per diem innovaremus hacce precatiuncula: « Renovo, Deus mi, intentionem meam hoc mane factam, omnia ex amore Tui faciendi, vel omittendi ad majorem gloriam et honorem tuum, in honorem Immaculatae Matris Dei Mariae, Sancti Angeli Custodis et S. Aloysii, et omnium Sanctorum. »

Alia brevior formula, quam pariter Ven. Servus Dei nos docuit, haec erat: « Cum Jesu in corde meo, et cum Maria in mente mea, cum Jesu, Maria et Joseph vitam meam transigo. »

§ 17. *Preces horarias quoque docuit.*

Impense nobis Ven. Servus Dei sequentes preces horarias commendavit, quae hodie adhuc in conventu nostro exsolvuntur: « Concede nobis Deus felicem horam ad vitam et ad mortem, per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen. Ave Maria. »

« Laudetur et glorificetur hora, in qua Salvator meus homo factus est, in qua natus, in qua Sanctissimum Eucharistiae mysterium instituit, et pro nobis passus, mortuus et sepultus est. Memento mei Domine nunc et in hora mortis meae. Amen. Deus meus, in Te credo, in Te spero, Te diligo ex toto corde meo. Poenitet me, quod ad iram te provocaverim et offenderim. Offero Sanguinem tuum pro culpa mea. In meritis tuis infinitis, bonum infinitum, totam meam spem repono. » Hasce preces horarias ita nobis injunxit, ut si eas omisimus, de hoc nos accusaremus in confessione. »

Et *fol.* 404. *ter.*: « Ab infantia Ven. Servus Dei hoc unum sibi proposuerat, ut Deum coleret, eique serviret, et hunc finem per totam vitam prosecutus est. Hoc cuilibet persuasum erat, qui sensus et actiones Ven. Servi Dei noverat. »

» Intentus quoque erat, ut aliis, qui suae directioni se dederant, eosdem sensus instillaret. Memoriae meae semper obversantur, quae mihi conventum ingredienti hunc in finem Ven. Servus Dei inculcavit: « Non tu elegisti Deum, sed Deus te elegit. Abhinc haec tibi regula sit: Propter Deum vivere; propter Deum laborare; propter Deum pati, et ex amore Dei mori. »

§ 18. *Voluit, ut omnia propter Deum solum fierent.*

Juxta idem Interr. fol. 112. « In omnibus, quae Ven. Servus Dei operatus est, non suam sed Dei gloriam quaerebat. Omnia in honorem Dei mei, ad ejus laudem et gloriam augendam, haec erant verba, quae quasi continue ore suo ruminabat, et tamquam normam actionum certe etiam in corde gerebat. De se ipso et de rebus ad eum spectantibus non loquebatur, nisi ut Deo honor tribueretur. « Ego enim (dixit) nihil facere possum; quod bonum facio, Deus, cujus malum instrumentum sum, per me facit. » Cupiebat, sicut dixit, ut omnes eum adjuvarent gratias agendo pro beneficiis a Deo acceptis, atque ex iis, quae in vita sua expertus fuerat, alii aedificentur. »

Et *juxta* 60. *art. fol.* 142. *respondit*: « In omnibus tuis actionibus (sic etiam me monuit) cogita illam esse ultimam vitae tuae; amor Dei in omnibus, quae facis vel omittis, sit causa movens, voluntas Dei lex tua, honor Dei finis tuus; omnia fac, et omnia sustine ex amore Dei, juxta voluntatem Dei, in Dei honorem. »

« Talia monita venerunt ex ore Ven. Servi Dei et pulchre manifestarunt, quo divino amore ejus cor impletum fuerit. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 19. *Deum diligens operam et omne vitae tempus pro eo impendit.*

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 102. *ter. respondit*: « Charitate erga Deum in gradu heroico Servi Dei cor erat succensum; pro sola enim Dei gloria vitam impendit et labores; regnum Dei in terra propagandi, eique lucrandi, quotquot poterat, animas unicum illi studium. Quod quidem mirabili quodam dulci et placido peregit modo, nunquam recedente amabili quadam ex facie serenitate, Servum Dei condecorante. »

Et *ad Art.* 100. *fol.* 122. « Scio, unam ex praedilectis Servi Dei sententiis fuisse istam: « Omnia in honorem Dei mei. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 145. *respondit*: « Charitatem erga Deum quod attinet, aliud testari non possum, nisi me de ea per duorum annorum cum dimidio spatium penitus fuisse convictum. Arduum mihi esset, particulares modos in Interrogatoriis propositis adductos exemplis probare, cum in ejus vita et modo agendi nullum indicare valerem momentum expers hujus erga Deum charitatis uti causae moventis. Sic exempli gratia testis saepe fui, cum rigidissima hyeme non obstante, hora quarta matutina surgeret, meatum in ecclesiam Mechitaristarum in Suburbio ad sic dictum « Platzl » sitam, recitans semper tali occasio-

§ 20. *Propter eximiam charitatem fanaticus ab incredulis putabatur.*

ne versus antiquos: « Omnia in honorem Dei mei, ad majorem ejus laudem et gloriam. » Piis his precibus animatus haud levia manifestaque superabat corporalia obstacula. De charitate Dei loquens adeo erat inflammatus, ut increduli fanaticum illum reputare inclinarent. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 586. *respondit:* « Canticum ejus praedilectum, quod tempore praesertim adversitatum modulari solitus erat, his incipiebat verbis: « Omnia in honorem Dei mei. » Saepe etiam concionum materiam assumpsit explicandam petitionem orationis dominicae: « Sanctificetur nomen tuum. »

Et *juxta idem Interr. Proc. fol.* 593. « Tam in concionibus suis, quam in colloquiis hanc veritatem saepe inculcabat, Deum summum esse Dominum, et infinitam Majestatem, qui hominem pro se creavit, cui homo scipsum et omnia sua debet, imo quamlibet respirationem novam esse creationem, unde et semper illud in mente habuit: « *Omnia ad honorem Dei mei.* »

Conferatur supra Num. 8. art. II. et Num. 9. art. I.

ARTICULUS IV.

Divinum amorem, quo V. S. D. cor aestuabat, piis suspiriis, orationibus, colloquiis exhalabat.

(Ex Processu Apostolico)

§ 21. *Orando, meditando semper cum Deo erat unitus.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 172. *ter. respondit:* « In ipso etiam verbum scripturae: Ubi thesaurus tuus est, ibi et cor tuum erit, adimpletum est. Deus enim continuum objectum cogitationum et desideriorum suorum erat, et nisi officiis charitatis proximi occuparetur, semper orationi et meditationi vacabat. Integras horas in adoratione SS. Sacramenti consumebat, et etiam in medio tumultu hominum in viis valde frequentatis Vindobonae Rosarium devote recitabat. Cum eum aliquando per vias Vindobonae ad quemdam infirmum comitarer, taciturnus incedebat. Tandem me interrogavit: Scisne quid nunc facio? Rosarium recito. Id quod me invitavit ad idem faciendum. Libenter vero et comiter orationem interrupit, si quis eum visitavit, et alloqui cupivit. »

§ 22. *Flagrabat desiderio, ut Deus ab omnibus diligeretur.*

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 310. *respondit:* « Charitatem Dei Ven. Servus Dei in gradu heroico possidebat. Divina charitate perfusus saepe in verba prorupit: « Utinam omnes homines charitatem Dei noscerent, et utinam Deus ab omnibus hominibus diligeretur. »

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 352. *respondit:* « Quoties amor cordis sui in eam precem jaculatoriam prorupit: « Jesu, amator animarum, miserere nobis; Jesu, fili David, miserere nobis. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 394. *ter. respondit:* « Flam-

mam divini amoris, quam Ven. Servus Dei in corde suo servabat, precibus etiam jaculatoriis manifestavit. Haud raro moniales cubiculum ad excipiendas confessiones destinatum intrantes haec verba dicentem eum audierunt: « O Jesu, misericordiam! » iisque abeuntibus in ea prorupit verba: « O Jesu, animarum sponse, miserere nobis. »

(Ex Processu Ordinario)

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 204. *ter. respondit:* « Inde (videlicet ex amore Dei super omnia) factum est, ut libenter et continue cum Deo conversaretur, tum vocaliter tum mentaliter orando, pie suspirando, preces jaculatorias fundendo, mentem ad Deum elevando, aliaque pia exercitia peragendo. Nec nimium dico, si hunc Servum Dei virum orationis appello, oratio enim cordi ejus nutrimentum erat et solatium. Sicut autem libenter loquebatur cum Deo, ita etiam de Deo cum aliis conversatus est, ita ut teneram ejus charitatem ex moventibus ejus verbis, imo ex solo vultu percipere posses. »

§ 23. *Fuit vir orationis.*

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 232. *respondit*: « De ardenti ejus in Deum amore hoc solum notabo, eum in toto ejus agendi modo et in omnibus apparuisse operibus. Deum semper habebat praesentem; sine intermissione ardentissima ex ejus corde ascendebant suspiria. Nunc alta voce exclamabat: *Domine mi Jesu!* nunc praedilectum amoris canticum modulabatur, quod ante mortem adhuc repetebat: « *Omnia in honorem Dei mei.* » Nec in affectibus solis, sed et in operibus et quacumque miseria, quibuscumque laboribus et persecutionibus perferendis, charitatem suam erga Deum comprobabat. »

§ 24. *Frequentibus suspiriis, precibus jaculatoriis et canticis, charitatis ardorem exhalabat.*

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 586. *respondit:* « In adunationibus vespertinis, ad quas ejus discipuli ordinarie conveniebant, nostrum complures observabant, Patrem Hofbauer, cum lectio ex libro pio rem tractaret ad Dei bonitatem, misericordiam, sanctitatem vel majestatem pertinentem, clausisse oculos dormientis instar, sed vultum insolito modo rutilasse, et quandoque etiam labiorum motionem se ostendisse, quo facto nobis plerumque indicavit, finitam esse conversationem vespertinam, nosque recedentes quandoque inter nos vicissim verba fecimus, Patrem Hofbauer, prout putabamus, peculiari devotionis affectu motum fuisse. »

§ 25. *De Dei bonitate loquens igne amoris accensus est.*

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 293. *respondit*: « De charitate Dei tum in concionibus tum in aliis collocutionibus tanto dixit cum ardore, ut corda succenderet; de Dei charitate loqui nunquam saturari potuit eamque auditoribus et poenitentibus suis summopere commendabat. »

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 437. *respondit*: « Fidele exercitium, divinam praesentiam memoria retinendi, altera ipsi quasi natura factum est; quovis momento utebatur, ut

animum tenero affectu attolleret ad Deum. Totus ejus habitus externus et tenor aperte monstrabat, se semper et ubique coram Deo ambulare in humilitate, simplicitate et veritate, eaque ipsa jugis animi cum Deo unio omnibus ejus verbis et factis tantam indidit auctoritatem in omnes ipsi appropinquantes. »

ARTICULUS V.

Ut divinum amorem in aliis accenderet, vehementer studuit.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 31. *Interr. Proc. fol.* 173. *respondit* : « Ven. Servus Dei maxime ex insatiabili animarum zelo cognoscitur. Si penes ipsum fuisset, totum mundum convertisset. Ubicumque potuit ad hunc finem auxilium tulit, vires tamen non sufficiebant, ejusque Congregatio adhuc valde exigua erat. Omnes homines ad cognitionem charitatis Dei ducere quaerebat, quia charitas Dei homines jam in terra, magis vero in paradiso beatos facit. Felicem vero se reputabat, cum peccatorem ad poenitentiam, pigrum et tepidum ad majorem zelum, haereticum ad veram fidem reducere poterat. Si de gloria Dei, et salute animarum agebatur, sibi ipsi parcere nesciebat. »

§ 26. *Omnes ad agnitionem Dei ducere quaerebat.*

II. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 222. *respondit* : « Ex propria experientia testari possum, Ven. Servum Dei pro honore Dei et salute animarum tum in pulpito, tum in sacro tribunali zelo infatigabili laborasse. »

III. Testis *juxta* 30. *Interr. Proc. fol.* 236. *respondit* : « Zelo pro honore Dei et salute animarum ita eminebat, ut de eo dici possit : « Zelus domus Dei comedit eum. »

§ 27. *Zelus domus Dei comedit eum.*

VII. Testis *juxta* 30. *Interr. fol.* 305. *respondit* : « Cum summo studio semper in id incubuit, ut alios ad perfectionem induceret, bono exemplo praeiret, et vivo animarum zelo plenus ubique honorem Dei augmentare studeret. »

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 352. *respondit* : « Ut hanc charitatem omnium cordibus infunderet, Ven. Servus Dei nullam non operam dedit, tum in pulpito, tum in sacro tribunali, tum in colloquiis. Nos Moniales canticum sposalitium pulcherrimum cantare docuit. Instituit ut tales devotiones haberentur et tales cantus canerentur, quibus corda fidelium ardentissima flamma charitatis accenderentur. Finem facere non possem, si omnes inventiones amoris enumerare vellem quibus Ven. Servus Dei usus est, ut charitatem Dei in suo corde ardentem in omnium hominum succenderet cordibus, aut jam ardentem ad summum ardoris gradum inflammaret. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. Proc. fol.* 396. *ter.* « Quantum charitas Dei in corde Ven. Servi Dei ardebat, et quantum

eam in cordibus aliorum vivam servare quaerebat, sequens monstrat oratio, quae pactum cum Deo pro hebdomada factum continet. (Ven. Servus Dei hujus orationis auctor esse dicitur; certum est, ipsum illam summopere commendasse) ».

Mi Creator Domine et Deus, desiderium meum Tibi non est incognitum, nec gemitus mei Tibi sunt absconditi. Cum autem hujus vitae necessitates non permittant, ut cogitationes meae ad Te semper possint esse directae, hoc tecum ineo pactum, desiderans, ut hoc per totam valeat hebdomadam. Quoties oculos ad coelum levabo, toties glorificare et benedicere intendo perfectiones tuas divinas, omnipotentiam, infinitam sapientiam, bonitatem et justitiam tuam. Quoties oculos claudam et aperiam, toties laudabo omnia facta et opera ab unigenito Filio tuo, ab omnibus Sanctis et justis ad gloriam tuam unquam peracta et in futurum peragenda, quorum omnium particeps esse desidero. Quoties spirabo, toties offero Tibi vitam, passionem et sanguinem Redemptoris nostri Jesu Christi et omnium Sanctorum merita ad aeternam tuam gloriam, totius mundi salutem, omnium peccatorum satisfactionem. Quoties cor in corpore meo pulsabit, toties maledico et detestor omnia et singula tum mea, tum aliorum hominum peccata contra Sanctissimi tui Nominis gloriam ab initio mundi commissa; quam, ut reparare possim sanguine meo, enixe desidero. Quoties demum manum movebo vel pedem, toties sanctissimae voluntati tuae totum me subjicere intendo, hoc unum desiderans, ut juxta eam omnia fiant. Quintuplex hoc pactum ne unquam violetur, confirmo et signo quinque Jesu Christi vulneribus, et volo, ut semper et tunc etiam valeat, cum ejusdem non meminero. Amen. »

§ 28. *Pulcherrimum pactum cum Deo docuit et exercuit.*

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 753. *ter.* « Ven. S. D. usque ad finem vitae inter maxima incommoda pro salute proximorum laborare non cessavit, quia divinum Redemptorem amavit, qui pro hominibus animam suam posuerat. Juxta exemplum Apostolorum omnibus omnia esse voluit. »

§ 29. *Pro honore Dei et salute animarum laborare non cessavit.*

(Ex Processu Ordinario.)

V. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 211. *respondit*: « Frequens populus accurrit in parvam et nitidam Ursulinarum ecclesiam, in qua Pater Hofbauer laborabat tamquam confessarius, omnesque summopere aedificabat flagrantissima charitate in Sacri celebratione manifestata. Ibi conspiciebatur in sancta oratione penitus submersus, ibi sine intermissione orans et flagrans sanctissimo zelo homines ad agnitionem et amorem Dei inducendi, et animos avellendi ab indifferentismo religioso; ibi vere apparebat homo secundum cor Dei. »

§ 30. *Celebrando Missam etc. ardentem charitatem manifestabat.*

Et *juxta* 22. *Interr. fol.* 205. *ter. respondit:* « Divinas perfectiones omnes Servus Dei magnopere honorare et praedi-

care solebat, sed peculiarem eamque tenerrimam laudem Dei bonitati, charitati et misericordiae tribuere, et alios etiam ad eas redamandas inflammare mihi videbatur. Die quodam Servus Dei studiosum juvenem invisens, et de vita ascetica loquens, disertis verbis hanc praedicabat virtutem. Applicando ad psalmum 135. — *Confitemini Domino, quoniam bonus*, dixit: « *Ecce domine mi, qua mirabili elegantia Spiritus Sanctus per prophetam David id expressit, quod ego tibi dixi.* »

§ 31. *De bonitate Dei loqui dulce ille fuit.*

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 232. *respondit:* « Ardens ejus animas lucrandi desiderium aliam non habebat radicem, ac amorem Dei, ideoque omnes pari amplexus est charitate, omnes Sanguine Jesu Christi redemptas considerans, et suum etiam profundere pro eis paratus. Quis enumerare posset, quas aerumnas, quas persecutiones et contumelias pro boni Jesu sui amore in fortitudine et silentio pertulerit! Ejus pro gloria Dei zelus ignorabat terminos. »

§ 32. *Ex amore filiali obedientia divinis praeceptis oriebatur.*

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 586. *respondit:* « Charitas erga Deum in Servo Dei eluxit non solum eo, quod continue erat intentus, ut ipse Dei mandata perfecte et fideliter observaret, sed etiam in eo ardore, quo ad majorem Dei gloriam promovendam incumbebat in id, ut alios induceret ad honorandum Dominum Deum tanquam summum legislatorem et benefactorem, adimplendo ejus mandata. Saepe in adhortationibus suis et instructionibus hoc Sacrae Scripturae adhibebat effatum: « Ego sum Deus aemulator, nec deos alienos patior coram me » prout etiam verbum Jesu Christi; « Ignem veni mittere in terram, et quid aliud volo, nisi ut accendatur? »

XXI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 474. *respondit:* « Ejus *charitas* erit profusa, quam testatus est filiali amore erga Deiparam et ardenti studio, ut Deus et ab aliis coleretur, et serena animi tranquillitate inter omnes adversitates et dolores. »

§ 33. *Homines a peccato retrahere sategit et ad Deum diligendum permovere.*

XV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 376. « Quantopere Servus Dei totam impenderet vitam, ut homines quantum poterat a peccato retraheret, lapsosque Deo reconciliaret, indefessa ejus industria evincit tum in pulpito, tum in sacro tribunali. Nec minus ex eadem Servi Dei industria patet, cum non solum ardenti in Deum charitate succensum fuisse, sed et pro viribus id efficere conatum, ut Deus ab omnibus agnosceretur et diligeretur, propter quod libentissime loquebatur de charitate Dei erga homines, et tum in concionibus, tum in aliis allocutionibus, Dei misericordiam et bonitatem extollebat, ut certe omnes ad redamandum induceret. »

XXVI. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 539. « Ad hoc interrogatorium aliud deponere nequeo, nisi me nunquam aliquid peccaminosum, sed perfecta tantum, (viro) sancto digna in Patre Hofbauer observasse. »

Et *juxta* 22. *Interr. fol.* 543. « Servi Dei charitatem erga Deum

quod attinet, memini eum videre praesertim in sacris functionibus tanquam Seraphinum charitate in Deum flagrantem. Gravissimis etiam tentationibus oppressum querelam movere eum nunquam audiebas; pax coelestis diffusa erat super ejus vultu, nec unquam in eo aliquam deprehendi mutationem, unionis ejus cum Deo in charitate certum argumentum. Ardentis ejus in Deum charitatis signum etiam apostolicus erat zelus; bene intellexisse mihi ille videtur verba prophetae: *Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam*; quare omnes applicabat vires, ut impietatis tunc temporis dominantis arceret progressum, et quantum poterat, tum propria, tum subditorum suorum operà fidem et amorem Dei in cordibus hominum extraordinario etiam modo conservaret. »

§ 34. *De temporum acerbitate non querebatur, sed impietati grassanti nitebatur pro viribus obsistere.*

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 437. *respondit*: « Studium et laborem jugiter in id impendit, ut homines moneret et tueretur, ne in peccata laberentur, lapsosque Deo reconciliaret. »

ARTICULUS VI.

Ardenti amore SS. Eucharistiam et divinae Redemptionis mysteria venerabatur.

(Ex Processu Apostolico.)

VIII. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 340. *ter.* « At vero non tantum concionibus unctione plenis et spiritu divino inflammatis, sed etiam tota vita sua sacerdotali Ven. Servus Dei plane mirabiliter contulit, ut res divina in nostra ecclesia refloresceret. Comparebat in ecclesia cum tanta dignitate ad devotionem et reverentiam movens, ut, si per domum Dei incedebat, quasi motu spontaneo surgerent, et admiratione perculsi oculos in eum verterent. Quodsi vestibus sacerdotalibus indutus Missam celebraturus Altare ascenderet, tamquam verus Vicarius Dei, majestate et dignitate plenus comparebat: fides et devotio ex ejus facie resplendebant; imo propius eum conspicienti Seraph amore ardens coram Deo assistens in consideratione infinitae perfectionis et amabilitatis Dei totus immersus videbatur: nec poterat oculus fidelis Patrem Hofbauer sacram Missam celebrantem videre, quin cor ad devotionem moveretur et menti alta et salutaris idea de sancto Missae sacrificio imprimeretur. Sed hic advertendum, Ven. Servum Dei in sacris functionibus certe nihil fictum et affectatum ostentasse, imo quaecumque in eo videbantur, ex anima Deo plena et pura profluebant. Tali commoventi devotione quotidie sacram Missam celebrabat. »

§ 35. *Ad Altare seraphico amore ardens comparuit.*

Fol. 342. *ter.* « Sollicitudine, quam pro ornatu ecclesiae, pro ornamento altarium, pro sacro cantu et musica in choro etc. habuit, multos homines permovit, ut nostram ecclesiam de-

§ 36. *Pro decore ecclesiae augendo plurimum adlaborabat.*

vote frequentarent; uno verbo hac etiam ratione ad augendam gloriam Dei et aedificandos fideles, qui in nostram ecclesiam venerunt, multum fecit. »

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 346. *respondit:* « Documentum fidei Ven. Servi Dei est ejus ardens amor SS. Sacramenti. Ad instar Seraphini ardebat ejus facies et resplendebat jubilo, si Dominum in SS. Sacramento manibus tenebat. Hanc fidem eminenti modo manifestavit introducendo in nostra ecclesia solemnem processionem SS. Sacramenti festo Corporis Domini. Portavit enim SS. Sacrameutum de altari ad altare, omnesque caeremonias cum visibili gaudio et tenerrimis affectibus peragebat. In fine « Te Deum » intonavit, et fideles magno numero praesentes alacri animo cantum prosecuti sunt; hancque solemnitatem quotidie per totam octavam festi celebravit. Valde illi cordi erat, ut in fidelibus magnam erga SS. Sacramentum devotionem diversis devotionibus et sacris canticis excitaret. »

§ 37. *Festivitatem Corporis Christi solemnissime celebrabat.*

Juxta id. Interr. fol. 351. *ter.* « Qui sibi de charitate Dei Ven. Servi Dei plene persuadere vellet, id facile poterat, videndo eum ad altare sacrificium Missae offerentem: tunc enim tanquam unus ex Seraphim totus inflammatus fuit; facies prae gaudio replendebat, cum illum manibus teneret et sumeret, qui unicus amor cordis sui fuit. Multae Religiosae cum valde observabant, quia magna nobis aedificationi fuit; ego vero inter illas curiosissima fui. Aliquando, cum tempus liberum mihi datum esset, tamdiu in choro mansi, usque dum Ven. Servus Dei per Ecclesiam domum remearet. In angulo fenestrae, quae ex choro in ecclesiam prospicit, abdita mansi, et ita eum ex sacristia venientem, et ad gradus altaris majoris genuflexum vidi, et observavi eum cum ineffabili reverentia et amore ex eo lucente in Deum in tabernaculo absconditum ferventissimum amoris osculum jacientem. Statim ad sorores cucurri, et narravi, quae vidi; omnes vero ex toto corde de eo gavisae sunt, et dixerunt: « Certe illa sententia — Ubi thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit, — omnino quadrat in nostrum pium patrem spiritualem. »

§ 38. *Orando ante SS. Sacramentum omnes summopere aedificabat.*

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 384. *ter. respondit*: « Vivam fidem maxime monstravit ardentissimo amore erga Jesum in divino altaris Sacramento praesentem. Quoties ante tabernaculum praeteribat, aliquantulum subsistebat, et genuflexus divinum Redemptorem adorabat. In media concione, aut saltem in fine, haud raro exclamavit: « O admirabile divinum Sacramentum, o tremendum mysterium, coram quo angeli prostrati contremiscunt, Te adoramus. » Valde instabat, ut nos qualibet hora Dominum in divino Sacramento altaris adoraremus, et benediceremus, dicendo « Laudetur et superexaltetur SS. Sacramentum altaris a me et omni creatura nunc et in aeternum. Amen. » Qui Ven. Servum Dei sacram Missam dicentem aut benedictionem cum

§ 39. *Concionando quoque de SSmo Sacramento adstantes inflammabat.*

SS. Sacramento dantem conspiciebat, ejus devotione penitus rapiebatur, et commovebatur. Ejus facies ita transfigurata comparebat, ut videres ipsum cum Deo suo conversari. Plures sorores, praesertim sacristiae curam habentes mihi narraverunt se saepe observasse, Ven. Servum Dei inter sacrificium Missae, et in sacrae communionis administratione lacrymas fundisse. »

Et *fol.* 381. *ter.* « Ven. S. D. quotidie missam dicebat: diebus dominicis et festivis semper post concionem. Ad Altare tanta devotione et ardore amoris perfusus comparebat, ut quilibet solo ejus aspectu aedificaretur, sacras functiones cum summa solemnitate celebrabat, et dici vix potest, quanto decore omnia praeparata fuerunt. Quae ad hoc necessaria erant, ipse asportabat, uti cereos, flores etc. Ea quoque, quorum nemo cogitationem habebat, diligentiam Ven. Servi Dei non fugiebant. Cum solemnitate plane extraordinaria festum Corporis Domini cum octava celebrabatur. »

§ 40. *Inter sacrificium Missae lacrymas fundebat.*

X. Testis (Emus Cardinalis de Rauscher), *fol.* 449. « Quod Deus accenderit in corde ejus ignem amoris in cunctis, quas peragebat, functionibus sacris praesertim autem, quum sacrificium novi foederis offerret, omnibus circumstantibus patebat. »

§ 41. *Amore inflammatus omnibus comparebat.*

XVII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 601. *respondit:* « Singulari devotione et modestia Ven. S. D. sacram Missam celebravit, ita ut solo ipsius aspectu summopere ad devotionem exitarer. Ven. Servus Dei gravissimis verbis cultum SS. Matris Dei et devotionem SS. Sacramenti, oblationem pretiosissimi Sanguinis et communionem spiritualem commendavit. »

I. Testis ex officio *juxta* 24. *Interr. fol.* 677. *respondit*: « Spiritus divinus particulare donum ad regendas animas ei dederat, sine intermissione lucrandis animabus operam dedit, et earum salutis avidus miserrimos peccatores etiam quaesivit, usque ad defatigationem laborando, et quieti nihil indulgendo. Summa beatitudo hoc illi erat, ut devotionem SS. Sacramenti altaris ubique terrarum diffuuderet, et in fidelium cordibus desiderium frequenter recipiendae S. Communionis excitaret: hunc in finem eos monuit, ut nullam non operam darent, quo digni haberentur, qui quotidie S. Communionem reciperent. Desiderio animatus, ut SS. altaris Sacramentum in toto orbe terrarum solemni cultu honoratum videret, hanc solemnem adorationem cum sacerdotibus Congregationis suae Varsaviae introduxit, ubi magnam oblivionem Jesu Christi et generaliter summum defectum devotionis invenerat. Quotidiana adoratio SS. Sacramenti quam Varsaviae in ecclesia S. Bennonis modo solemnissimo curavit faciendam, in populo hujus amplae civitatis brevi tempore jucundissimos fructus produxit. Magna multitudo hominum cujuscumque conditionis huic tam sublimi quam amoenae devotioni assistendo, corde commota et fortiter

§ 42. *Devotionem SS. Sacramenti pro viribus ubique diffundebat.*

§ 43 *Frequentiam Communionis promovebat.*

allecta est. Patres concionibus suis pretium ineffabile hujus devotionis explicabant. Confessiones hucusque rarae, exinde frequentes erant: et idem de frequenti et numeroso accessu ad S. Communionem dicendum est. Quotidie per annum ab hora sexta matutina usque ad meridiem tres missae solemnes coram exposito Sacramento celebrabantur: post quamvis Missam solemnem concio habebatur. Post meridiem primo catechismus explicabatur, deinde vesperae sequebantur solemnes coram exposito SSmo, tum concio et in fine benedictio. In ista ecclesia a Deo benedicta festum continuum vel potius missio perpetua celebrari videbatur. Populi multitudo, salutis avida, accurrebat, ut Dominum adoraret, et pietatis ac misericordiae divinae, quae hic manifestabatur, particeps fieret. Ecclesia semper plena erat populo, et sacra tribunalia a gente, quasi circumvallata. »

§ 44.
Post Missam gratias agendo in extasim raptus est.

Eadem fol. ter. « Deus ipsi particulares interiores cognitiones Poloniam respicientes dedisse videtur. Quodam die postquam Missam in capella infirmorum celebrasset, dum gratias ageret, quasi extra se raptus videbatur. Suspirabat, et lacrymae abundantes ab oculis decurrebant: nec unum verbum ab eo obtinere poteras. Elapso demum nonnullo tempore quasi ex profundo somno evigilans cum tono summi doloris exclamavit: « O infelix Polonia, quanta mala tibi imminent! quae crimina te subvertent: in sanguine natas. »

§ 45
Passionem Dominicam semper mente recolebat.

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 310. *ter. respondit*: « Passionem .D. N. Jesu Christi Ven. Servus Dei summopere venerabatur, et hanc devotionem fidelibus, quorum confessiones audiebat, impensissime commendabat. Scio etiam ex propria experientia, Ven. Servum Dei nunquam de Passione Jesu Christi loqui potuisse, quin in altos singultus prorumperet. »

§ 46.
Pias preces pro felici obitu dicendas docuit.

Rursus IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 393. *ter.* « Enixe Ven. Servus Dei nos monuit, ut saepe pro felici obitu preces funderemus. Hujusmodi preces sunt: « Jesu Christe, summum bonum, per sudorem et sanguinem tuum rogo, ut cum in agonia posita fuerim, ob dolorosam passionem tuam animae meae miserearis. « Alia oratio: » O Jesu, concede mihi unam tantummodo guttulam sanguinis ex sacris pedibus tuis manantis: Quam si in mortis meae hora gustandam mihi permiseris, anima mea salva erit, et ad te perveniet. »

Et *fol.* 396: « Laudetur et glorificetur hora in qua Salvator meus homo factus est, in qua natus, in qua SS. Eucharistiae mysterium instituit, et pro nobis passus, mortuus et sepultus est. Memento mei, Domine, nunc et in hora mortis meae. Amen. Deus meus, in Te credo, in Te spero, Te diligo ex toto corde meo. Poenitet me, quod ad iram te provocaverim et offenderim. Offero Sanguinem tuum pro culpa mea. In meritis tuis infinitis, bonum infinitum, totam meam spem repono. »

Juxta 37. *Interr. fol.* 427. *ter. respondit*: « Pagellam exhibeo cum titulo: Pia exercitia tempore sacri Adventus. Eam ex

propriis manibus Ven. Servi Dei accepi. Continet autem quae sequuntur. »

§ 17. *Item preces in honorem SS. Incarnationis.*

Primo. Saepius fidem mysterii Incarnationis filii Dei in te excita. — Secundo. Filium Dei qui pro nobis caro factus est, in SS. Sacramento altaris cum iis affectibus adora cum quibus eum SS. Virgo adoravit, postquam eum de Spiritu Sancto conceperat. Hoc praecipue facito in sanctae Missae sacrificio, cum sacerdos ad « Credo » genuflectit et dicit: « Et incarnatus est de Spiritu Sancto. — Tertio. Gratias age Deo Patri, quod Filium suum misit: gratias age Filio Dei, quod homo factus est, ut nos salvaret; gratias age Spiritui Sancto, cujus virtute Virgo Mater Dei facta est. — Quarto. Recita ad genua provolutus salutationem angelicam, quoties campanâ signum datur, tunc exercitia modo dicta renova. Summi Pontifices salutationem Angelicàm recitantibus indulgentias concesserunt: — Quinto. Fac quaedam opera humilitatis, ut humilitatem Filii Dei honores. — Sexto. Exercita quaedam opera mortificationis, saltem feriis sextis adventus; sed hoc quisque faciat secundum diversas conditiones status sui. — Septimo. Quolibet mane Deo te offer in unione illius sacrificii, quod Jesus ad nos salvandos ipse obtulit. Dic saepius: « Ave Maria etc. quem o Virgo de Spiritu Sancto concepisti. Ave Maria etc. quem o Virgo ad Elisabeth portasti. »

§ 18. *Immaculatam nec non dolorosissimam V. Mariam singulari devotione veneratus est.*

Et *juxta* 60. *Art. fol.* 442. *respondit*: « Illud etiam hic loci addo, eum dum viveret ad accendendum et confortandum et exercendum amorem divinum commoto corde saepius mihi commendasse meditationem dolorosae passionis et mortis Redemptoris nostri Jesu Christi et dolorum Virginis Deiparae, et ut immaculatam Conceptionem et in genere Beatam Deiparam singulari modo venerarer. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 753. « Devotio Ven. S. D. erga SS. Sacramentum altaris, vitam et passionem Christi, B. Virginem et Sanctos, omni occasione manifestata, inflammatus zelus in praedicatione verbi divini, sunt totidem argumenta divinae charitatis. »

Multa alia testimonia huc spectantia supra num. 8. de fide Art. III. relata sunt. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 19. *Seraphico amore in SS. Eucharistiam et Sanctos ferebatur.*

VII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 252. *ter. respondit*: « Ad frequentem et dignam communionem nos praeparare studebat; *communio enim*, inquit, *corroborat fidem.* Saepissime etiam ad venerandam SS. Deiparam, S. Josephum aliosque Sanctos monuit . . . In Sacro faciendo apparuit tamquam omnino transfiguratus elevata ejus erat devotio, et omnes adstantes ad sacros movebat affectus. »

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 293. *respondit*: « Pater Hofbauer seraphico ferebatur amore erga SS. Eucharistiae Sa-

cramentum. Sacram synaxin aegrotis afferens sui ipsius omnino erat oblitus, et a longe jam cognoscere poteras, quo amore flagrabat in eum, quem in manibus portabat, in ejus adoratione penitus immersus . . . In Sacro faciendo totus erat transfiguratus. In magnis solemnitatibus Pater Hofbauer summo cum splendore omnia praeparabat, splendidam altaris et ecclesiae illuminationem per benefactores procurans. »

§ 50. *Ubique 40 horarum comprecationi interveniebat.*

Et *fol.* 295. *respondit*: « Ejus erga Deum amorem hoc etiam testari potest, quod omnes visitaret ecclesias, in quibus quadraginta horarum comprecatio celebrabatur, alios simul monens ad eas invisendas, ut indulgentias lucrarentur, et pro peccatorum orarent conversione. »

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 230. *respondit :* « Eadem viva fides animabat illum etiam in cunctis functionibus sacerdotalibus, sive eas perageret in parvis cappellis, sive in magnis ecclesiis. Semper eum cernebas sancto timore, devotione et amore adeo inflammatum, quasi Seraphinorum unum videres, quod tum maxime fiebat, cum celebraret Sacrum vel Missam cantaret solemnem. Quoties vidi ejus oculos amorosis lacrymis splendere post sanctam communionem, vivae ejus fidei testimonium. . . . . Singularis omnino ejus erat devotio erga SS. Sacramentum. Ex cubiculo, quod Varsaviae simul cum Patre Hübl inhabitabat, fenestra prospiciebat in altare majus. Apud hanc fenestram ad conciones sese praeparabat, ibi mente fixa meditans Jesum suum sacros illos hausit affectus et sensus, quos tanto cum successu in auditores diffundere novit. Ibi lucem, solatium, robur et fortitudinem quaerebat; verbo, Jesus in SS. Sacramento ipsi erat omnia. Sanctum ignem sua ipsius viscera consumentem etiam in aliis accendere studebat, tum tenerrime concionando de amore Jesu, tum praeprimis frequenter exponendo SS. Sacramentum et promovendo frequentem communionem et SS. Sacramenti visitationem. Ad quem finem visitationes a S. Alphonso scriptas in idioma germanicum vertendas curavit per Patrem Hübl, quae quidem editio saepissime fuit recusa. »

§ 51. *Cum lacrymis Jesum adorabat.*

§ 52. *Visitationes SSmi Sacramenti a S. Alphonso scriptas in lingua germanica publicavit.*

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 630. *ter. respondit*: « Motus sancto zelo, domui Taborensi et alteri in Valle Sancta Helvetiae necessaria paramenta procurare sategit. »

V. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 199. *ter. respondit*: « Decoris domus Dei summa illi erat cura, ideoque festa per annum principaliora decoratione et solemni functione quantum potuit, celebrare satagebat. Sacras functiones Vindobonae ad novam quasi vitam ille elevasse dici potest. »

XXI. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 476. *respondit*: « Scio . . . per eum frequentiam sacramentorum Vindobonae denuo fuisse introductam, eo tempore penitus fere ignotam. »

XII. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 327. *respondit*: « In sacris functionibus peragendis, Seraphini instar, penitus erat extra

se raptus. Haec omnia ex propria scio experientia: ejus enim conciones ipsa audivi et Missae interfui. »

§ 53.
Ad frequentem, sed dignam Communionem provocabat.

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 418. *ter. respondit*: « Devotionem suam erga SS. Sacramentum non solum e loco superiore dicendo ostendit, ubi saepe commoventi modo de eo loquebatur, et ad frequentem, sed dignam provocabat communionem, non solum in diffundendis visitationibus SS. Sacramenti a S. Alphonso compositis, sed specialiter in Sacro faciendo, aut beneditionem cum SS. impertiendo aut gratias post Missam agendo. »

XXIV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 499. *ter. respondit:* « Ex propria pariter observatione testari possum, internum ejus fidei ardorem in omnibus sacerdotalibus ejus functionibus externe quoque prodiisse, praesertim vero in concionando et Sacro faciendo. »

§ 54.
Quasi transfiguratus in Sacro litando apparebat.

XXVII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 562. *respondit*: « Quodam die post concionem eum vidi celebrare Missam, cumque recitaret confessionem ante altare, mihi apparebat totus contritus et tamen tanquam a Deo inspiratus et quasi transfiguratus. Illam ejus imaginem vivissimam adhuc retineo post quadraginta quatuor annos. »

XXV. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 512. *respondit*: « Per Sacramentorum poenitentiae et Eucharistiae frequentiam factum est, ut tot juvenes vitae penitus saeculari eriperet, et eorum multos sacrae militiae lucrifaceret, res eo praesertim tempore necessaria, cum a statu sacerdotali nihil abesset longius quam aestimatio, et homines meliori loco nati raro hunc eligerent statum. »

§ 55.
Frequenti usu sacramentorum multos juvenes servitio divino lucratus est.

Et *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 514. *ter.* « Pater Hofbauer miro excelluit dono ad frequentiam sacramentorum invitandi vel animandi, quae res Vindobonae tunc temporis praesertim inter juvenes profanis studiis vacantes erat omnino extraordinaria. De ea quidem re ipse pauca fecit verba; sed quasi constrictum te sentiebas, saepe saepius ad confessionem peragendam ad eum redire, quamvis et in ea pro more suo valde esset brevis, et quemvis paucis quidem, sed penetrantibus dimitteret verbis. »

XXVI. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 537. *ter. respondit*: « Praeterea de SS. Sacramento et de Sancta Deipara lubentissime loquebatur. Per moniales S. Ursulae quae plurimas puellas in scholis instruunt, juventuti etiam et familiis ineffabilem attulit benedictionem, uti etiam per juvenes, quos sibi adjunxit, per sacerdotes, doctos, patres et matres familias. »

XXIX. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 582. *respondit*: « Magna et efficax erat ea vis spiritualis, quam Pater Hofbauer tum suis verbis, tum toto suo agendi tenore in hominum exercebat animos. Varias functiones in ecclesia S. Ursulae ipse obibat; tum diebus feriatis, tum dominicis et festis ad aram fecit; qua in re pii ejusdem visitatores simplici qui-

ddm, sed sublimi Servi Dei dignitate et devotione commoti curabant, ut quamplurimum possent, altari appropinquarent. Tametsi nunc, sacerdos cum sim, ex recordatione noverim, cum sanctas Ecclesiae rubricas pro Sacrosancto Sacrificio praescriptas accuratissime observasse, et nullum devotionis actum externum exercuisse illis contrarium vel ullo modo extraneum, ejus tamen tota persona et habitus ad aram tantopere aedificabat et commovebat, ut et perspectae pietatis homines, prout defunctus in Domino Praelatus Muzzi, tunc temporis Nuntiaturae Vindobonae Auditor, saepissime intervenirent solemni functioni in ecclesia S. Ursulae, ut prope altare ibidem devotioni indulgerent. Imprimis post consecrationem et post Sacrum celebratum viva ex ejus vultu radiabat fides in realem Jesu Christi in SS. Sacramento praesentiam, nec Servus Dei suspiria suppressa quandoque continere omnino poterat, . . . Etiam in caeteris functionibus ecclesiasticis praesertim in sanctiore hebdomade, festo Corporis Christi etc. simplici sua et filiali devotione potenter afficiebat animos. »

§ 56. *Rubricas exacte observabat.*

Et *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 584. « De ejus viva fide in realem Jesu Christi praesentiam in SS. Sacramento inter missae sacrificium jam superius locutus, id solum addo, ejus erga hoc SS. Sacramentum devotionem fuisse tenerrimam, specialibus occasionibus his se prodentem exclamationibus: « *O bone Jesu! O summum, amabilissimum bonum.* » Quoties sacrum pertransiret tabernaculum, sive ingrediens in ecclesiam, sive recedens ab ea, aliquot semper momenta ad aram haesit genuflexus, Jesum Christum in Sacramento visitaturus. Poenitentes suos monuit, ut ecclesiam introeuntes primo oculos cum fide in tabernaculum conjicerent et Salvatorem in SS. Sacramento saepius frequentarent. »

§ 57. *Devotionem suam erga SS. Eucharistiam piis exclamationibus manifestabat.*

XXX. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 613. *respondit*: « Quod Servi Dei ardentem erga SS. Sacramentum attinet devotionem, testari debeo, omnes portantem illum videntes SS. Sacramentum motos fuisse et intime affectos. Oculis semper clausis caput clinabat ad Dominum suum et ita incedentem eum videns (portantem SS. Sacramentum de uno altari ad alterum praesertim in Italorum ecclesia, in qua ab altari majori ad altare SS. Sacramenti longior perficienda est via) timor me semper invasit, ne cum Sanctissimo caderet, cum adeo semper clausos haberet oculos. »

§ 58. *Movebantur omnes qui eum Corpus Christi Domini gestantem inspicerent.*

XXXIV. Testis *juxta* 38. *Interr. Proc. fol.* 657. *ter. respondit:* « In sancta missa recitans: Confiteor, et pectus simul percutiens omnium peccatorum nomine contritionem elicere videbatur. »

Rursus V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 204. *ter. respondit*: « Eodem, ni fallor, anno (*scilicet* 1816) a Mechitaristis in eorum ecclesia feria sexta Parasceves vespere de septem Christi in cruce pendentis verbis praedicare invitatus fuit. Servum Dei comitans vidi multos homines eum sequentes, ita ut ec-

§ 59. *De passione Domini commoventi modo locutus est.*

clesia eos capere nequiret. A primo ad septimum verbum Christi viva ejus fides cordisque intima cum Jesu Crucifixo compassio elucebat. Pro singulis Christi verbis exponendis sexta solummodo horae pars concessa et post singula verba cantata est stropha cantici de passione concordans verbo de quo fuerat praedicatum. Sacrum Servus Dei tanta cum devotione peregit, ut adstantes summopere inde moverentur. Multi ad aram sese protundebant ad Sacrum servituri, nec solum pueri sed et studiosi juvenes et viri cujusvis conditionis, tracti magna pietate, imo, si ita loqui fas est, sanctitate in eo observata. »

DE HEROICA CHARITATE IN PROXIMUM

Num. 11. De heroica charitate in proximum.

ARTICULUS I.

Charitatem Ven. S. D. in Proximum testes unanimiter summis laudibus extollunt.

(Ex Processu Apostolico)

§ 1. Summum gaudium illi fuit, animas salvare.

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 173. *respondit*: « Omnes homines ad cognitionem charitatis Dei ducere quaerebat, quia charitas Dei homines jam in terra, magis vero in paradiso beatos facit. Felicem vero se reputabat, cum peccatorem ad poenitentiam, pigrum et tepidum ad majorem zelum, haereticum ad veram fidem reducere poterat. Si de gloria Dei, et salute animarum agebatur, sibi ipsi parcere nesciebat. »

II. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 222. *respondit*: « Testari possum Ven. Servum Dei pro honore Dei et salute animarum tum in pulpito, tum in sacro tribunali zelo infatigabili laborasse. »

Eodem folio ter. « Admiratus sum in eo amabilem urbanitatem in usu nobilium et plebejorum, suavitatem teneram in docendo et corrigendo, charitatem Dei et proximi ad omnia sacrificia paratam. »

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 236. *respondit*: « Zelo pro honore Dei et salute animarum ita eminebat, ut de eo dici possit « Zelus domus Dei comedit eum. »

§ 2. Charitas proximi limites non noverat.

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 311. *ter. respondit*: « Charitas proximi Ven. Servi Dei vere limites non noverat. Adjuvabat, ubicumque poterat. Nulla fatigatio ei nimia, nulla via longior erat, ubi in necessitatibus temporalibus et spiritualibus auxilium praestare poterat. Opem ferre semper ei deliciae erant. »

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 352. *ter. respondit*: « Quid de charitate dicam? Si interrogas juvenes studentes, quos indigentes adjuvit, et ad vitam christianam induxit; si interrogas alias personas penuria et miseria oppressas, si inter-

rogas nos moniales: omnes uno ore confitebuntur, Ven. Servum Dei ipsis verum patrem et benevolum adjutorem fuisse. Quod ad ejus amorem animarum immortalium spectat, omnes, nemine excluso, comprehendebat, cujus rei innumera habentur exempla; Hebraei, Protestantes, personae religiosae ejus sacrum zelum charitate plenum experti sunt; omnes fidei Jesu Christi lucrari sciebat; nullum sacrificium ipsi nimis durum, nulla via nimis longa videbatur . . . Cum sacram Missam celebrasset, omne reliquum tempus saluti animarum dedicatum fuit. »

§ 3. *Omne tempus divino servitio et animarum saluti dedicavit.*

Et *fol.* 353. *ter.* « Dici non poterat, quo gaudio implebatur, si Deo animam lucrari poterat, aut jam lucratus fuerat. Ubi autem verbum veritatis ex ejus ore proveniens in cor auditorum penetrarat, et in anima desiderium se emendandi suscitarat, o quantum laborabat, ut statim perficeret, quod gratia inceperat, et bonum pastorem se exhiberet, qui ovem perditam quaerit et invenit. « Cudendum, inquit, ferrum, cum calidum et molle est. » Quantum gavisus est, si animae ejus curae se committere voluerunt, quanta charitate eis obviam venit, easque si viri erant, paterno affectu brachiis suis excipiebat. Et si istae animae Deo adductae valde felices se sentiebant, Ven. Servus Dei magis adhuc jucundabatur: in similibus enim occasionibus lucem supernaturalem ex ejus oculis splendentem vidi, et ista lux mihi repercussio illius lucis videbatur, quae omnes homines venientes in hunc mundum illuminat. Quid dicam de illo sublimi gaudio, quo perfusus est, si qua anima statum religiosum amplectens totam se Deo offerebat: tunc tantum erat gaudium cordis, ut in extasim raptus, infantibus innocentibus similis, qui gaudium exprimere nesciunt, manibus plauderet. Aliquando interrogata fui, cur Ven. Servus Dei occasione vestitionis cujusdam adolescentulae animi sui affectus pulchra solidaque allocutione, quam omnes expectavimus, non manifestasset. Juxta intimam meam persuasionem respondi: Gaudium facultatem loquendi ei ademit. »

§ 4. *De conversione peccatorum summopere gavisus est.*

§ 5. *Nec non si anima statum religiosum amplectebatur.*

Fol. 357. *ter.* « De suis doloribus verba facientem eum audivi . . . propter dolorem spiritualem, quo affectus est, cum praedicare, et indulgentias annuntiare vetaretur. Hanc prohibitionem cum accepisset, lacrymas per genas defluentes retinere non potuit; opprimebatur enim dolorosa cogitatione, se ita medio maxime opportuno et efficaci, plures animas Deo lucrandi, privari. Hujus rei testis oculata et aurita fui. Eo tempore ego rem ignorans Ven. Servum Dei precata sum, ut imagini super lamina pictae et Christum docentem exhibenti indulgentias applicaret. Imaginem in manu tenens aliquot passus a me recessit, dolore valde commotus eam osculatus est, lacrymas perfudit, et precibus secreto recitatis mihi dixit: « Ante hanc imaginem recita quinquies Pater noster et Ave Maria, et Deus quod petis, tibi dabit. »

§ 6. *Impeditus, ne saluti animarum operam daret, lacrymas fudit.*

IX. Testis *juxta* 32. *Interr. fol.* 419. *ter. respondit*: « Charitas proximi in Ven. Servo Dei extraordinario modo viguit, et ut eam exerceret, ad quodcumque sacrificium promptus fuit. »

X. Testis (Emus Cardinalis de Rauscher) *fol.* 450. « Per totum diei decursum cultu divino, functionibus sacris et laboribus pro animarum salute susceptis occupatus erat. »

XVII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 602. *respondit*: « Ven. S. D. eximia simplicitate in toto suo habitu, et modo se gerendi enituit; ex omnibus mansuetudo, mentis hilaritas, et cordis tranquillitas resplenduit. »

§ 7.
Pacem et consolationem circum se diffundebat.

I. Testis ex officio *juxta* 24. *Interr. fol.* 676. *ter. respondit*: « Semper istum Venerandum Sacerdotem praesentem conspicere mihi videor, qui toto habitu suo nobili, dignitate pleno, simulque valde simplici sanctam pacem circum se diffundebat, et consolationes sanctae charitatis effundebat. Ejus sermo semper simplex erat; verbis minime exquisitis utebatur, quae nihilominus magnam mentis profunditatem monstrabant, et statim fiduciam excitabant. »

Fol. 677. « Sine intermissione lucrandis animabus operam dedit, et earum salutis avidus miserrimos peccatores etiam quaesivit, usque ad defatigationem laborando et quieti nihil indulgendo. »

§ 8.
Rigorismum Jansenisticum odio habuit.

Fol. 679. « Zelus animarum eum induxit, ut pietatem amabilem redderet; rigorismum Jansenisticum odio habuit. »

Eodem fol. ter. « V. S. D. ab omnibus amatus, et in honore habitus est; humanitate et dulcedine sua omnes, qui familiariter eo utebantur, tanta vi attrahebat, ut resistere nequirent. »

§ 9.
Ex tota persona suavitas elucebat.

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 741. *ter.* « Vix dicere possum, quantum ille pietate excellens vir nos affecerit. Amare Deum et Ecclesiam, et animas Deo lucrari, hoc illi esse et vivere erat; hoc unice desiderabat. Hoc elucebat ex toto homine, ex ejus verbis et operibus, et ex concionibus, quae simplices et inornatae erant, sicut ejus persona, et tamen modo extraordinario commovebant ... Postquam P. Hofbauer Fidei professionem exceperat, nos tamquam liberos suos tractavit, et feliciores horas nunquam habui prae illis, quando apud eum (quod saepius post Missam factum est) Communione refecti collationem sumpsimus, ubi a discipulis suis nobis inservientibus circumdatus, revera patrem familias laetabundum, pium et hilarem sese exhibuit. — Dña de Schlosser iterum atque iterum felicitatem extollit, quod Patrem Hofbauer prope nosset. « Quisque ei appropinquans (sic scribere pergit) sentiebat, in illo animam habitare, quae non solum omnis falsitatis expers, sed etiam tam praecellenti charitate plena erat, ut obligatum se sentiret, recognoscere magnum bonum quod esset cum illo agere, et virum nosse, cujus conversatio jam in terra tamquam Sancti erat. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 10.

In operibus misericordiae exercendis vitam impendit Ven. Dei Famulus.

I. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 103. *ter. respondit*: « Ex dictis heroica etiam patet Servi Dei charitas erga proximum quippe qui totam vitam et laborem impenderit in operibus misericordiae tum corporalibus, tum spiritualibus. Confessiones excipiebat, donec vires deficerent, adjutorem sese praestabat in omnibus necessitatibus, omnibus omnia esse cupiens, mirabili sane patientia omne hominum genus et diversos characteres sufferens, omnes benigne suscipiens, promptus semper omnibus serviendo, de nullo conquerens, ne de inimicis quidem, vere pater pauperum, tum in temporalibus, tum in spiritualibus necessitatibus. Quot invisebat infirmos, nemo poterit numerare. »

§ 11.

Peccatores suaviter excipiebat, ut eis vitam gratiae restitueret.

II. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 145. *ter. respondit:* « Amorem proximi quod spectat obligatum me sentio declarare, me hanc Servi Dei virtutem propria experientia cognovisse universalem, infatigabilem, nullis exhaustam offensis, et vere heroicam. Erga homines in fide nondum firmatos et in peccatis immersos misericordiae suae viscera eousque pandebat, ut vere de iis sentiret dolorem et angorem. Tenera charitate amplexabatur doctos cultosque protestantes, qui omnes fere ipsius correspondebant charitati.... Eamdem omnibus exhibebat benevolentiam. »

§ 12.

Bonos ad perfectionem sublimiorem incitabat.

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 254. *ter. respondit*: « Servus Dei in poenitentis corde tale infundendi lumen erat gnarus, ut ille vitam male actam facile posset perscrutari. Ejus etiam verba adeo commovebant peccatoris animum, ut resistere eis nemo posset. Ipsa ego experimentum feci hujus rei instituendo confessionem generalem, ad quam ipse me incitaverat. Propria experientia novi, eum qua conventus nostri confessarium incessanter in id incubuisse, ut salutem nostram assecuraret, et ad vocationis nostrae obligationes adimplendas nos duceret et moveret. Nec cuiquam post Deum nisi Servo Dei acceptum referimus, spiritum christianae et religiosae perfectionis in domo nostra erectum fuisse. »

§ 13.

Usque ad finem vitae pro aliorum salute laborabat.

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 295. *ter.* « Servus Dei pari modo praecellebat insolita etiam charitate erga proximum, eamque operibus spiritualis et corporalis misericordiae comprobabat. Usque ad vitae finem pro aliorum salute indefesse laborabat, et ipsae nos expertae sumus, eum docendo et monendo, consiliando et concionando et confessiones excipiendo inenarrabiles produxisse fructus. Quomodo ad informandos rudes plura instituta fundare conaretur, jam edixi, ac eodem modo incessanter in id etiam incubuit, ut lugentes consolaretur, et dubitantes consilio adjuvaret. »

XII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 327. *ter. respondit:* « Omnes virtutes christianae in Patre Hofbauer observari poterant.

Ejus fides ardebat, spes erat inconcussa, charitas in Deum et proximum aestuans, mortificatio extraordinaria, humilitas admirabilis, castitas exemplaris, paupertatis studium omnes ad admirationem movens. »

XV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 376. *ter.* « Magnae Servi Dei charitatis erga proximum argumentum adducere possum, quod ipse ego vidi, Servum Dei nempe doctrinis, exhortationibus, consiliis, concionibus, et confessiones excipiendo inenarrabiles fructus inter homines produxisse, item eum omnem molestiam ab aliis aequo tulisse animo, et omnibus charitatem exhibuisse, semper paratum omnibus ex animo et pro viribus praestare officia. »

§ 14. *Omnigena misericordiae opera spiritualia exercuit.*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 421. « Pro salute animarum per totam vitam suam zelo flagravit. Ex amore proximi maximas subiit ipse mortificationes in cibis et in vestitu, dum pauperes larga adjuvaret manu, et ipse famem pateretur. Docendo et monendo, consiliando et concionando et confessiones excipiendo ineffabile animarum lucrum fecit inter proximos suos. Moestos consolari, et dubios bono adjuvare consilio, semper erat intentus. »

§ 15. *Ut aliis prodesset, gravia toleravit incommoda.*

XXI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 476. *ter. respondit*: « Memini audivisse me praedicare Patrem Hofbauer felicis recordationis. In eo virum sanctum conspicere mihi videbar, tantique eum habebam, ut hodiedum adhuc ejus externum habitum producere possim, quamvis tunc non haberem nisi duodecim vel tredecim annos. Per eum educatrix nostra et educator consobrini nostri ad Deum reducti sunt, ex quo tempore nos etiam ad pietatem sumus informati. »

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 543. *ter. respondit:* « Servi Dei amor erga proximum sese manifestavit in ordinariis et extraordinariis mediis ad animas ab aeterna perditione retrahendas adhibitis . . . Spiritu divini amoris et prudentiae animatum eum fuisse hoc est argumento, quod cum cujusvis conditionis hominibus agendi esset peritissimus, viros doctos et protestantes attrahere et paulatim Deo lucrari novisset, quod tot viros juniores absque directa suasione ad statum religiosum eligendum disponeret. Apostolica simplicitas et sincera benevolentia cordis erga quemcumque bonae voluntatis vim exserebant tantam, ut de illo dicere posses: *Virtus de illo exibat.* »

§ 16. *Amantissimum se exhibens erga omnes, animas Deo lucrabatur.*

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 587. *respondit:* « Magis adhuc in id incubuit, ut proximorum procuraret salutem spiritualem, et vere vitam suam in eo impendit, ut aliorum promoveret salutem, qua in re a nullo abhorrebat incommodo, quemadmodum testantur ejus conatus et labores vere vires exhaurientes in sacro ministerio. »

XXX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 614. « Ubicumque Servum Dei vidi, exercentem eum ubique inveni opera misericordiae spiritualis et temporalis: ad aram, in pulpito, in sacro tribunali vel domi circumdatum turba juvenum et virorum,

§ 17. *Ubicumque Dei Servum testis vidit, re-*

perit exercentem opera misericordiae.

quorum ordinarie uni vel pluribus confitentibus etiam praebebat aures, panem quoque, poma, placentas etc. eis distribuebat, interea pia colloquia instituens ex sanctorum plerumque vita. Quamvis ex eorum sim numero, qui rarius invisere solebant Servum Dei, profiteri tamen debeo, quotiescumque eum vidi, me ita fuisse ab eo affectum, quasi in eo humilitas et charitas assumpsisset carnem. »

§ 18.
Summa benignitate et comitate utebatur erga omnes.

XXXIV. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 657. *ter.* « Quum anno amplius apud Patrem Hofbauer conscientiam meam expiarem, has, quae sequuntur, depositiones facere possum. Totus Servi Dei habitus, quem prae se ferebat, memoriae meae fixus inhaeret; ob incessum aliquantulum pronum semper mihi apparebat tanquam Salvator bajulans crucem. Pater Hofbauer erga quemlibet eximia erat charitate et benignitate.; in toto ejus agendi modo sese prodebat cor charitate plenum. Semper erat comis; sed proprie ridere eum nunquam vidi. Ante ingressum meum in monasterium saepissime adii P. Hofbauer, et Deus novit, quot negotiis eum molestarem, praeter eum enim alium non habebam consiliatorem, et semper promptum eum inveni ad me audiendam, in omnibus rebus novit consulere, nihilque ejus charitati compatienti et maternae erat nimis parvum. Ejus patientia, mansuetudo, et aequanimitas erant inexhaustae. »

XXIV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 501. *respondit*: « Patris Hofbauer charitatem erga proximum quod attinet, ex ipsis ejus oculis, clementia et mansuetudine plenis, ea prolucebat. Hanc charitatem opere exercere praesertim satagebat, semper in id incumbendo, ut bona spiritualia proximis procuraret. »

ARTICULUS II.

Summo studio adlaboravit, ut haereticos ac incredulos ad fidem et salutem perduceret.

(Ex Processu Apostolico)

§ 19.
Peccatores, haereticos et infideles ad Deum deduxit.

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 397. *ter. respondit*: « Quod charitatem proximi Ven. Servi Dei attinet, dici potest, ipsum sine intermissione de bono spirituali et temporali proximi pro posse curam habuisse. Omnes sine distinctione, divites et pauperes, nobiles et plebeji apud Ven. Servum Dei eamdem charitatem invenerunt. Conversioni haereticorum et infidelium particularem operam dedit, et multi ejus laboribus e protestantismo in sinum S. Ecclesiae reversi sunt; multi quoque infideles (Judaei) ab ipso in nostra ecclesia baptizati sunt. »

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 167. *ter. respondit*: « Magno flagrabat desiderio haereticos in sinum Ecclesiae reducendi, ejusque orationes et labores hunc in finem applicati egre-

gios fructus produxerunt. Ipse ego plures homines conditione, eruditione, et pietate conspicuos novi, quos ad veram fidem reduxerat, exempli gratia Baronem Rieger, dominum de Klinkowstroem una cum uxore et cognatis, dominam de Pilat, et dominam innuptam Augustam, nec non uxorem Adami Müller, consiliarii aulici. »

IV. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 258. *respondit*: « Apud omnes constat, Ven. Servum Dei magnam operam dedisse, ut alios ad fidem catholicam reduceret, et sacra industria abundanti successu coronata fuit. Ipse quamdam feminam Calvinianam novi, quae per Ven. Servum Dei conversa fuit. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 747. *ter. respondit*: « In pulpito aliquando et probabiliter saepius exclamavit: « Utinam gratiam haberem convertendi omnes haereticos et infideles: brachiis et humeris meis eos in S. Ecclesiam inferrem. »

(Ex Processu Ordinario.)

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 108. *ter. respondit*: « Mirabili hac prudentia, cui par erat paterna suavitas, multos acatholicos in sinum Ecclesiae Servus Dei reduxit. »

V. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 201. *ter. respondit*: « Die quodam anni 1816. vel 1817. cultior quidam Israelita ad Patrem Hofbauer venit. Exposito hujus visitationis fine et accepto responso, Pater Hofbauer hac usus occasione verba illi fecit de Deo Abraham etc., et de Messia a Judaeis usque ad hanc diem expectato loquens, eum in sacra Jesu Christi persona jam advenisse probavit, simul ostendens, quomodo in eo et cum eo promissio Dei, expectatio Patriarcharum, annuntiatio Prophetarum omnium temporum omnino sint adimpletae. Accepta deinde S. Scriptura aperuit librum Isaiae legensque caput 53. plures ei fecit interrogationes. Observare potui hac occasione Servi Dei vultum sancto zelo et compassione flagrantem. De hujus negotii successu nulla mihi facta est relatio. R. Patrem Hofbauer haereticos convertendi zelo flagrasse, certo constat. Ego bene novi conversionem domini de Klinkowström ejusque conjugis, et conjugis domini de Pilat. Horum conversorum fides, humilitas et fervor totam saepissime aedificabat ecclesiam monialium. Quod si haud paucae personae altioris conditionis in media ecclesia jacerent in genua prostratae, hunc devotionis spiritum ex verbis et exemplis Patris Hofbauer, qui ipsis a confessionibus erat, hauserant. Ad conversionem haereticorum tum inchoandam, tum perficiendam litterarum etiam cum eis habuit commercium. »

§ 20. *Hebraeo homini demonstrat prophetias in Christo fuisse impletas.*

§ 21. *Memorantur plures ad fidem conversi.*

Rursus V. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 201. *ter. respondit*: « Verissimum est, Servum Dei et hebraeos et haereticos Vindobonae, ubicumque se praebebat occasio, ad fidem catholicam convertendi, diligentem curam habuisse. »

VIII. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 252. *respondit*: « Sanctus erat missionarius, semper peccatorum conversioni intentus; ecclesia referta semper erat auditoribus, et plurimi ex eis etiam lutherani conversi sunt. »

X. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 293. *ter. respondit*: « Nos omnes, quae ab eo pendebamus, incitavit, ut quovis modo Religionis promoveremus progressum. Summum ipsi erat gaudium infidelium ad fidem catholicam conversio, et suis conatibus id effecit, ut plures ad eam reduceret. »

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 395. *ter. respondit*: « Quantum allaboravit, ut incredulos, haereticos, et judaeos ad fidem catholicam converteret, multiplices etiam evincunt conversiones, et gratiae ejus laboribus obtentae. »

§ 22. *Incredulum juvenem insolita et mira ratione ad fidem perducit.*

Et *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 438. *resp.*: « Pater Hofbauer ad nobilissimum, sed philosophice incredulum juvenem lethaliter decumbentem vocatus, more penitus apostolico absque multis ambagibus in medias res prosiliens, plenam sic reportavit victoriam. Illico enim eum invitavit, ut secum simpliciter apostolicum recitaret symbolum, et renitentem ad initium incredulum juvenem aqua lustrali aspersit Pater Hofbauer rogans: « Pergamus. » Cumque totum simul recitassent symbolum, moribundus dixit: « Confitebor », et receptis Ecclesiae Sacramentis vere contritus pie obiit. »

XXXIV. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 657. *ter. respondit*: « In pulpito pro fide et pro haereticis et incredulis reducendis ad S. Ecclesiam inprimis zelabat. »

XXI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 484. *respondit*: « Amorem proximi indefessum probabat . . . ardore reducendi ad Ecclesiam heterodoxos. »

Plurima hujusmodi testimonia jam supra Num. 8. de fide, art. IX. relata sunt.

ARTICULUS III.

Ut animas salvaret, Congregationem suam propagare studuit.

(Ex Processu Apostolico.)

§ 23. *Missionarius missus est in regiones septentrionales.*

I. Testis *juxta* 23. *Interr. fol.* 150. *ter. respondit*: « Generaliter in Congregatione nostra notum est, Ven. Servum Dei, postquam sacerdos ordinatus fuit, et quidem elapsis paucis tantum mensibus, in regiones septentrionales se contulisse, ut missionibus operam daret. »

Juxta 24. *Interr. fol.* 153. « Ejus zelus apostolicus per famam longe lateque innotuit. »

§ 24. *Multum operatus est in Polonia.*

VII. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 300. *ter. respondit*: « Ven. S. D. saepius nobis narravit, quam pulchra fuerit ecclesia S. Bennonis Varsaviae, et quam amplus laborum campus pro salute animarum ibi apertus fuerit. Multae missiones ibi habitae sunt, et multi peccatores et haeretici se converterunt. »

Et *juxta* 26. *Interr. fol.* 301. *ter.* « Vindobonâ unum sacerdotem, et duos juvenes viros in Valachiam misit, ut ibi missionibus operam darent. Nomen hujus sacerdotis est Pater Forthuber. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interrog. fol.* 749. *ter.* « Ardens ejus desiderium propagandi Congregationem in omnes partes, ex alio fonte non est ortum, nisi ex voto, ut per Congregationem Ecclesiam Dei quaquaversus diffundere, et peccatores ad Deum convertere posset. »

§ 25. *Per Congregationem Ecclesiam propagare voluit.*

(Ex Processu Ordinario)

XII. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 327. *respondit*: « Scio Patrem Hofbauer a confratre suo Hübl adjutum Varsaviae tamquam Missionarium (ni fallor) laborasse, ibidem multas perpessum aerumnas et plurimas lucratum esse animas. Scio quoque, eum Varsaviae varias erexisse institutiones pro erudienda juventute et educandis pauperibus orphanis, sed cum gravi populi fidelis dolore coactum fuisse Varsaviam derelinquere cum sociis suis, quinimo ibidem per aliquod tempus detentum fuisse in carcere. Quae omnia scio ex parentum meorum relationibus. »

§ 26. *Missiones instituit per Poloniam, Valachiam, Germaniam, Helvetiam.*

XIX. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 416. *ter.* « Servum Dei domicilia Congregationis in Thabor prope pagum Jestetten, Trybergii, Babenhusii et Curiae (Coira) fundasse, saepius audivi, sed particulares non recordor circumstantias. Scio etiam eum in animum induxisse, domum Congregationis suae Vindobonae fundare, pluresque juvenes circum se collegisse, quorum opera vitam diffunderet catholicam. Summo mihi duco honori, quod quatuor annis amplius ejus fui discipulus. Multi ex ejus discipulis vocationem ad statum sacerdotalem et religiosum per eum acceperunt, alii munera publica susceperunt et postea honorifice functi sunt officiis magni momenti. »

XXVI. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 538. « Pater Passerat saepe mihi narravit, quanta Pater Hofbauer laborasset et egisset modo apostolico Varsaviae. Item ex relatione Congregatorum, cum Patre Hofbauer Varsaviae versatorum, audivi, eum erexisse domos pro infantibus derelictis, orphanis. Ita etiam Pater Passerat saepius narravit de diversis fundationibus Congregationis Trybergii et in aliis locis Germaniae et Helvetiae, ubi tamen maximas aerumnas ferre debebant. »

Et infra *fol.* 539. « Scio etiam de facto, Patrem Hofbauer misisse Missionarios, uti Patres Forthuber, Haetscher, Libotzki in Valachiam, ubi laborabant magno cum fructu. »

Alia multa testimonia rem probantia supra num. 6. de laboribus apostolicis, *et* num. 8. art. XII. *habentur.*

ARTICULUS IV.

Ut juventus pie educaretur, summam curam habuit.

(Ex Processu Apostolico)

§ 27.
Instituta pro educandis orphanis, et pueris nobilibus fundavit.

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 174. *respondit:* « Orphanos quoque, sicut audivi, Varsaviae collegerat, quibus paterna cura providebat. Propriis manibus eos a pediculis purgabat, et eleemosynas ad eos sustentandos emendicabat. »

II. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 222. *respondit*: « Instituta catholica erigendo, fidem suscitare et vitam catholicam fovere intendebat. »

IV. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 255. *ter. respondit*: « Infantes suscepit educandos, quorum numerus centum quandoque superabat; eos in ecclesiam ducebat, et coram imagine S. Deiparae hanc recitabat oratiunculam: « Mater mea, Mater mea, si tu pro me intercedis, certe salvabor. »

II. Testis ex officio *juxta* 28. *Interr. fol.* 743. *respondit*: « (Fridericus de Klinkowstroem) filiali pietate V. Servum Dei prosecutus est; ejus jussu institutum educationi juventutis inserviens fundavit, quod per multos annos floruit. »

§ 28.
Solidae institutioni clericorum operam dedit.

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 749. *respondit*: « Valde incubuit V. S. D. ut juvenes Clerici in Theologia bene instruerentur, ita ut non solum ab errore liberi essent, sed etiam haereses contemporaneas impugnare valerent. Hunc in finem praeter libros S. Alphonsi optima quaeque opera theologica Româ Varsaviam venire curavit, imo erigendo in ipsa Urbe Collegio, ut ibi optimos missionarios pro Germania et Polonia formaret, operam dedit. Difficiles temporum circumstantiae id exequi tunc non permiserunt; elapsis tantummodo 35. annis ab ejus obitu hoc suum desiderium adimpletum est, cum jussu SS. D. N. Pii Papae IX. feliciter regnantis Superior Gñlis Romae residentiam suam figeret, et divina providentia ita omnia disposuit, ut domus generalitia in Exquiliis, in sic dicta Villa-Caserta, ergo in proxima vicinitate domus et ecclesiae ad S. Julianum, ubi V. S. D. quondam totum se divino servitio et Coñgni obtulerat, erigeretur. »

§ 29.
Romae Collegium erigere intendebat.

(Ex Processu Ordinario)

§ 30.
Confirmantur modo dicta in Proc. Apostolico.

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 108. *ter. respondit*: « Studiosos praesertim juvenes adeo sibi devinxit, ut celeber ille concionator Werner speciali *magistri* titulo eum decoraret, quosque concionando juvenes Deo pepererat, ad eum dirigeret. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 145. *ter. respondit*: « Inter pauperes et egenos studiosis praesertim juvenibus paternam impenderat curam, ne iis quidem exceptis, quorum pene-

trabat falsitatem et hypocrysin, quos autem nihilominus ad meliorem frugem reducere sperabat, charitatem iis exhibendo . . . Multos illos juvenes meliori ex hominum classe, qui non raro totum ejus occupabant cubiculum, sola paterna sua charitate magnetis instar attraxerat, cum nullum adularetur, nullius indulgeret vanitati, sed severa quadam sive irrisione, sive objurgatione sese opponeret, nunquam sublimi et ornato loquendi uteretur modo, et tamen omnes irresistibili vi ad se stringens. »

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 233. *respondit*: « Ejus charitatem erga proximum quod attinet, ad ea omnia me refero, quae de ejus laboribus Varsaviae et alibi exantlatis adduxi, illud addens, eum omnes, in quibus propensionem et ingenium pro statu clericali detegebat, gratis et absque ulla dote suscepisse. »

XIX. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 416. *respondit*: « Servum Dei ad juventutem juxta principia catholica educandam institutum pro nobilibus juvenibus instruendis sub directione amici sui Adami Müller erigere fuisse conatum, et civili auctoritate huic tentamini resistente, ipso auctore simile institutum sub directione Friderici de Klinkowström ortum esse, per multos annos felici fruens successu, res est omnibus nota. »

XXI. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 474. *respondit*: « Amorem proximi indefessum probabat adjuvando pauperes, praesertim indigentes studiosos juvenes. »

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr fol.* 543. *respondit*: « Pater Hofbauer juventutis instructionem valde cordi habuit, quae primitus ab Instituti fine erat aliena, sed Superior generalis Congregationis Pater de Paula, qui Servum Dei in Congregatione receperat, a Pio Papa Sexto vivae vocis oraculo facultatem obtinuit erigendi etiam convictus, et extraordinariae temporis circumstantiae necessitatem inferebant, huuc etiam suscipiendi laborem. »

Alia multa testimonia de eadem re habentur supra num. 8. de fide, art. II.

ARTICULUS V.

Sine intermissione pro peccatorum conversione orabat Ven. S. D.

(Ex Processu Apostolico)

§ 31. *Pro peccatorum conversione cum lacrymis orabat.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 353. *respondit*: « Multos magnos peccatores, qui a triginta, vel a quadraginta annis peccata sua non erant confessi, convertit, cum Deo reconciliavit, et precibus et assistentia sua felicem obitum eis impetravit. Jam supra dixi, Ven. Servum Dei saepe nos monuisse, ut pro magnorum peccatorum conversione precaremur et

addidisse, se precibus et doloribus filiorum suorum spiritualium multum juvari. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 399. *ter. respondit*: « Ut plurimas animas ad Deum converteret, Ven. Servus Dei vehementes preces ad Deum et ad beatissimam Dei Matrem fudit, uti ex propria experientia scio. Aliquando ecclesiam ingressa vidi Ven. Servum Dei ad altare genuflexum, et alta voce (putavit enim se solum esse in ecclesia) supplicantem audivi: « O Domine, da mihi hanc animam, et si tu me repellis, ad tuam sanctam Matrem ibo, firmiter persuasus, ipsam me exaudituram esse». Ita supplicavit capite usque ad terram deflexo et amaras lacrymas effundens, ita ut ipsa quoque lacrymas tenere non possem, et ad imaginem Matris Dei auxiliatricis accederem, ad ejus intentionem precatura. »

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 310. *ter. respondit*: « Libentissime Rosarium recitabat, cum ad aliquem infirmum se contulit. Sicut ipse nobis dixit, recitando Rosarium intendebat, ut a Deo gratiam, infirmos ad bonam mortem praeparandi, acciperet. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 743. *ter. respondit*: « Zelus animarum limites non noverat. De peccatore aliquo obstinato certior redditus ante Sanctissimum prostratus pro ejus conversione lacrymando preces fundebat. Sic Soror Thaddaea ex Ursulinarum conventu eum aliquando invenit, cum inobservatum se crederet. Cum enim dicta Soror, quae mihi hoc factum narravit, a gravi infirmitate surrexisset, et a morbo reconvalesceret, dum sorores ad prandium assiderent, in ecclesiam se contulit, et V. Servum Dei ad gradus Altaris genuflexum orantem vidit, et sic eum cum voce alta orantem et suspirantem audivit: « O dilectissime Domine Jesu! dona mihi hanc animam, exaudi me; alias ad Matrem tuam me vertam, ipsa certe me exaudiet. » Ita precatus tandem faciem suam flens et singultus emittens ad gradus altaris demisit. Soror recessit, ne a V. Servo Dei videretur. Certe pro conversione animae peccatricis supplicaverat, et credendum est, tales preces et lacrymas a Deo certe fuisse exauditas. »

(Ex Processu Ordinario)

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 254. *respondit*: « Preces pro peccatorum conversione fundere nos admonuit, *magni enim*, inquit, *peccatoris conversio majus est miraculum, quam demortui resuscitatio.* »

§ 32. *Senem religionis osorem ad poenitentiam induxit.*

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 149. *respondit*: « Spectatus in civitate senex (cujus nomen non novi) lethalem incidit in morbum, nulloque modo, ut Sacramenta susciperet, poterat induci. Quemlibet sacerdotem lecto appropinquantem horrendis his repulit maledictis: « Ad malam crucem, ad diabo-

los. » Experimento cum duodecim saltem diversarum Religionum et Paroeciarum presbyteris infeliciter suscepto ad Patrem Hofbauer confugerunt. Qui illico absque ulla dubitatione aggressus est viam, Rosarium interea recitans. Spatiosum in cubiculum ductus, ad cujus ostium uxor et filiae lacrymantes assidebant, ex his quaesivit: « Ubi est aegrotus? » Monstrato lecto in opposito angulo collocato alta voce dixit Pater Hofbauer « *Iste ne est? Cum hoc subito rem habebimus compositam.* »

Et confidenter accedens aegrotum docilem omnino et obedientem invenit, ejusque absque mora excepit confessionem. Lupus in agnum mutatus. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 587. *respondit:* « Datis certis occasionibus edixit ipse, Beatae Virginis intercessionem, cujus Rosarium ad aegrotum pergens recitabat, huic gratiam obtenturam esse, ut cum submissione et contritione moreretur. »

Plura alia testimonia huc spectantia habentur jam supra Num. 8. de fide, art. II, et Num. 9. art. VII.

ARTICULUS VI.

Plurimos peccatores Ven. S. D. praedicando convertit.

(Ex Processu Apostolico)

§ 33. *Plurimas et admirabiles conversiones obtinuit.*

I. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 188. *respondit*: « Vere admirabiles conversiones peccatorum, incredulorum et haereticorum concionibus suis effecit. Allioli, Praepositus Cathedralis Augustanae, cum brevi abhinc tempore de Ven. Servo Dei, quem ille Praepositus bene noverat, sermo esset, sacerdoti cuidam dixit: Pater Hofbauer ipse miraculum fuit; ejus conciones quantumvis simplicissimae, stupendos sane effectus produxerunt. »

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 311. *ter. respondit*: « Quo zelo operam dederit, ut salutem animarum promoveret, ejus infatigabilis industria tum in sacro tribunali, tum in pulpito probat. Magna multitudo hominum ad ejus conciones in ecclesia convenerunt, vel ad sacrum tribunal eum expectabant: et omnium necessitatibus succurrere satagebat.

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 344. *ter. respondit*: « Cum Ven. S. D. veritatibus et mysteriis sanctae fidei penetratus esset, propterea ejus verba in pulpito et in sacro tribunali verba vitae erant, quae mentibus persuadebant, corda commovebant, et omnes animos concutiebant. Semper memoriae meae insidet, quomodo monitis suis a vita doctrinae christianae non conformi absterrere quaerebat. Catholicos, qui non uti christianos decet, vivunt, ita alloquebatur: Jesus aliquando vobis dicet: Vos inter paganos me confudistis. »

Et *fol.* 353. *ter.* « Quicumque ejus concionibus intervenerat,

gratiae non poterat resistere; loquebatur enim tam belle et suaviter, cum tanta persuasione, ut quisque gratiae cederet, et libenter faceret, quidquid faciendum proponeret. »

I. Testis ex officio *juxta* 28. *Interr. fol.* 686. *respondit*: « Ven. S. D. Vindobonae tum in pulpito, tum in sacro tribunali cum fructibus valde abundantibus laborabat, quod scio ex auditu. Ipsa saepissime ejus conciones audivi, et in ecclesia monialium S. Ursulae saltem omnibus diebus dominicis et festis ejus sacrae Missae interfui. Quasdam propositiones in concionibus suis enuntiatas semper adeo bene memoriae impressas tenui et adhuc teneo, quasi eas hodie pronuntiari audirem. Sic exempli gratia saepissime concionando dixit: « Terribile est, incidere in manus Dei viventis: » et illa verba, quae Dominus ad Abraham locutus est, repetiit: « Ipse ego ero merces tua magna nimis. » Vox, qua similia verba pronuntiavit, corda penetravit. In fine concionis auditoribus plerumque promisit, se in tremendo Missae sacrificio pro eis rogaturum esse. In sacro quoque tribunali valde simplex erat, sed quisque ejus verba libenti animo excepit, et alte in corde suo reposuit. »

§ 34. *Ejus sermo corda penetrabat.*

IX. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 382. « Sacra industria Ven. Servi Dei ab hominibus cujuscumque conditionis recognoscebatur. Ad ejus conciones tanta gens concurrebat, ut ecclesia ei capiendae non sufficeret. »

(Ex Processu Ordinario)

XII. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 327. « Tam in pulpito quam in sacro tribunali ubere cum fructu laboravit, multasque convertit animas. Ejus concionandi modus summopere movebat, et quidem omnes homines, summos et infimos. »

Et *juxta* 20. *Interr. Proc. fol. eod.* « Scio, Patrem Hofbauer a confratre suo Hübl adjutum Varsaviae tamquam Missionarium (ni fallor) laborasse, ibidem multas perpessum aerumnas et plurimas lucratum esse animas. »

XXIV. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 499. « Solummodo quoad ultimum vitae annum Patris Hofbauer deponere possum, eum hic Vindobonae confessarium fuisse monialium Sanctae Ursulae, magno cum fervore praedicasse, et poenitentiae Sacramentum administrasse, aegrotos etiam diligentissime visitasse, et in genere doctrina et exemplo plurimos christianos antea tepidos ad vitam vere catholicam reduxisse. »

§ 35. *Pro animarum salute assidue laboravit.*

Et *juxta* 22. *Interr. fol.* 501. *respondit*: « Patris Hofbauer charitatem erga proximum quod attinet, ex ipsis ejus oculis, clementia et mansuetudine plenis, ea prolucebat. Hanc charitatem opere exercere praesertim satagebat, semper in id incumbendo, ut bona spiritualia proximis procuraret. Indefessus erat in excipiendis confessionibus, in visitandis aegrotis, in docendis ignorantibus, et uno verbo in omnibus

sacerdotalibus suis muniis. Erga obstinatissimos quoque peccatores clementem et benignum se praebuit. Injuriis, quas patienter perferebat, affectus, nunquam aequanimitate decidit, et generatim in usu quotidiano plenus erat humanitatis. Etiam corporalia misericordiae opera pro viribus exercebat. Cibum a monialibus acceptum pauperibus studiosis distribuit, ac dona ab aliis habita in eleemosynam erogabat, praeterea etiam quoad posset officia praestare satagens. »

§ 36. *Quod ab aliis accipiebat, munifice aliis dono dabat.*

XXX. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 615. *ter. respondit*: « Hoc solum scio, Servi Dei conciones simplicitate excelluisse, et fructus inde secutos insolitos et vere extraordinarios fuisse. »

XIX. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 416. *ter. respondit*: « Ibidem (*scilicet in ecclesia Ursulinarum*) ubi ante eum diebus dominicis et festis ordinariis non fuit habita concio, ipse singulis dominicis et festis diebus regulariter praedicabat, simpliciter quidem, sed quodam calore, qui corda penetrabat, fidem excitabat, et animas Dei amore inflammabat. Ejus verbis, quin potius vultus lineamentis et commoventi pronunciationis sono irresistibilis inerat vis, potestas, cui maximi peccatores resistere nequibant. Cujusvis conditionis homines vehementer attrahebat, et Ursulinarum ecclesia, prout nunquam alias, semper referta erat hominibus. Concionum ejus utilitas erat valde magna et hodierna adhuc generatio earumdem fruitur fructibus. Jure merito Vindobonae Apostolus nominari potest, magnamque produxit mutationem. »

§ 37. *Concionanti Servo Dei nemo poterat resistere.*

XXV. Testis *juxta* 19. *Interr. Proc. fol.* 512. *ter.* « Ejus concionibus maximus auditorum aderat numerus, cum illi contingeret, ut tam simplici populo, quam viris praeclara eruditione ornatis, satisfaceret. Ejus conciones tametsi simplicissimae, et omnis ornatus oratorii essent expertes, extraordinarios tamen producebant fructus, et eo tempore suscitabant speciali modo fidem. »

§ 38. *Eum viri doctissimi libenter audiebant.*

Et *juxta* 25. *Interr. Proc. fol.* 523. *ter.* « Quamvis Pater Hofbauer educatione proprie scientifica caruisset, et sero demum studiis vacare coepisset, ejus tamen sermo magnam exercebat vim alteque auditorum penetrabat corda, quo factum est, ut non vulgus tantum, sed et doctissimi illius temporis viri ad ejus accurrerent conciones, quas per multos annos usque ad obitum habebat in Ursulinarum ecclesia. »

Conferatur supra Num. 8. de fide, art. VII, *ubi ampliora testimonia ad rem spectantia habentur.*

ARTICULUS VII.

Ven. Servus Dei Confessarius fuit charitate plenus.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 173. *respondit*: « Si de gloria Dei, et salute animarum agebatur, sibi ipsi parcere nesciebat.

§ 39. *Zelo infatigabili laborabat in s. tribunali.*

Quamvis debilis et infirmus, tamen semper promptus erat cuilibet, ad peragendam confessionem eum adeunti, aures praebere. »

Et *fol.* 175. *ter.* « Ex propria experientia scio, Ven. Servum Dei in admonitionibus et instructionibus, quas confessiones excipiendo dedit, paternum, charitate plenum et brevem fuisse; paucis verbis semper rem acu tangebat, et quod necessarium erat. »

II. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 222. *respondit*: « Ex propria experientia testari possum, Ven. Servum Dei pro honore Dei et salute animarum tum in pulpito, tum in sacro tribunali zelo infatigabili laborasse. »

III. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 234. *ter. respondit*: « Cum zelo infatigabili et immenso fructu Ven. Servus Dei audiendis confessionibus incubuit. »

§ 40. *Monendo fuit brevis, suavis, paternus.*

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 312. *ter. respondit*: « In directione animarum cuilibet id dicere et praescribere sciebat, quod necessitas requirebat. Ven. Servus Dei non solum donum perscrutandi corda possidebat, sed etiam excellebat habilitate, animas quae ejus directioni se dederunt, juxta cujusque indolem et necessitatem cum gravitate vel suavitate aut sicut oportebat dirigendi. Hoc scio ex propria experientia, et ex relatione omnium, qui apud Ven. Servum Dei opem spiritualem quaerebant, et mecum de rebus conscientiae locuti sunt. »

§ 41. *Secreta cordis noverat.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 341. *respondit*: « Dignitatem junctam cum paterna charitate, et compassione ex visceribus proveniente in sacro tribunali peccatoribus semper exhibuit, ita ut in corda eorum, qui peccata confessuri ejus curae se commiserunt, cum coram eo in genua procumberent, vim extraordinariam, sed suavem exerceret. In monitis suis confessarius fuit plenus charitate; non multa verba faciens, sed brevis et gravis et juxta cujusvis statum animae apta praescribens. Haud raro, cum ad confessionem accederem, plurimas res ei exponendas paratas habui, sed antequam eas exposui, jam ad omnia quae proferre volui, responsum et decisionem dedit, ita ut minime opus esset, ut angustias cordis ei aperirem. Semper a cancellis, ubi confitebamur, tranquilla et consolata recessi, solida exhortatione ad exercendas virtutes, ad observandam sanctam Regulam, ad perseverandum in propositis bene munita. Saepe etiam, quin eum precata fuissem, sapientes regulas dedit, ut in certis circumstantiis caute procederem, et istae regulae a multis difficultatibus, quas alias incurrissem, me praeservaverunt. Quamvis valde indulgens et parcens esset, tamen si oportebat, monuit, ut suis quisque obligationibus religiose satisfaceret. Sic aliquando die audiendis confessionibus destinato Ven. Servus Dei in quarta collocutorii cellula, ubi confessiones excipiebat, expectavit: sed moniales, quae ea hora confessionem peragere debebant, propter alia ne-

gotia venerant tardius et propterea nondum erant praeparatae. Tum me videntes dixerunt: Cara Soror, vade statim ad sacram confessionem, ut nos praeparemus; timuerunt enim, ne fortius reprehenderentur. Ego nihil timens statim ad confessionem agendam accessi, humiliter veniam petii, et optimum Patrem experta sum. Redeuntem me ex sacro tribunali, sorores intuitae sunt cum admiratione tam bene consolatam me videntes, sed non effugerunt monitionem. Ven. Servus Dei iis dixit, (ut mihi confessae sunt): « Ad confitendum peccata, et ad moriendum oportet semper sitis paratae, nam nescitur, qua hora Dominus venturus sit »... Tamquam confessarius zelo animarum plenus multos poenitentes ad se perduxit, (quotidie enim in sacro tribunali a multis quaesitus est, et saepe etiam a viris egregiis, qui conscientiam ei aperiebant, et ejus directioni sacerdotali cum filiali obedientia se submiserunt). »

Fol. 353. « Tertia hora matutina surgebat, ut gentis pauperis in ecclesia Mechitaristarum, in via dicta « Platzl » confessiones audiret: hora quinta plurium monialium confessiones excipiebat; tunc in ecclesiam se contulit, ubi a fidelibus confessionem peragere cupientibus, aut consolationem et consilium petentibus totus circumdatus erat. »

§ 42. *Summo mane ad audiendas pauperum confessiones surgebat.*

Fol. 356. « Quantum V. S. D. erga alios in charitate dives et indulgens erat, tantum severus erat erga se ipsum, et in sacrificium charitatis proximi sese offerebat. Etsi mala valetudine laboraret, nullam tamen quietem sibi dedit, et solitos labores non intermisit. Doloribus cruciatus tamen in sacro tribunali assidebat, et omnium accedentium confessiones audiebat. Cum quodam die prae doloribus confessionem meam sedendo audire non posset, et stando aures mihi praeberet, conquesta sum, quantum dolerem, quod tali modo eum molestarem. Sed ipse suaviter respondit: « Ne te inquietes propter hoc; dolores hodie non mihi permittunt, ut assideam. » Sed post ad depellendam angustiam, quam de ejus salute conceperam, per breve tempus tranquillus sedebat; cumque cum moerore eum rogarem, ut hodie brevius me expediret, nullam petitionis meae rationem fecit, sed non solum confessionem meam summa cum patientia auscultavit, imo etiam omnibus necessitatibus meis satisfacere intendebat, et praeterea solito longius me admonuit. »

§ 43. *Etsi infirmus confessiones audiebat.*

IX. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 381. *respondit*: « Quotidie V. S. D. in sacro tribunali inveniebatur, et saepe si a quodam rogabatur, etiam post meridiem confessiones audiebat, Quotidie Ven. S. D. hora tertia matutina e lecto surgebat, postea in ecclesiam Armenorum ibat, confessiones eorum, qui ibi eum expectabant, excepturus. Inde in nostram ecclesiam reversus statim ad locum confessionibus audiendis destinatum se contulit, aut monialium, aut aliorum in ecclesia praesentium, et hoc officium charitatis sacerdotalis petentium confessiones auditurus. Ordinarie usque ad horam no-

§ 44. *Postquam per plures horas confessiones audivit, Missam dixit.*

nam cum dimidia et etiam decimam confessionibus audiendis occupatus fuit, deinde decima regulariter hora sacram Missam celebrabat. Aliquando tantum hora undecima cum dimidia sacram Missam celebrabat, quia antea semper cum poenitentibus occupatus erat. In sacro tribunali mitissimus et simul gravis erat; brevis, sed tamen exactus. Ejus verba ita ad rem erant, et adeo commovebant, ut non solum uno die, sed per plures dies cordi impressa manerent, et consolationi ac directioni servirent. »

§ 45. *Fuit confessarius mitissimus.*

Et *fol.* 382. « Ad ejus sacrum tribunal viri quoque nobilissimi et doctissimi expectabant. »

§ 46. *Viri nobilissimi et doctissimi pariter ac pauperes V. Servum Dei confessarium sibi elegerunt.*

Juxta 31. *Interr. fol.* 397. *ter. respondit*: « Quantum ipsi salus animarum proximorum cordi fuerit, patet ex ejus vere apostolica industria in pulpito, nec non zelo indefesso in sacro tribunali. Jam dixi Ven. Servum Dei hora tertia matutina quotidie e lecto surrexisse, ut poenitentibus audiendo confessiones satisfaceret; tum in ecclesiam Mechitaristarum se contulit, ubi jam ab hominibus, qui apud eum peccata confiteri cupiebant, expectabatur; inde in nostram ecclesiam venit, tamdiu confessiones excepturus, usque dum aliquis ad sacrum tribunal se sisteret. Abundantem charitatem Ven. Servus Dei poenitentibus suis exhibuit. Ven. Servo Dei ad confessiones excipiendas veniente non nunquam sorores sese excusaverunt, quod nondum essent praeparatae; ipse vero: « Venite modo, dixit: adjuvabo vos, » et deinde revera sorores praeparabat cum amore et patientia, conscientiam cum eis examinans et saluberrimas monitiones eis faciens. Saepe sorores inter se loquebantur de solatio, quod ab eo accepissent, et quomodo ille omnes ipsarum cogitationes novisse videretur. »

§ 47. *Poenitentium animas consolatione implevit.*

X. Testis (Emus Cardinalis de Rauscher), *fol.* 450. *deposuit*: « Per totum diei decursum cultu divino, functionibus sacris et laboribus pro animarum salute susceptis occupatus erat. Binis quavis hebdomade diebus ad ecclesiam ab ejus habitatione valde distantem summo mane pedes se contulit, ad confessiones ibi excipiendas. Redux in ecclesia ad Sanctam Ursulam quam regebat, Sacramentum poenitentiae dispensavit. Praeterea directionem spiritualem sanctimonialium S. Ursulae, quarum confessarius fuit, summa religione ac diligentia gerebat. »

§ 48. *Per totum diem cultu divino et audiendis confessionibus occupatus fuit.*

XII. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 600. *ter. respondit*: « Quotidie audiendis confessionibus occupatus erat, ejus verba simplicia quidem erant, sed corda movebant. »

I. Testis ex officio *juxta* 28. *Interr. fol.* 686. *ter. respondit*: « In sacro quoque tribunali valde simplex erat, sed quisque ejus verba libenti animo excepit, et alte in corde suo reposuit. »

II. Testis ex officio *juxta* 28. *Interr. fol.* 743. « Quae Ven. S. D. pro infirmis moribundis, pro conversione peccatorum fecit et operatus est, in omnium adhuc ore est. Sicut P. Doll,

fidelis V. Servi Dei discipulus, quo novitius magistro usus sum, mihi narravit, qualibet hebdomada, frigido etiam hiemis tempore pluries primo mane in suburbium se contulit, ut in ecclesia Mechitaristarum homines pauperes et mala valetudine laborantes confessiones excipiendo adjuvaret. Ibat vero pane onustus, quem inter pauperes dispensavit. Postquam confessiones audiverat, in ecclesiam Ursulinarum properavit, ut hic quoque poenitentibus cum expectantibus satisfaceret. Zelus animarum limites non noverat. De peccatore aliquo obstinato certior redditus ante Sanctissimum prostratus pro ejus conversione lacrymando preces fundebat. »

§ 49. *Poenitentibus pauperibus panes attulit.*

(Ex Processu Ordinario)

VI. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 219. *ter. respondit*: « In sacro tribunali indefesse laborabat, perficiens ibi, quod coeperat in pulpito, opus conversionis et sanctificationis. In sacro tribunali omnibus praesto erat, summaque cum charitate et prudentia procedebat. Ejus charitas, prudentia et zelus in pulpito et in sacro tribunali potenter movebat animos omnes, ita ut quos metebat fructus, insoliti debeant dici. »

§ 50. *In sacro tribunali charitate et prudentia enituit.*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 421. *respondit*: « Ejus tamquam confessarii et moderatoris charitatem ipse ego expertus sum, beatus semper, cum prope eum esse, vel cum eo deambulare possem. »

§ 51. *Morti proximus adhuc confessiones audiebat.*

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 109. *ter. respondit*: « Summa jam laborabat debilitate et morti proximus nonnullos tamen admisit viros, quorum exciperet confessiones. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 145. *ter. respondit*: « Infirmos... in dissitis etiam locis invisebat, pessima haud obstante tempestate; idem etiam fecit, ut piis quibusdam personis confitentibus aures praeberet. In peregrinatione ad B. V. Mariam in Maria Zell privatim instituta testis quondam fui profundi doloris Servi Dei, cum in Dornaviensi Ecclesiola centum circiter inveniremus peregrinos, pro quibus Sacrum persolvere desiderabat, quod autem jam antea peregerat; tunc saltem, quotquot poterat, eorum excipiebat confessiones. »

XXIV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 501. *respondit*: « Indefessus erat in excipiendis confessionibus, in visitandis aegrotis, in docendis ignorantibus, et uno verbo in omnibus sacerdotalibus suis muniis. Erga obstinatissimos quoque peccatores clementem et benignum se praebuit. »

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 201. *respondit*: « Servus Dei quemadmodum Clerum magni faciebat, ita etiam lapsos erigere satagebat. Anno 1816. vir vilissimo indutus habitu ad Patrem Hofbauer venit. Sub mira ista veste latebat sacerdos infelix ex Gallia qui praestiterat juramentum constitutionis, quod vocant, portans litteras directivas a Nuntio Severoli datas, et continentes absolutionis facultatem a S. Sede obtentam. Boni Pastoris instar Servus Dei eum exce-

§ 52. *Lapsos erigebat.*

pit. Post aliquod tempus P. Hofbauer mihi mandavit: « Tonde ipsi capillos longos, et fac ei tonsuram, ut possit peragere sacrum. »

§ 53. *Assiduitas Servi Dei in reconciliandis poenitentibus.*

XXIX. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 581. *ter. respondit*: « Praeter monialium confessiones, quas horis pomeridianis excipere solebat, Pater Hofbauer poenitentiae Sacramentum extensissimo administrabat modo. Quovis die in sacristia ecclesiae S. Ursulae per plures horas matutinas pro sacro sedebat tribunali. Praeterea bis in hebdomade jam horta quarta matutina in dissitum S. Ulrici suburbium ad ecclesiam Patrum Mechitaristarum se contulit, ubi magnum poenitentium habebat numerum, et inter horam septimam et octavam matutinam inde ad S. Ursulae reversus ibi denuo pro sacro tribunali sedebat. In isto munere Pater Hofbauer insignitus erat dono, paucis verbis poenitentes instruendi, corrigendi, consiliandi, ad contritionem, et firmum propositum movendi vel incitandi; quodvis ejus verbum in poenitentis cor descendebat; nunquam audivi, aliquem poenitentem ab eo recessisse non contentum, vel cui satisfactum non esset. »

§ 54. *Quibus omnibus pro variis eorum indigentiis satisfaciebat.*

XXX. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 615. *ter. respondit*: « Eadem vi etiam in sacro tribunali verbis suis operabatur animarum conversionem et sanctificationem. »

XXXIV. Testis *juxta* 38. *Interr. Proc. fol.* 657. *ter. respondit*: « Ejus monitiones in sacro tribunali datae simplicissimae erant, et altissime penetrabant animam. »

ARTICULUS VIII.

Infirmis ac moribundis paterna cum charitate et sollicitudine V. S. D. adsistebat.

(Ex Processu Apostolico)

§ 55. *Abundabat charitate erga infirmas Moniales.*

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 398. *ter. respondit*: « Attentissima charitate usus est cum infirmis. Valetudinarium nostrum quotidie invisebat. Soror Antonia, aetate provecta et mente nonnihil debilis, diu erat in valetudinario. Ven. Servus Dei, antequam eam inviseret, in hortulum domus nostrae intravit, aliquot flores quaerens, quos aegrotae attulit. Quodsi flores deessent, aliquam rem parvam donavit; qua de re haec per totum diem gaudebat. Valde sollicitus fuit, ut cuilibet moniali, morti proximae auxilium spirituale praestaret, et nulla hora fuit sive diei, sive noctis tempore, qua ad hoc charitatis opus paratus non fuisset. Haud raro per totam noctem vigilabat, ut graviter aegrotis statim post mediam noctem sacram communionem afferret. »

Et *fol.* 406. « Quodam die Ven. Servus Dei instanter rogatus est, ut viro morti proximo, sed divina Sacramenta recipere nolenti assisteret. Erat vir conspicuus, qui ut ejus valde

angustiata mater et ejus pia uxor illi communicaverant, per viginti duos annos confessus non amplius fuerat. Hodie etiam assistentiam cujusque sacerdotis respuebat. »

§ 56. *Virum in peccatis tabescentem et obstinatum morti proximum convertit.*

Ven. Servum Dei ante se conspiciens vehementi ira correptus est, et conviciis et contumeliis affectum abire jussit. At Pater Hofbauer non cessit, sed ei proposuit: « Quicumque iter aggreditur de viatico providet sibi: et tu iter tam longum aggressurus recusas media ad felix iter necessaria, idest Ecclesiae Sacramenta. Esto, quaeso, prudens. » Sed cum quaelibet adhortatio irrita esse videretur, et aegrotus Ven. Servum Dei continue rejiceret, Ven. S. D. recessit, abire simulans, sed in foribus cubiculi consistens, aegrotum observavit. Hic autem eum inclamans dixit: « Quid ibi vis? Abi, et sine me in pace ». Sed Ven. Servus Dei respondit: « Nequaquam nunc discedo, jam jam enim finis tuus prope est, et videbo, quomodo moritur damnatus ». Quibus verbis perterritus aegrotus conquievit, et accersiti Servi Dei admonitionem prompto animo excepit, et corde contrito confessus in pace Domini obiit; firmiter adstringens ad pectus suum manum Patris Hofbauer, qua hic crucem tenebat. Primum verbum, quod moribundus conquiescens ad Ven. Servum Dei dixit, hoc erat: « Reverende Domine, potesne mihi omnia opprobria, quibus te affeci, remittere? » Cumque Ven. Servus Dei respondisset: Omnia jam remissa sunt, ille dixit: At vero Deus mihi non remittet peccata mea, et haec dicendo copiam lacrymarum profudit. Sed Ven. Servus Dei ei dixit: « Unus est bonus, Deus; elice actum doloris de peccatis tuis, et omnia remittentur tibi ». Deinde ejus confessionem excepit, et Ven. Servus Dei hoc factum nobis narravit, tamquam evidens documentum extraordinariae et incomprehensibilis misericordiae Dei. »

§ 57. *Singulare charitatis documentum.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 357. *respondit*: « Novum argumentum charitatis et simul prudentiae, qua Venerabilis Servus Dei etiam pervicaces animas lucrari, et immutare sciebat, sequens est factum: quod tamquam testis oculata, et aurita referre possum:

In eodem valetudinario, in quo eo tempore fui, quaedam soror annis provecta nomine Antonia curabatur: haec autem modo se gerendi moroso et molesto magis quam infirmitate sua sororibus oneri fuit. Quodam die Ven. Servus Dei eam inviseus, et charitatis viscera exhibens colloquiis suis de rebus domesticis (soror enim sermone de rebus spiritualibus non tangebatur) ejus cor penitus lucrari sciebat; maxime vero commota fuit, cum ei deambulationem per ambitus conventus proponeret, et aegre meantem ipse adjuvaret. Tanta suavitas et compassio sororem penitus immutavit, patiens et hilaris facta est, et sororibus ei inservientibus non amplius taedio et oneri fuit. Postea si hanc deambulationem ei in memoriam revocabant, statim pacatior et placidior facta est, et characterem morosum superavit. »

§ 58. *Plurimos in peccatis a multis annis tabescentes convertit.*

Fol. 353. « Multos magnos peccatores, qui a triginta, vel a quadraginta annis peccata sua non erant confessi, convertit, cum Deo reconciliavit et precibus et assistentia sua felicem obitum eis impetravit. »

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 174. *respondit*: « Nullus labor vilior ei videbatur, si charitatis officium cuidam exhibere poterat. Ego ipse, quo tempore sacerdos ordinatus sum, ejus charitatem expertus sum. Cum enim Ven. Servum Dei visitarem, me invitavit ut apud ipsum pranderem, sum enim (ait) solus domi, venias igitur hora media post meridiem. Ipse mihi ministravit, mensae vero non assidebat, sed per cubiculum meando edebat. Cumque tum haud bene valerem, ipse lectum parabat, et dixit bonum esse, ut qui infirma esset valetudine, post prandium per aliquod tempus quiesceret. Elapsa media hora venit, ut secum me duceret, ac in suburbium eum comitatus sum.»

§ 59. *Testi infirmanti hospitium praebet.*

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 312. *respondit :* « Scio etiam, V. S. D. libentissime et cum summa charitate infirmos visitasse, consolatione refecisse, et tum corporibus, tum animabus auxilium praestitisse. Cum animo prompto, imo cum gaudio cordis ad eos se contulit, etiamsi in locis valde dissitis habitarent. Qua charitate cor Ven. Servi Dei erga incredulos affectum fuerit, gaudium monstrat, quod in conversione animae manifestavit, nec non exhortatio continua, ut pro incredulis et neo-conversis preces funderentur. »

§ 60. *Etiam in locis dissitis infirmis assistebat.*

I. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 689. *ter. respondit*: « Audivi quoque Ven. Servum Dei libentissime infirmos visitasse, et cum multo fructu eorum saluti incubuisse, et notum mihi est, ipsum juvenem virum Calvinianae confessionis, Liberum Baronem Rieger morti proximum convertisse, et postea etiam ejus fratrem, qui sacerdos factus est, fidei catholicae lucratum fuisse. »

§ 61. *Infirmum Calvinianum convertit.*

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 744. « Notum est, ordinarie Ven. Servum Dei fuisse vocatum, si in quocumque situ obstinatus peccator moriens decumbebat, et raro quis ejus hortationibus restitit. »

§ 62. *Confirmantur dicta* § 56.

Aliquando ad peccatorem obduratum vocatus est, qui quamvis morti proximus, divina Sacramenta recipere recusavit. Promptus, uti semper, eo se contulit, per viam juxta consuetudinem sacrum Rosarium recitans. Verbis benevolis infirmum hortatus est, ut ultima Sacramenta reciperet; sed frustra; nam verbis contumeliosis Ven. Servum Dei a se repulit. Is vero non tam facile locum cessit; consedit et Rosarium recitavit. Quidnam hic vis? dixit infirmus, et Servus Dei tranquillus respondit: « Multis moribundis adstiti, eosque feliciter morientes vidi: hodie videbo quomodo peccator obduratus moritur.» Tunc recitare continuavit. Illa verba peccatorem vehementer commoverunt, post breve tempus injuriam deprecatus est, confessionem lacrymans et contritus fecit, et ultima Sacramenta recepit. Casus similes

saepius accidisse dicunt, et vi orationis et monitionis multos ad agnitionem, et contritionem peccatorum perduxit.»

Et *fol.* 753. *ter. respondit:* « Quae pro pauperibus infirmis fecerit sunt facta notoria. In ultima adhuc infirmitate, cum vix incedere posset, infirmo Patri Stark servitia praestitit.» Concordant I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 170. *ter.* (supra num. 9. art. V.) I. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 688. *ter.* (supra num. 9. art. V.) II. Testis ex *Proc. ordinario* hoc num. art. V.

§ 63. *Ipse infirmus infirmo Socio servitia praestitit.*

(Ex Processu Ordinario)

I. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 103. *ter. respondit:* « Quot invisebat infirmos, nemo poterit numerare.»

Et ad *art.* 134. *fol.* 123. *ter. respondit:* « Scio, Patrem Hofbauer aegroto P. Martino Stark officia praestitisse, nobisque dixisse: *Plus ipso ego infirmor.* »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 145. *ter. respondit:* « Infirmos et egenos, quibus saepe asportabat sub pallio jusculum et alia alimenta, in dissitis etiam locis invisebat, pessima haud obstante tempestate. »

§ 64. *Infirmis esculenta asportavit.*

Et *infra fol.* 149. *juxta idem inter.* « Celebrem ophthalmiatrices Professorem Vindobonae, Doctorem Barth, apertum Atheistam, liberum murarium et cynicum ad mortem decumbentem adire rogatus Servus Dei, quamvis durum hominis modum agendi et incredulitatem haud ignoraret, absque haesitatione viam arripuit ad ejus villam. Intrantem aegrotus, rerum antiquarum collector, his allocutus est verbis: « Revera Apostoli caput » cui illico Pater Hofbauer reddidit: « Revera Socratis caput. » Infecta re discessit, attamen quodammodo amice. »

§ 65. *Incredulos eutrapelia, non contumeliis expugnare studebat.*

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 254. *ter. respondit:* « Aegrotis Servus Dei verus, tener et admodum sollicitus erat pater; qua charitate et sollicitudine spirituale aegris ferret auxilium, verbis exprimi nequit; nec die, nec nocte ab eorum recessit lecto, praesertim graviter tentatis alacriter assistebat. »

§ 66. *Diu noctuque infirmis tamquam Angelus consolationis adstitit.*

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 295. *ter. respondit:* « Qua tenera charitate in aegrotos ferretur, Vindobonae neminem latebat. Eos saepissime invisebat, consolans et officia praestans corpori et animae. In dissitissimis suburbiis eos quaerebat, res maxime necessarias eis procurans. »

XII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 328. *respondit:* « Scio ex propria experientia, Servum Dei pro eo amore, quo aegrotos amplexabatur, rigidissima etiam hyeme et tristissima non obstante tempestate eos invisisse usque in serum noctis, et per viam recitasse Rosarium, et vespere parvam in manu portasse lanternam. Pater meus diuturno morbo decumbebat, nobisque revera Pater Hofbauer fuit angelus consolationis. »

III. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 178. *ter.* « Qua prudentia et charitate errantes reduxit ad semitam rectam, testari possum sequenti, quod ego ipse vidi, facto. Fratrum meorum unus, Josephus nomine, pro mercatorum ordine destinatus fuit, quae occupatio juveni vivaci arida videbatur. Multa ipse legerat, praesertim litterae elegantiores eum attrahebant. Propensione ad scenicos ludos motus Pragam profectus est, et actoris elegit partes. Quo passu audito pater me misit Pragam, ut fratrem a proposito reducerem. Vespere ibi adveni, theatrum adii, et fratrem vidi in scena actorum. Cum debili instructus esset voce, ipsi dixi, ob corporalium virium defectum eum in scena non esse habiturum successum. Verbis meis benigne exceptis, theatro valedicens mecum Vindobonam in paternam reversus est domum. Legendo et actorem faciendo fidem perdiderat, et saepe morosus et tristis erat. Quodam die ad Patrem Hofbauer eum adduxi, qui ut rediret, eum invitavit, et post longum colloquium ei dixit: « Amice, ante omnia sacramentalem confessionem peragas oportet, quam si sincere peregeris, lux tibi orietur. » Videns P. Hofbauer, hoc consilium fratri meo parum placere, paterni amici instar colloquium cum eo instituit de vita anteacta. Josephus fiduciam nactus totius vitae rationem ei exposuit, bona et mala. Quo finito Pater Hofbauer respondit: Optime, amice, confessio jam facta est, procumbe in genua, absolvam te a peccatis tuis, et requiem tanto tempore desideratam invenies. — In alium hominem mutatus frater meus domum reversus narravit jubilans, quae se inter et Patrem Hofbauer accidissent. Aegrotum postea Josephum Pater Hofbauer aliquoties invisit, sed obiit durante adhuc morbo fratris mei, et Josephus mortis nuntio accepto per aliquod tempus nullum admisit solatium, exclamans: « Vae mihi, antecedere me debet in morte optimus et paternus meus amicus. » Sed et ipse mox secutus est Patrem Hofbauer. Obiit in Dei voluntatem penitus resignatus. »

§ 67.
Errantes ad rectum tramitem reduxit.

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 587. *respondit*: « Magna cum promptitudine aegros invisebat et praeprimis aegri conditiones spirituales ante oculos habebat. Unde etiam tamquam medicus spiritualis et aegrorum consolator fama fruebatur Vindobonae longe lateque diffusa, ita ut in difficilibus praesertim et quasi desperatis casibus saepius vocaretur ad aegrotos irreligiosos. Ejus eximia charitas, comitas et illa animi teneritudo familiaris, qua confidentiam et propensionem aegrotorum conciliare noverat, una cum gratia divina semper fere felicem produxit conatuum successum. Praeterea datis certis occasionibus edixit ipse, Beatae Virginis intercessionem, cujus Rosarium ad aegrotum pergens recitabat, huic gratiam obtenturam esse, ut cum submissione et contritione moreretur. »

§ 68.
Visitando infirmos uberrimos fructus collegit.

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 206. *respondit*: « Observavi etiam, Patrem Hofbauer cujusvis conditionis aegrotos sac-

pe visitasse, ut eos in doloribus consolaretur, et ad iter supremum bene praepararet. »

ARTICULUS IX.

Ven. S. D. fuit revera Pater Pauperum.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 173. *ter. respondit*: « Saepe audivi, eum infirmis et pauperibus panem et carnem et alia alimenta attulisse. Scio ipsum cibos ex conventu Ursulinarum missos meridie et vespere pauperibus et studentibus dispensasse. Cum in Conventu Bruck artem pistoriam exerceret, quantum potuit adlaboravit, ut currentibus annis famis et tempore typhoidis ex fame natae anno 1771. famelicis Bohemis, qui gregatim ad portam conventus frustulum panis expectabant, succurreret; sed plurimi ibi mortui sunt, stomacho cibum porrectum recusante. Quanto dolore tum ejus cor compatiens transfixum fuisse credendum est, quia plus efficere non poterat, et multi ex typhoide perierunt! »

§ 69. *Cibos suos inter pauperes et studentes dispensavit.*

II. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 222. *ter. respondit*: « Admiratus sum in eo aciem mentis, sobrietatem spiritus, continuum orandi zelum, constantiam inconcussam virtutum, studium nunquam intermissum perfectionis, amabilem urbanitatem in usu nobilium et plebejorum, magnam prudentiam in agendo, sinceram gratitudinem pro benefactis, animum intrepidum inter persecutiones, magnam modestiam in verbis et factis, suavitatem teneram in docendo et corrigendo, inexhaustam beneficentiam erga egenos. »

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 240. *ter. respondit*: « Ad probandum ejus charitatem proximi ex ore parentum referre possum, Ven. Servum Dei saepe panem et cibos inter pauperes distribuisse, et quidem tam liberaliter, ut famis propriae oblivisceretur. Ipse etiam sub pallio suo alimenta ad egenos portavit. »

Et *fol.* 241. *ter.* V. S. D. in exercitio immensae suae charitatis usque adeo progressus est, ut omnes cibos ei allatos inter egenos hora meridiana ejus cubiculum obsidentes distribueret, ita quidem, ut nihil sibi superesset. Cum vero admoneretur, ut ipse quoque fami consuleret, respondit: « Quid ad vos, si jam satur sum? »

IV. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 255. *ter. respondit*: « (Varsaviae) infantes suscepit educandos, quorum numerus centum quandoque superabat. »

VII. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 301. *respondit*: « Plures etiam instituta et scholae infantium et orphanotrophium pro pauperibus ibi (Varsaviae) erecta sunt. »

§ 70. *Charitas proximi limites non noverat.*

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 311, *ter. respondit*: « Charitas proximi Ven. Servi Dei vere limites non noverat. Adjuvabat

ubicumque poterat. Nulla fatigatio ei nimia, nulla via longior erat, ubi in necessitatibus temporalibus et spiritualibus auxilium praestare poterat. Opem ferre semper ei deliciae erant. »

§ 71. *Nutrimenta pauperibus asportavit.*

Et *fol.* 312. Pauperum V. S. D. particularem curam habuit. Saltem quolibet Sabbato in sacristia Ursulinarum eum panes inter pauperes dispensantem vidi. Saepe etiam sub mantello nutrimenta ad pauperes portabat. »

§ 72. *Moniales S. Ursulae in necessitatibus adjuvit.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 354. *respondit:* « Singulari charitate et ingeniosa sollicitudine pauperibus subveniebat. Nos moniales prae caeteris pauperibus maxima documenta charitatis accepimus, nam ejus paterno cordi proximae fuimus. Eo vero tempore pro nostra existentia temporali tali sollicitudine summopere indiguimus; nam reductione debiti publici non solum reditus et summas capitales conventus perdidimus, sed etiam domus nostra gravi aere alieno onerata est: unde aliquando deerant nobis, quae ad sustentandam vitam maxime necessaria sunt. Deerant hiemis tempore ligna ad calefaciendum, medicamenta pro infirmis, imo etiam alimenta ad prandium. Quodam die in conventu omnia ita deerant, ut oeconoma, quo se verteret, ignorans prae miseria et penuria lacrymas funderet. Tum sororum una dixit: « Indigemus pisce muto, prout tempore Apostoli Petri. » Sed qualis fuit consolatio nostra a nemine expectata, cum eodem adhuc die Ven. Servus Dei Conventum ingressus subridens, dixit: « Ego sum piscis mutus, » et eodem momento crumenam auro plenam tradidit, quo factum est, ut illico modo mirabili non solum necessitatibus vitae providere, sed etiam partem debiti solvere possemus. Ab eo die in nostro conventu magna immutatio quoad temporalia facta est, et non amplius simili pressae sumus penuria. An Ven. Servus Dei ea verba de pisce muto ipse audierit, an vero alia via eorum habuerit scientiam, non recordor; sed hoc scio, ejus sollicitudinem ad omnia negotia et necessitates nostras se extendisse et adjutorem se exhibuisse, ubicumque juvare poterat.

§ 73. *De singularum monialium necessitatibus curam habuit.*

Quodam die sub pallio agnum nobis portavit, alia vice cereis onustus ad nos venit; quidquid a benefactoribus ad mitigandam miseriam nostram accipere poterat, nobis detulit, ut nos adjuvaret et consolaretur. Ven. Servus Dei de nostro profectu spirituali et temporali non tantum curam generalem habuit, sed ejus charitas et providentia ad quamque singulam religiosam se extendebat, et quidem eo in gradu, ut quaelibet opinari posset, ipsum pro illa sola sollicitum esse. Hoc quidem ex propria experientia dicere possum, eum cum tanta charitate et industria mei curam habuisse, quasi unica inquilina conventus fuissem. Res omnes, quae mihi cordi erant, vel me angustiabant, quasi ad se ipsum spectantes considerabat: me contra quasdam religiosas parum mihi faventes protegebat et defendebat, et post Deum manifeste Ven. Servo

Dei gratum acceptumque refero, quod non obstante infirma mea salute ad sacra vota admissa sum. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 400. *respondit*: « Quantum V. S. D. etiam de fortuna temporali proximi sollicitus fuerit, factum sequens probat. Conventus noster aliquando, videlicet post notam pecuniariam Austriae ruinam, in conditione valde miseranda positus erat, et reditus nostri vix summe necessariis acquirendis sufficiebant. Nemo tanta penuria adeo afflictus est sicut Ven. Servus Dei. Nullam non operam dedit, ut benefactores inveniret, qui conventus nostri existentiam redderent possibilem, et Dominus ejus studiis et laboribus benedixit. Die quodam Archidux Rudolphus, Cardinalis Archiepiscopus Olomucensis, nostrum conventum invisit, et discessurus ad Ven. Servum Dei conversus dixit: Vere, Pater, ex ore tuo Sancti Spiritus resplendet gaudium, nec minus ex ore sororum. Pater Hofbauer se incliuavit dicens: « Et tamen ingemiscimus sub gravi penuria, et debitorum onere, quod nos pene opprimit, conventus enim parum abest, ut dissolvatur, nisi venerit auxilium. » Quibus dictis Cardinalis promisit, intercessurum se esse pro conventu apud suam Majestatem, et revera paulo post duo venerunt viri de mandato suae Majestatis, nempe Comes Wildschek et pater monialis nostrae Mariae Ignatiae de Pflegers, qui nostra solverunt debita. Conventus noster erat salvatus et in tuto collocata ejus existentia. »

§ 74. *Apud Archiducem Rudolphum pro monialibus intercessit.*

« Eo ipso tempore, quo conventus noster summa penuria opprimebatur, ego habitum religiosum induta sum, et Superiorissa mihi dixit: Nova calceamenta, qualia religiosae portant, tibi procurare non possum; oportet, ut calceos, quos e saeculo tecum portasti, adhuc induas. Cum vero exercitiis vacarem, venit Pater Hofbauer, et duos calceos novos, sicut in conventu portantur, mihi attulit dicens: Experimentum fac, an tibi conveniant, et si non sunt apti, alios emam. Erant autem omnino apti, eosque per annos triginta quatuor portavi; nam quantum potui, iis peperci et propter venerationem Ven. Servi Dei summis tantum festivitatibus iisdem usa sum. Patres Mechitaristae Vindobonae existentes a Ven. Servo Dei multa documenta charitatis receperunt. Cum Vindobonam venissent, linguae germanicae non erant probe gnari, nec conditiones locorum noverant; unde Ven. Servus Dei curam eorum suscepit, et etiam per tres hebdomadas apud illos habitavit, et consilio et opere in omnibus eos adjuvit. Saepius etiam in eorum ecclesia praedicavit, et usque ad obitum suum qualibet hebdomada semel vel bis primo mane poenitentium confessiones excepit, et omnia, quae ad preces sic dictas quadraginta horarum necessaria sunt, eis procuravit. »

§ 75. *Facto singulari charitas probatur.*

§ 76. *Patribus Mechitaristis documenta charitatis exhibuit.*

Et *fol.* 304. « De pauperibus Ven. Servus Dei tantam sollicitudinem habuit, quasi eorum pater secundum carnem fuisset. Adjuvit eos, in quantum potuit, quoad cibos, vestimen-

§ 77. *Pauperum quoque Militum misertus est.*

ta, et quacumque alia ratione, sicut eorum necessitates postulabant. Divinae providentiae totum se committebat, et confidentia ejus non est confusa, semper benefactores inveniebantur, qui V. Servo Dei dabant, quod inter pauperes dispensaret. Pauperes quoque militares invalidos ejus charitas amplectebatur, et saepe turmae eorum ad nostrum conventum venerunt, inter quos Ven. Servus Dei ciborum reliquias et alia, quae acceperat, dispensavit. »

§ 78. *Misericordiam spiritualem eleemosynae addidit.*

X. Testis (Emus Cardinalis de Rauscher) *fol.* 450. « Frequenter pauperes visitabat, eleemosynam afferens et monita salutis superaddens. Neque prandii tempore quiescebat, nam circumdatus erat egentibus, quibus cibos divisit, vestigiis inhaerens Domini, qui non venit ministrari, sed ministrare. »

§ 79. *Testis ejus charitatem experta est.*

XVII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 601. *ter. respondit*: « Cor plenum charitate erga egenos gerebat; juvabat ubi poterat, erat consolator pauperum, et pro posse auxilium eis ferebat. Ipsa ego per eum praeclarissima documenta charitatis proximi experta sum, quamvis enim plane ignota essem, tamen tamquam pater pro mea sustentatione, nutrimento et habitatione curam habuit, et obligatam me sentio ad profitendum, ipsi tantum post Deum referendum esse, quod in conventum recepta sum. »

I. Testis ex officio *juxta* 24. *Interr. fol.* 679. *respondit*: « Vindobonae duo cubicula cum vilissima supellectili parata inhabitabat. Semper a pluribus juvenibus circumdatus parcum victum cum iis dividebat. Quod si inter prandium pauper venit, unicam patinam, quam P. Hofbauer ad mensam habebat, eidem dabat, et cum suis juvenibus jejunabat. »

§ 80. *Praecipue pauperes studentes juvabat.*

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 689. *ter. respondit*: « Pauperibus et egenis V. S. D. plurima beneficia exhibuit. Narratum mihi est, V. Servum Dei summo mane, saepe jam hora quarta pane aliisque rebus onustum ad ecclesiam processisse, et quod apportabat inter illos, qui eum expectabant, distribuisse. Praecipue pauperes studiosos adjuvabat et infantes egenos: illis apud personas divites prandium procurabat. Particularem amorem infantibus exhibuit, et raro aliquem infantulum absque dono dimisit; cum iisdem conversando laetabundus jocabatur. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 750. *respondit*: « Varsaviae pro orphanis pueris et puellis asyla erexit, eleemosynas pro iisdem quaesivit, et multa opprobria passus est; sed ea contempsit, et quae a Deo speravit, semper felicissime obtinuit. Dixit aliquando: Si omnes nummos, quos Varsaviae pro pauperibus recepi et iisdem applicavi, in uno sacco haberem simul, vir solus portare nequiret. »

Et *fol.* 753. *ter.* Quidquid habuit, pauperibus dedit, et quavis fere hebdomada panem pauperibus in suburbia portavit. »

(Ex Processu Ordinario)

I. Testis ad *art.* 63. *fol.* 121. *ter. respondit*: « Scio, eum saepe apportasse sub pallio panem pauperibus; mihi quoque, cum ipse aegrotaret, quondam mandavit, ut duos panes duobus pauperibus verecundis asportarem. »

§ 81. *Confirmatur, quod cibos portavit ad infirmos et egenos.*

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 145. *ter. respondit* : « Cibos non solum portabat ad infirmos; sed et conservare solebat in camera prope cubiculum suum residuos cibos ex piscibus, carnibus et etiam farina confectos, quos tum ex Ursulino conventu, tum ab aliis personis oblatos studentibus suis distribuebat. Quod quidem ordinarie quovis die peragebat. »

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 206. *respondit*: « P. Hofbauer erat etiam Pater pauperum, et ut egentium sortem mitigaret, permulta fecit. Pauperibus in domum venientibus panem, cibos et quidquid in manu habebat, dedit; etiam in sacristia monialium distribuebat in eos eleemosynas, tum in sudario tum in magno pallii sacco reservatas, imo Servus Dei sub pallio illis asportavit panem communem, panem triticeum rotundae et cornutae formae usque in suburbia, ubi habitabant, verba consolationis semper dono adjungens. Anno 1817. communi penuria insignito, quodam die pictor Patrem Hofbauer adiit, conquerens de egestate et de laboris defectu. Servus Dei non solum contribuit illi ad vitam sustentandam, sed ut melius eum adjuvaret, Beati Alphonsi imagines ab eo pingendas curavit. Die quodam P. Hofbauer mihi: *Accipe,* inquit, *ibi pallium meum , quodque in eo inveneris, porta ad pauperem istum pictorem.* Qui quidem pictor non solum pauper erat, sed et verecundus, ita ut mendicare erubesceret. Eandem magnanimitatem Servus Dei in centum occasionibus demonstravit. Quis ideo miretur, quod tantus pauperum numerus patrem suum in Domino defunctum in lacrymas solutus ad sepulchrum sequeretur. Providentia divina quavis hebdomade misit Servo Dei, quod distribueret pauperibus. Singulis feriis sextis ex conventu Salesiano duos grossos petii panes; Servus Dei ipse ab opulento pistore parvos panes sub pallio afferebat, Pater Martinus Stark eos a pistore, nomine Appich, nunc jam defuncto, ex viculo Rauhensteingasse asportabat, vel hic posterior panes suos misit in Servi Dei habitationem. Ita Servus Dei in sua de pauperibus sollicitudine indefessus erat. »

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 233. *respondit*: « Testis ipse ego fui, Patrem Hofbauer cujusdam conventus prope Jestetten siti Moniales perpetuae SS. Sacramenti adorationi addictas, quae ob rei domesticae gerendae inscitiam eo usque devenerant, ut a dissolutione parum abessent, consilio suo adeo adjuvisse et opere, ut post duorum annorum spatium ad bonum redigerentur statum. »

§ 82. *Moniales perpetuae adorationis adjuvit.*

§ 83. *Pauperes clericos gratis suscepit.*

Ejus charitatem erga proximum quod attinet, ad ea omnia me refero, quae de ejus laboribus Varsaviae et alibi exantlatis adduxi, illud addens, eum omnes, in quibus propensionem et ingenium pro statu clericali detegebat gratis et absque dote suscepisse.»

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 254. « Servus Dei peculiaris domus nostrae erat benefactor. Ob bellorum infortunia opes nostrae erant deperditae, nec tantum superfuit pecuniae, ut herbas ad jusculum parandum necessarias emere possemus. Cum debita crevissent eo usque, ut domus nostrae existentia periclitaretur, Pater Hofbauer nostri paterne misertus tantum pro nobis effecit, ut ab altissimis et altis personis large adjutae saltem id haberemus, quod erat absolute necessarium. »

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 295. *ter. respondit*: « Charitatem erga pauperes demonstravit, quando, ubi et quomodo poterat. Saepe abstinuit cibo, et quod habebat pauperibus distribuit. »

XII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 328. *respondit*: « Scio ex propria experientia, Servum Dei panem a matre mea acceptum sub pallio portasse, ut pauperibus eum distribueret. »

§ 84. *Quidquid haberet munifice largiebatur.*

IV. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 190. *ter.* « Addendum est hoc solum, Servum Dei se ipsum omnino nihili aestimasse; quod ejus beneficentiam attinet, quidquid habebat, dabat: haec ipsi erat vita. »

XV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 376. *ter. respondit*: « Scio a testibus oculatis, Servum Dei sub pallio suo panem et cibos pauperibus attulisse et cum illis ipsam suam coenam divisisse. »

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 421. *resp.*: « Servum Dei speciali in pauperes charitate fuisse animatum, sub pallio eis asportasse panem et cibos, coenam suam cum eis divisisse, nec raro, quidquid haberet, eisdem dedisse, ita ut sibi nihil remaneret, res sunt omnibus notae. »

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 543. *ter. respondit*: « Qua heroica charitate spirituali et corporali proximi necessitati succurrere satagebat, ea ex circumstantia patet, quod aetate jam provecta, et valetudine infirma, rigidissima etiam hieme hora quarta matutina a sua habitatione in dissitum suburbium ad Armenorum ecclesiam tenderet, pauperrimorum hominum et decrepitarum anuum excepturus confessiones panemque eis allaturus; quo finito, in Ursulinarum ecclesiam remeavit, ubi multis poenitentibus praesertim viris, inter quos et ego eram, praeberet aures. »

XXVIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 569. « De ejus erga pauperes amore, quae sequuntur, possum adducere. Quidam

§ 85. *Tempore egestatis panibus nutriebat inopes.*

Antonius Buchner Inspector domus cohortis praetoriae satellitum, Servi Dei discipulus et amicus mihi retulit, Patrem Hofbauer annis penuriae in sacro tribunali sub sede sua minores panes orbiculares positos habuisse, quos pauperibus distribuebat. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 587. « Amorem erga proximum Pater Hofbauer promptitudine monstravit et sollicitudine, qua proximorum necessitatibus corporalibus et spiritualibus pro viribus succurrere curabat. Personarum discrimen nullum omnino hoc in negotio admisit, quin imo pauperes speciali praerogativa gaudere videbantur: hospites pauperes aut omnino miseros ad mensam semper habebat, quibus alimenta pro se suisque accepta distribuebat. A personis fide dignis audivi, eum quotidie fere panem et alia victualia pauperibus asportasse. »

ARTICULUS X.

Nullius famam laedebat Ven. S. D., inimicos diligebat, et pro malis acceptis bona eis reddebat.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 174. *respondit*: « Verbum durum contra proximum aut superiores nunquam ex ejus ore prodibat. Sed pro inimicis, pro peccatoribus et haereticis preces fundebat; hoc saltem modo iis benefacere studens. » **§ 86.** *Pro inimicis orabat.*

III. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 242. *ter. respondit*: « Omnes persecutiones cum summa patientia et mansuetudine sustinuit. »

IV. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 258. *ter. respondit*: « Omnia opprobria et aerumnas patienter tulit. »

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 311. *ter. respondit*: « Charitas ejus etiam in inimicos extendebatur. Tum in pulpito tum in sacro tribunali dilectionem inimicorum inculcabat, et gravibus verbis monuit, ne quis dormitum iret, nisi antea inimicis ignovisset. « Remittite, dixit, et remittetur vobis. » Ipse non solum prompte et libenter offensoribus veniam dedit, sed etiam bona ei fecit, uti ex ore Patris Stark scio. »

Et *juxta* 34. *Interr. fol.* 316. *respondit:* « V. S. D. omnes persecutiones cum magna patientia pertulit, et nunquam de iis conquestus est. »

IX. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 421. *respondit*: « Ven. S. D. omnibus inimicis et injuriosis, si occasio se offerebat, non solum comem se exhibuit, sed etiam gavisus est, si iisdem beneficia reddere posset. Sic modo dictum officialem aulicum acatholicum cum summa urbanitate invitavit, ut veniret in habitationem suam, cum eo opportuna colloquia circa res fidei et salutis instituturus. « Nam (dixit) si coecus coeco ductum praebet, ambo in foveam incidunt. . . . Nunquam ex ore Ven. Servi Dei querelam contra adversarios ejus audiebas, et ut paucis dicam, de his personis omnino nihil loquebatur. » **§ 87.** *Nunquam de inimicis conquestus est.*

VIII. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 361. *respondit*: « Omnibus calumniis, quibus expositus fuit, mentem tranquillam et pa-

tientem opposuit; imo quautum novi, assidue in id incubuit, ut adversarios ad meliores sensus reduceret, eosque cum S. Ecclesia, et cum Deo reconciliaret, ita ut hac ratione, eorum maximus benefactor evaserit. Plures inter moniales a principio ejus amori et sollicitudini non cum gratitudine responderunt. Sed Ven. Servus Dei nulli signa solitae bonitatis et benevolentiae negavit, ita ut omnes tam illi faventes, quam minus ei propensae confiteri deberent, Ven. Servum Dei esse virum sanctum, et si aliquando severitate usus est, nulla tamen inter nos negare poterat, ipsum unice regularum observantiam et profectum virtutum intendisse. »

Fol. 362. Quamvis graves injurias et persecutiones pateretur, nullum tamen verbulum dixit, se pati. Cumque aliquando soror quaedam eum interrogaret, an non propter malitiam inimicorum ira moveretur, Ven. Servus Dei manum suam monstrans dixit: « Vide manum meam, non est sanguine conspersa, nondum sanguinem effudi. »

§ 88. *Facto charitatem erga inimicos probavit.*

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 753. *ter. respondit:* « Excelluit in eo amor inimicorum. Quamvis persecutionem passus, ejectus, cruciatus esset, nunquam ex ejus ore querela audita est. Hic documentum particulare charitatis inimicorum afferre debeo. Factum quidem vivum memoriae meae obversatur, sed causam scientiae meae indicare nescio. Iter faciens aliquando cum viro juvene, corpore et animo deperdito, in eodem curru sedebat; qui cum blasphemaret et imprecaretur, et Ven. Servo Dei irrideret, V.S.D. primo dulci modo eum monuit, et cum videret monita nihil proficere, tacuit. »

Cum vero ad proximum diversorium venissent, ille miserabilis juvenis de curru descendere non potuit; V. S. D. autem opprobriorum immemor, brachiis suis eum excepit, in diversorium tulit, et cibis refectum iterum in currum reportavit. Haec actio charitate christiana plena miserum ita commovit, ut Ven. Servum Dei deprecans diceret: « Si talem sacerdotem antea cognovissem, in hunc statum miserrimum non perveuissem. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 89. *Confirmantur dicta* § 87.

VI. Testis *juxta* 24. *Interr. Proc. fol.* 235. *respondit*: « Erga adversarios summa semper procedebat charitate. Ex ejus ore verbum improperii vel vituperii numquam est auditum. »

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 295. *ter. respondit*: « Ad inimicorum dilectionem saepe nos monuit. »

XII. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 328. *ter. respondit*: « Pater Hofbauer autem contra adversarios nullam iram in corde suo fovebat, sed iis verum exhibuit amorem. »

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 421. *respondit*: « Ex ejus ore nunquam audivi sententiam duram de proximis vel de inimicis; nunquam eum vidi irritatum vel commotum, coelesti

serenitate fulgebat frons habitusque exterior . . . Servus Dei commiseratus adversarios suos numquam verba vituperii aut damnosa de iis fecit. »

XVII. Testis *juxta* 24. *Interr. Proc. fol.* 450. *ter.* « Erga persecutores non solum nunquam ulciscendi cupidum sese monstravit, sed eis, ubicumque poterat, beneficia et charitatis praestabat officia; ac securus quis esse poterat, illatas injurias eo certius gratiam et promptitudinem ejus ad quacvis auxilia praestanda conciliaturas. »

XXIV. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 501. *respondit*: « Injuriis, quas patienter perferebat, affectus, nunquam aequanimitate decidit, et generatim in usu quotidiano plenus erat humanitatis. Etiam corporalia misericordiae opera pro viribus exercebat. Cibum a monialibus acceptum pauperibus studiosis distribuit, ac dona ab aliis habita in eleemosynam erogabat, praeterea etiam quoad posset officia praestare satagens. »

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 545. *respondit*: « Etiamsi lupum appellaret lupum, numquam tamen famam proximi loquendo laedebat; in hominum seductores sancta ira excandescebat. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 593. *ter. respondit*: « Quamcumque detractionem aut temerarium judicium abhorruit, neque passus est, ut se praesente effutiretur. Memoria teneo, eum narrando foeminae alicujus praedicasse charitatem, quod modo valde ingenioso defendere conabatur alterius factum, quod certa occasione malae subjacebat interpretationi. » § 90. *Gaudebat alienos defectus occuli.*

XXIX. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 599. *ter. respondit*: « Querelam ex ejus ore de inimicis audivi nunquam, nunquam verbum amarum: et tametsi in ejus vultu legere poteras dolorem, quem sentire debebat ob deperditam spem diffundendi Congregationem suam in Austria, semper tamen in eo videbas eam submissionem et hilarem animi pacem, qua cum Deo semper erat unitus. Pariter aderam, cum Pater Hofbauer rediret a visitatione supra memorata Domini parochi aulici Jacobi Frint, ubi intima ejus desideria, et continuae orationes felicem exitum quasi erant sortitae, et tunc etiam hilarem illam in Patrem Hofbauer vidi pacem, sancta in Deo laetitia sublimatam. Eo vespere de successu visitationis suae nullum fecit verbum. »

XXX. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 615. *ter. respondit*: « Obligatum me sentio admittere et confiteri, eum contra adversarios suos nullum certe aluisse odium; sed e contra saepe pro iis orasse. »

ARTICULUS XI.

Animabus in purgatorio detentis Ven. S. D. opitulari satagebat.

(Ex Processu Apostolico.)

§ 91. *Voluit, ut animabus purgatorii precibus et piis operibus succurratur.*

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 401. *ter. respondit:* « Charitas V. S. D. etiam animas in purgatorio patientes amplectebatur. Ardenter nos monuit, ut pro iis merita colligeremus, opera mortificationis et abnegatiouis sui ipsius, jejunia, silentium exercendo, et injunxit nobis ut SS. Jesu Christi sanguinem pro eis offeremus. Preces jaculatoriae Ven. Servi Dei, quas nos quoque ex ejus mandato persolvimus, haec erant: « Deus meus, Pater coelestis, offero tibi pretiosum sangninem Jesu Christi pro animabus in purgatorio luentibus. »

§ 92. *Missas pro defunctis dicendas curavit.*

Fol. 404. « Quando soror moriebatur, Ven. Servus Dei valde sollicitus erat ut pro ejus anima missae dicerentur, et haud raro evenit, ut in nostra ecclesia uno die tanta multitudo missarum *de Requiem* diceretur, ut intelligere non possemus, unde Ven. Servus Dei tot sacerdotes habuerit. »

Et *juxta* 60. *art. fol.* 442. « Saepe etiam monuit, ut animarum in purgatorio luentium recordarer, omnes aerumnas mihi impositas earum amore supportarem, et pro eis Domino offerrem. »

§ 93. *Cuidam animae auxilium fert.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 189. *respondit*: De conversione alterius liberi murarii duae sorores Rosalia et Josepha Biringer haec mihi retulerunt. Erat iste officialis imperialis et per aliquot annos a muliere sua pia separatus vivebat. Curiositate aut alia ratione, aliquando in concionem Patris Hofbauer perductus; sed concione ita tactus et commotus est, ut statim consilium faciendi confessionem generalem iniret, quam apud Werner peregit. Paulo post cum periculo vitae aegrotavit, Ven. Servus Dei eum invisit, cum uxore sua reconciliavit eique morienti adstitit. Post obitum mulieri suae in somno comparuit; sicut illa praedictis duabus sororibus narravit, sed miseris pannis obtectus. Cum id mulier Ven. Servo Dei enarraret, et quid haec apparitio significaret, interrogaret, respondit: « Fortasse pauperibus haud, ut debuit, eleemosynas dedit; vestite pro eo unum pauperem. » Fecit ita, et paulo post defunctum iterum vidit, blande gratias agentem. Haec audiens dixit Ven. Servus Dei » Jam melius valet, sed continua ei orationibus et eleemosynis auxilium ferre. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 94. *Confirmantur dicta in Processu Apostolico.*

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 254. *respondit*: « Saepe et enixe suffragia pro animabus luentibus nobis commendabat; ipsas esse indigentissimas et gratias referre maximas. »

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 103. *ter.* « Eam, qua Pater Hofbauer flagrabat, charitatem erga animas in purgatorio luentes nuspiam tali in gradu inveni. Pro ipsis obtulit omnes orationes, opera et indulgentias, dicere solitus, jacturam eam non esse, sed lucrum, cum animae istae gratissimi sint animi simulque candidissimae, quae Deum non offendunt amplius. »

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 296. « Servi Dei charitas et in peregrinos, heterodoxos et defunctos sese extendit; nam ut pro heterodoxis et defunctis oraremus, nulla non occasione nos monuit. »

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 221. *ter.* « Pro animabus purgatorii poenas luentibus multum precatus est, saepe monens ut pro eis orationes et bona offerrentur opera. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 590. *ter.* « Depositionibus meis jam factis de charitate erga proximum a Servo Dei exercitata hanc addo annotationem, Patrem Hofbauer fideles, quorum moderabatur conscientiam, iterato admonuisse, in orationibus et bonis operibus peragendis animarum luentium quam saepissime recordarentur, dicentem meritum et successum piorum horum exercitiorum non solum nunquam fructu carere, sed Deo complacere, et quodammodo multiplicari, cum et peragentes talia exercitia et fideles defuncti horum exercitiorum fructum accipiant. »

DE HEROICA PRUDENTIA VEN. S. D.

Num. 12. *De heroica prudentia.*

ARTICULUS I.

Ven. Servus Dei ab omnibus tamquam vir rarae prudentiae fuit aestimatus.

(Ex Processu Apostolico)

§ 1. *Propter prudentiam etiam a Protestantibus aestimatus est.*

X. Testis (Emus Cardinalis Rauscher), *fol.* 448. *ter.* « Nomen divinum sanctificandi studio accedebat insignis ingenii vis et prudentia quo factum est, ut apud nobiles et ignobiles, doctos et indoctos, magnam haberet auctoritatem, neque deessent protestantes eruditione conspicui, quorum existimationem sibi conciliaret. »

§ 2. *Viri doctissimi ejus sententiam exquisierunt.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 175. *respondit*: « Nuntii Apostolici plenam fiduciam ei praestiterunt, viri doctissimi ei tamquam filii obedierunt, et cum libros componerent, ejus sententiam exquisierunt. Homines cujuscumque conditionis etiam principes, uti Ludovicus Bavariae Rex, tunc princeps haereditarius, confessarium eum sibi elegerunt. »

II. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 222. *ter. respondit*: « Admiratus sum in eo aciem mentis, sobrietatem spiritus; . . . prudentiam in agendo, suavitatem teneram in docendo et corrigendo. »

I. Testis ex officio *juxta* 24. *Interr. fol.* 679. *ter. respondit*, « Ven. S. D. ab omnibus amatus et in honore habitus est: humanitate et dulcedine sua omnes, qui familiariter eo utebantur, tanta vi attrahebat, ut resistere nequirent. Clara, qua pollebat, intelligentia lumine supernaturali illuminata, summopere ad dirigenda gravissima negotia capacem eum fecit, maxime vero ad ea, quae praeter plurimam prudentiam interiorem sanctitatem requirunt. »

§ 3.
Etiam Cardinales et Rex Bavariaë in rebus gravissimis ejus consilio usi sunt.

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 754. *ter. respondit*: « Communi fiducia tamquam vir prudentissimus apud omnes ordines societatis gaudebat, poenitentes enim cujuscumque conditionis et multi viri docti, et valde conspicui, nec non juvenes in universitate studiis vacantes eo confessario usi sunt. Et ipsi Cardinales S. Ecclesiae Romanae, uti ex. gr. Severoli, Litta, Consalvi ejus opinionem circa negotia ecclesiastica exquisierunt, et magnum pondus ejus sententiae attribuerunt. Etiam Ludovicus Rex Bavariae, cum adhuc Princeps haereditarius esset, in Congressu Principum Vindobonensi ejus directioni spirituali se submisit, et de negotiis ecclesiasticis colloquia cum eo instituit. »

IX. Testis *juxta* 73. *Interr. art.* 442. *ter.* « Tamquam singulare documentum, qua fiducia in prudentiam Ven. Servi D. homines ferebantur, sequens factum afferre possum:

§ 4.
In rebus perplexis ipsum adibant homines.

Famula christiana puellam familiae judaicae duos annos natam insciis parentibus baptizavit. Valde laeta ob suum factum ad unam religiosam ipsi propinquam venit, eique quod fecerat narravit. Moniali id, quod fecerat, suspectum videbatur, et famulae injunxit, ut rem Ven. Servo Dei referret, ut doceretur, quid in hoc negotio amplius esset faciendum. Ven. Servus Dei declaravit: « Certe dolendum esset, si puella illa baptizata in Judaismo educaretur, et modo Hebraeorum viveret. Rem Deo orationibus commendemus, forse placet divinae voluntati, ut infantem baptizatam post breve tempus ad se in coelum assumat. » Ipse orare promisit, et nos quoque Moniales monuit, ut juxta hanc intentionem preces funderemus. Post breve tempus, credo elapsis nonnullis hebdomadis, Deus revera infantem ad se assumpsit. »

XVII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 602. *respondit*: « In omnibus negotiis, in quibus eum adibas, id quod conveniebat, inveniebat, et cum tanta certitudine semper suam sententiam pronuntiavit, ut perfecte acquiesceres. Consilium quod dabat semper a Deo benedictum erat, eique obedientiam praestitisse nunquam me poenituit. »

(Ex Processu Ordinario)

V. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 212. *ter. respondit* : « Magno honore Servum Dei habebat clerus tam saecularis, quam regularis ; frequentabant eum, et ille hunc eis restituit

honorem. Tanti autem eum faciebant ob ejus virtutes. Inter praecipuos ejus cultores ex hoc statu hos numerare possum: a) celebrem concionatorem Zachariam Werner, qui Servum Dei appellabat suum magistrum in pulpito, cui Hofbauer erat et confessarius; b) pium doctumque Fridericum Rinn, tunc temporis cappellanum in paroecia ad novem choros angelorum Vindobonae, nunc membrum Societatis Jesu; c) juvenem pium et excellentem Bartholomaeum Pajalich, qui Servum Dei saepe visitabat, ejus apostolicis concionibus et piis exhortationibus diligentissime interveniebat, ab eo piam petebat confortationem, Servumque Dei infirmum consolando adjuvabat. Iste postea Congregationem SSm̃i Redemptoris ingressus cum sanctitatis fama obiit, relicto manuscripto de Servi Dei concionibus et virtutibus. Nec minore veneratione Servum Dei prosecutae sunt moniales. Ejus in rebus spiritualibus auxilium saepe exquisiere tum moniales Salesianae, tum Elisabethinae. »

§ 5. *Viri clarissimi prudentiam et consilia V. Servi Dei plurim aestimabant.*

II. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 140. *ter.* « Quod ego sciam poenitentium, qui ad eum concurrebant, magnus supra modum erat numerus, et quidem cujusque conditionis, a janitoribus et victualiariis incipiendo usque ad homines litteratos et nobiles. Celebres viri, uti Consiliarius Aulicus Adamus Müller, Fridericus de Schlegel, Fridericus Werner, eadem filiali illi obtemperabant subjectione, qua infimi coetus homines, quandoquidem et ipse personarum acceptionem ignorabat. Inter eas, quas in spiritu moderabatur, foeminas, spectatissimae erant matronae, quarum tunc temporis Vindobonensem Civitatem laudabilis decorabat numerus. Haec omnia scio ex observatione et experientia fere triennali, ita ut certa scientia et optima fide reddere de his possim testimonium. »

§ 6. *Complures graves et pii conscientiae suae moderatorem V. D. Famulum elegerunt.*

Et infra *fol.* 147. *eod. ter.* « Summae prudentiae summam simplicitatem in eo fuisse unitam, ex multorum hominum, qui eum venerabantur, numero nullus unquam dubitavit. Occlusis, exempli gratia, oculis aliquantulum audire solebat; tum oculo ad momentum aperto pertranquillus decem vel duodecim protulit verba, quidquid interroganti scitu esset necessarium, continentia. »

§ 7. *Brevibus verbis gravissima edebat responsa.*

XXV. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 524. *ter. respondit*: » Scio propria experientia, Vindobonae summam de Servi Dei sanctitate fuisse opinionem. Cujusvis ordinis homines, pauperes et divites, nobiles et plebeii, docti et indocti ejus sese commiserunt moderationi, qua in re mirum in modum quoad labores congruebant inter se Pater Hofbauer Vindobonae et S. Philippus Nerius Romae. Imprimis eum adierunt multae personae nobiles tempore Vindobonensis congressus in capite Austriaci Imperii tanto numero congregatae. Bavariae Rex Ludovicus in colloquio, ad quod anno 1845. me admisit, mihi dixit, se principem haereditarium Vindobonensi congressui intervenientem Patrem Hofbauer habuisse Con-

§ 8. *Docti indoctique sese moderationi Servi Dei committebant.*

fessarium, quae res pro exiguo, quo publice Pater Hofbauer fungebatur officio, alio haud explicari poterit modo nisi ex fama specialis peritiae, qua animas moderabatur. »

XX. Testis *juxta* 7. *Interr. Proc. fol.* 459. *ter.* « In externo suo habitu ipsa erat simplicitas, humilitas, charitas, mansuetudo et lenitas. In primis cum adhuc viveret res penitus insolita apparebat, et post mortem multis in eo efferebatur laudibus, quod ipse vir cum esset simplex et rectus, vir non doctus, vi irresistibili attraheret praeprimis homines magni ingenii et doctrinae. Hoc quod attinet, ante omnia inter eos, quos ego experientia novi, adducere debeo notissimum multumque laudatum Zachariam Werner, qui patrem suum spiritualem Hofbauer, quavis occasione oblata grato nominabat animo et praedicabat, nec non illos duos tunc temporis eminentes juvenes, Veith et Madlener, quibus mundus uberrimam spem praebuit. Hi tres viri, splendido tunc nomine in saeculo ditati, perfecto obsequio et illimitata veneratione Servo Dei sese agregaverant, talique modo omnium oculos converterant in magnum vitae spiritualis magistrum Hofbauer. »

§ 9. *A viris nobilitate et dignitate perillustribus magna Servi Dei auctoritas est habita.*

XXIX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 601. *respondit* : « Tribus illis annis, quibus novi Patrem Hofbauer, et cum aliis personis eum noscentibus commercium habui, expertus sum, Patrem Hofbauer apud omnes, qui bene eum noverant, vel etiam conscientiae moderatorem eum elegerant, in veneratione penitus insolita esse habitum. Qui erant homines cujuslibet ordinis et diversae culturae. Omnibus inerat persuasio de eximiis et supernis ejus dotibus, nec non de eminentibus ejus virtutibus. Sublimioris ordinis homines hos adducere possum: Archiducem Maximilianum Austriacum Atestinum celsae memoriae, Ordinis Teutonici supremum magistrum; Archiepiscopum Vindobonensem Comitem Hohenwarth, caesareum regium consiliarium intimum Comitem Szecheny, Liberum Baronem Penkler, consiliarium gubernialem Pilat; consiliarium legationis Fridericum de Schlegel, Auditorem tunc temporis fungentem in Nuntiatura Apostolica in Austria Rmum Dñum Muzzi, defunctum Canonicum Metropolitanae Viudobonensis Ecclesiae Franciscum Schmidt; celebrem tunc temporis concionatorem Fridericum Zachariam Werner, saepius profitentem, se non esse dignum qui solveret corrigiam calceamentorum Patris Hofbauer, et plures alios. Me ipsum quod attinet, erga Patrem Hofbauer non solum grati animi movebar affectu, quem illi debeo, sed semper tenui adhucque teneo persuasionem, Patrem Hofbauer Servum Dei fuisse a Domino pro multarum animarum salute particularibus gratiis praeditum et virtutibus.»

§ 10. *Consilia sapientia et consolationem petentibus praebebat.*

XXX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 616. *ter. respondit*: « Propria experientia testari possum, Servum Dei ab hominibus nobilibus et communibus, viris et foeminis, junioribus et senibus, in sacro tribunali et extra illud quaesitum, consultum

et ab iis qui auxilio, solatio et consilio indigerent, quasi semper fuisse cinctum; non solum enim ab hominibus inferioribus, sed etiam a viris pietate, magna dignitate et doctrina conspicuis magni fuit aestimatus, et quidem, quantum recordor, Vindobonae praesertim tales erant: Andreas Liber Baro de Stifft C. R. Consiliarius gubernialis et conferentialis, simul Majestatis Suae Imperatoris Francisci Primi Protomedicus, Comes Franciscus de Paula Szechengi C. R. Consiliarius intimus, Josephus Liber Baro de Penkler, delectorum membrum ordinum Austriae inferioris; Franciscus Schmidt, pius Curatus et postea Canonicus ad S. Stephanum, Praelatus domesticus Sanctitatis Suae, eques C. R. ordinis Leopoldi, Josephus nobilis de Pilat, vivens adhuc C. R. actualis Consiliarius gubernialis in Ministerio domui imperiali et negotiis exteris praeposito, plurium ordinum eques; Fridericus Zacharias Werner, doctrina et poenitentiae praedicandae zelo illustris. Liber Baro de Stifft is erat, qui a Sua Majestate Imperatore Francisco I. facultatem impetravit introducendae Congregationis SSmi Redemptoris in Vindobonensi Civitate, quod adeo Servus Dei desideraverat; et Werner bonae memoriae Servum Dei tanti aestimabat ut (quod jam supra notavi) juvenes generali confessione a se expiatos ordinarie mitteret ad Patrem Hofbauer confitendi causa, a quo in vita christiane degenda conservarentur et confirmarentur. »

§ 11. *Vir doctissimus Werner suadebat juvenibus, ut D. Famulum conscientiae moderatorem eligerent.*

Et *juxta* 31. *Interr. Proc. fol.* 432. Vindobonae generatim et inter omnes populi ordines magna erat opinio de Servi Dei Sanctitate; juxta omnia ea, quae ipsa ego vidi et ab aliis audivi, jure merito S. Philippo Nerio comparari ille potest, magnam habens cum eo similitudinem in alta cordium et conscientiarum scrutatione, in zelo animarum, in indefessa confessionum exceptione, in ipso supremo morbo, in toto vitae tenore populari et simplici, in conversatione cum omnis generis hominibus, in aversione erga falsos, hypocrisin et pietatem affectatam (pinzocheria). Prout ipse sincerrima plenus erat pietate, ita etiam poenitentes suos ad solidam induxit pietatem. »

§ 12. *Philippo Nerio similis D. Famulus in trahendis ad Deum hominibus.*

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 519. *respondit*: « Non solum omnes personae probae et probatae Vindobonae Patris Hofbauer erant amici, sed optimi et eminentissimi omnium ordinum homines eo tempore Servum Dei tamquam centrum suum et fulcimentum respiciebant. »

ARTICULUS II.

Ven. S. D. mediis opportunissimis est usus, ut finem ultimum assequeretur.

(Ex Processu Apostolico)

§ 13. *Semper finem ultimum prae oculis habuit.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 174. *ter. respondit*: « Ven. S. D. admirabilem prudentiam non solum in eo monstravit, quod in omnibus ultimum finem homini fixum prae oculis habebat, et media ad eum assequendum necessaria adhibebat, sed etiam eo, quod ad alios dirigendos aptum se reddebat. »

§ 14. *Doctum piumque Sacerdotem Confessarium sibi elegit.*

Fol. 177. *ter.* « Summam prudentiam monstravit in electione proprii confessarii. Erat hic Franciscus Schmidt, sacerdos animarum zelo et doctrina eximius, postea Canonicus ad S. Stephanum renuntiatus, qui plurimos libros utiles pervulgavit, exempli gratia pro Clero novam editionem catechismi Romani, concordantiae bibliorum, Concilii Tridentini, praeter plurimos alios libros pro hominibus cujuscumque conditionis, in lingua germanica, gallica, italica, anglica, graeca, imo etiam hebraica. Hos libros suis impensis imprimendos curavit, eosque gratis dispensavit, et dispensandos in alias regiones transmisit. Post Patrem Hofbauer tunc temporis Schmidt sine dubio zelantissimus sacerdos Vindobonae fuit. Cum Ven. Servus Dei aliquando de Schmidt judicium suum enuntiare induceretur, dixit: Si Vindobonae tres Schmidt essent, ad convertendam totam civitatem sufficerent. Schmidt vero judicavit, Patrem Hofbauer virum esse sanctum. »

Idem *juxta* 28. *Interr. fol.* 158. *respondit*: « Ven. Servus Dei semper orabat et meditabatur. »

§ 15. *Optimis mediis ad obtinendum finem usus est.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 353. *respondit*: « Cum Missam celebrasset, et divinum officium recitasset, omne reliquum tempus saluti animarum dedicatum fuit. »

Et *fol.* 357. *ter.* « Unum ex thematibus praedilectis Ven. Servi Dei erat illud de pretioso tempore; de eo tum in pulpito, tum in confessionibus audiendis loqui amabat, et in ipsis colloquiis privatis saepe monuit, ut tempus religiose applicaremus. « Tempus, inquit, infinitus est thesaurus, bonum est inaestimabile, qui tempore religiose utitur, coelum et ipsum Deum acquirere potest.» Hoc principium ipse fideliter observavit, et ne momentum quidem temporis in otio transegit. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 389. *ter. respondit*: « Matrem Dei tenero affectu amabat, nec unquam nos admonere omisit, ut eam honoraremus, et in omnibus necessitatibus ad Deum refugeremus. »

Et *fol.* 407. « Non potest dici quomodo Ven. Servus Dei omni temporis momento usus sit, et quomodo institerit, ut alii quoque tempore bene uterentur. Jam in prima infantia ipsi

cordi erat, tempore bene uti. Cum esset puer octo annorum quodam die, sicut ipse mihi narravit, matrem exeuntem comitatus est. Procedentibus obviam venerunt propinqui, qui interrogati, quo irent, quid facerent, responderunt, se tempus fallere velle. Puer haec verba non intellexit, sed a matre verborum significationem edoctus dixit: « Si non habent quod agant, orent. » — § 16. *Prudentissimum pueri effatum.*

Ven. Servus Dei semper erat occupatus; et non occupatus numquam eum videbas. Saepissime in concionibus suis admonuit, ut tempore bene uteremur, et in ultima concione, quam paucis diebus ante obitum habuit, instantissime bonum temporis usum inculcavit: « Venit enim (dixit) tempus quo nemo operari potest; ubicumque ceciderit arbor, ibi manet in aeternum. Quolibet momento Deum lucrari potes; sed momentum quod praeteriit, nunquam redit. » Jam dixi, Ven. Servum Dei jam hora tertia matutina surrexisse, ut ad labores suos sacerdotales tempus lucraretur. » — § 17. *Bonum usum temporis plurimum commendavit.*

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 312. *ter. respondit*: « Valde etiam ei cordi fuit ut tempus bene applicaretur. Ipse tempus valde aestimabat et concionando injungebat, ut omnes eo bene uterentur. « Tempus, inquit, tantum valet, quantum ipse Deus, tempore enim Deum lucrari possumus, et si temporis bonum usum facimus, nobis Deus in coelo merces erit magna nimis. » Haec et similia saepe ex ejus ore audivi. »

I. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 691. *ter. respondit*: « Audivi V. S. D. verbum « Tempus pellere (fallere) » impium dixisse, addendo, homines tempore pelli. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 755. *respondit*: « Etiam in electione confessarii ipsius prudentiam agnosco; nam Franciscum Schmidt, tum curae animarum ad S. Stephanum addictum, postea Canonicum ejusdem Ecclesiae, virum pietate et animarum zelo eminentem, confessarium sibi elegit. » — § 18. *Confirmatur dictum* § 14.

(Ex Processu Ordinario)

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 438. *ter. respondit*: « Ejus prudentia christiana vere heroica per omnia sese manifestavit. 1. In ea claritate, qua ultimum totius vitae suae finem, vocationem suam sacerdotalem et religiosam, cognoscebat et arripiebat, media ad eum assequendum aptissima fortiter eligebat, et quidquid impedimento esse poterat a se arcebat. 2. In religiosa et exactissima observatione officiorum pro tempore ipsi incumbentium. » — § 19. *In omnibus prudentiam heroicam monstravit.*

Et *infra fol.* 442. *ter.* « Propriae prudentiae semper diffidens in rebus praesertim gravioribus nullum unquam cepit consilium, quin viros solide instructos et pios, praeprimis autem confessarium suum Patrem Schmidt, consuluisset, dicere solitus: « *Plurimum didici ab infantibus, pauperibus et simplicibus operariis vel agricolis.* » — § 20. *In gravioribus rebus consilium cepit.*

§ 21.
Omne tempus in servitio Dei et proximi applicavit.

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 207. « Verum est, Servum Dei prudentiae christianae virtutem in summo possedisse gradu, Deum sibi praefigendo ut finem ultimum actionum suarum, et media ad hunc finem assequendum necessaria et opportuna adhibendo, et eadem diligentia, quidquid ejusdem assecutionem impedire posset, fugiendo. Magna ejus prudentia enituit in aestimatione temporis, cujus pretium tanti habebat, ut nullum momentum otio consumpturus omnes particulas in honorem Dei et muneribus suis tum sacerdotis tum religiosi et monialium confessarii satisfaciendo impenderet. »

§ 22.
Sapientiam hauriebat a Patre luminum, a quo miram cordium cognitionem obtinuit.

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 108. « Christiana Servi Dei prudentia praesertim fundata erat in continua cum Deo unione, cui omnia orans commendabat, si quid consilii dare alicui debebat; deinde in continua prosecutione principalis, quem sibi proposuerat, finis propagandi nempe regnum Dei in terra. »

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 233. « Ad prudentiam quod spectat Servi Dei ea non erat humana, sed supernaturalis, ex frequenti cum Deo conversatione hausta. In consiliis capiendis nunquam praecox, antea Deum in oratione consuluit et Patrem Hübl, confratrem magni a se habitum, virumque rarae virtutis et altae sapientiae, sive hoc deficiente alium prudentem Patrem. »

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 254. *ter. respondit*: « Servum Dei singulis annis per octo dies sacris vacasse exercitiis semel vel bis propria scimus experientia. Nullum temporis momentum in otio transegit, eoque religiose uti omnibus inculcavit, saepe nobis dicens: *Unum temporis momentum tantum valet, quantum aeternitas, ab uno enim momento saepe pendet, an coelo quis potiatur.* »

X. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 291. *ter. respondit*: « Inter ejus poenitentes fuere plurimi viri ex spectatissimis etiam familiis: adducere hic possum doctum Fridericum Werner, Dominum Cardinalem Rauscher, familias Klinkowström et Pilat. »

§ 23.
Media adhibuit opportunissima, ut finem ultimum pertingeret.

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 591. *respondit*: « Patris Hofbauer vitam et labores ad Dei gloriam promovendam et summum hominum finem assequendum, nempe aeternam beatitudinem, tum suam propriam, tum proximi tendisse, commemoravi jam in depositionibus antecedentibus. Quem ut assequeretur finem, Pater Hofbauer in omnibus operibus satagebat semper, et aptissima ad id adhibebat media, homini a Deo concessa. Amplum divini muneris exercitium saepe occasionem illi praebebat, cum diversis cujusque conditionis hominibus, iis etiam, qui in societate humana majori pollent auctoritate, ineundi relationem, et eorum utendi familiaritate; sed et has cum sublimioribus hominibus relationes tunc tantum et ita coluit, ubi spirituale bonum pro Dei gloria et proximi salute foret sperandum. Coetibus,

colloquiis vel recreationibus pure mundanis ille (quod ego quidem sciam) omnino erat alienus, quodsi autem decor et humanitas poscerent, ut tali saecularium commercio quandoque sese immisceret, colloquio tamen semper addere novit sal spirituale amabili modo. Eum nunquam vidi nisi utiliter occupatum vel orationi vacantem. »

§ 24. *Ab inanibus colloquiis abstinuit.*

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 519. *respondit*: « Servus Dei de orationis necessitate saepe et gravissime ad nos loquebatur, et tali data occasione edixit, se nascitura Congregatione in Austria Reverendo Patre Passerat esse usurum, quem ob altum orationis donum magni faciebat, quique ab ipso commendatus et designatus successor in Vicariatu generali Congregationis transalpinae fuit renuntiatus. Jocans dicere solebat: « Si quando Congregatio in Austria introduceretur, magnum Gallum accersam, qui vos docebit orare »; (Pater Passerat statura erat praeter solitum alta) quod et opere complevit. »

§ 25. *De necessitate orandi gravissime disserebat.*

ARTICULUS III.

In regimine tum Congregationis suae, tum Ursulinarum et amicorum miram prudentiam monstravit Ven. S. D.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 174. *ter. respondit:* « Ven. S. D. admirabilem prudentiam non solum in eo monstravit quod in omnibus ultimum finem homini fixum prae oculis habebat et media ad eum assequendum necessaria adhibebat, sed etiam eo, quod ad alios dirigendos aptum se reddebat.

Certe ejus Superiores et S. Congregatio de Propaganda Fide raram prudentiam in eo observabant, cum ei paulo post receptum ordinem sacerdotalem tam difficilem missionem in imperio Russiaco demandarent, et tamquam Superiorem ejusdem missionis cum amplis facultatibus eo mitterent.

§ 26. *Tamquam viro prudenti ipsi Missio Russiaca committitur.*

Temporum circumstantiae, quibus Varsaviae sacrum ministerium exercebat, difficillimae erant propter divisionem Poloniae. Austriaci tum Varsaviae invisi erant, et ut inimici habebantur; sequebatur paulo post illa sanguinolenta perturbatio Poloniae, sed Pater Hofbauer inter hasce perturbationes et sub imperio Russicorum et Borussiacorum domum Varsaviensem conservare et firmiter stabilire sciebat, cum a rebus politicis penitus abstineret. Vindobonae quoque cum tanta prudentia se gessit, ut numerosi inimici veram causam eum accusandi non invenirent.

§ 27. *In difficillimis circumstantiis Congregationem gubernavit.*

Fol. 177. Memoranda est ejus prudentia in eligendis viris pro certis officiis et occupationibus, exempli gratia in electione Superiorum Congregationis suae. Sic in Friderico de Klinkowstroem ingenium educandi pueros perspexit et cum eo domum educationis cum optimo successu fundavit. Sic in quibusdam suis discipulis, uti in Madlener, Georgio et Antonio Passy, Veith et Silbert pervidit ingenium exarandi libros, eosque ut libros ederent induxit.

§ 28. *In eligendis viris ad obeunda officia prudentissimus fuit.*

Fol. 178. Cum Ven. S. D. Imperatori Francisco finem et officia Congregationis exponeret, de Missionibus loqui abstinuit, cum nomen ipsum Missionis displiceret et Missiones prohibitae essent. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 754. *ter. respondit*: « Admirabilis fuit prudentia Ven. S. D. In hoc mihi praecipue elucere videtur, quod inter tot tempestates et tanta pericula, inter circumstantias valde contrarias Congregationem suam conservare, propagare et augere sciebat. »

§ 29. *Cum Imperatore Francisco I. agens, prudentem se exhibuit.*

Fol. 755. Virum prudentissimum se exhibuit, cum de Congñe in Austria introducenda cum Imperatore Francisco I. ageret. Finem et labores Congñis ita describere noverat, ut quin punctum regulae cederet, non solum non offenderet, sed e contra institutum suum tamquam ad id vocatum commendaret, ut ignorantes et spirituali auxilio destitutos instrueret et doceret, et ita tum Ecclesiae, tum reipublicae serviret. »

§ 30. *In directione animarum multa circumspectione utebatur.*

X. Testis (Emus Cardinalis Rauscher) *fol.* 450. *ter.* « Multa circumspectione ad altiora duxit animas ei concreditas.... Vir humilis et pauper eximiam etiam saecularium virorum existimationem collegit, atque ad animos sursum tollendos plurimum valuit. Insuper non immerito secundus Fundator Congregationis SS. Redemptoris, cujus domus praeter Neapolitanas Siculasque cunctae filiae sunt Viennensis, quae ipsum auctorem habet. »

Idem Testis *fol.* 450. « Directionem spiritualem sanctimonialium S. Ursulae, quarum confessarius fuit, summa religione ac diligentia gerebat.

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 352. *ter. respondit*: « Ven. S. D. de nostro profectu spirituali et temporali non tantum curam generalem habuit, sed ejus charitas et providentia ad quamque singulam religiosam se extendebat, et quidem eo in gradu, ut quaelibet opinari posset, ipsum pro illa sola sollicitum esse. ».

§ 31. *Moniales S. Ursulae paterna charitate et prudentia regebat.*

Quodam die adeo viribus extenuata e schola veni, ut, cum novitiarum magistra obviam veniens, me statim ad sacram confessionem peragendam ire juberet, prae debilitate in scala conciderem: sciens autem malum (quod ex nervorum relaxatione proveniebat) brevi esse transiturum, respondi: « Bene, cara mater, hoc faciam, quando pedibus stare potero. » Elapso temporis momento collectis viribus ad peragendam confessionem ivi. Post illam Ven. Servus Dei mihi dixit. « Foeminae facile ingemiscunt, et semper aliquam causam lamentandi habent; » et subinde me dimisit. Nihil ei dixeram, me tantopere infirmari, nec ad ejus verba quidquam respondi, sed cum reverentia filiali digitos manus suae per cancellos mihi porrectos osculata, in chorum properavi, preces mihi injunctas recitatura. Novitiarum vero magistrae, quae post me confessionem peractura venit, tamquam rem religiose servandam (sic illa mihi dixit) injunxit, ne me-

cum nimis severa esset, cum juvenis et parum robusta essem, et adhuc crescerem. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 405. *respondit*: « Prudentia Ven. Servi Dei in gubernandis, et ad viam christianae perfectionis dirigendis animabus extraordinaria fuit.... Si qui de aliis conquerentes eum adibant, prudenti modo eos corrigere quaerebat, et cum suavitate eos docebat, quantum oporteret, primo ante propriam portam verrere (ut ait proverbium). Si vero perspexit, rationabilem et justam esse querelam, tunc adhuc errantem excusare, et ad meliorem viam reducere studebat. »

§ 32. *Animos in via perfectionis deducendi scientia pollebat.*

Cum conventum intrarem, sedecim annos habebam, et quo ad vitam regularem et perfectionem religiosam valde ignorans fui. Sed Ven. Servus Dei mecum summam patientiam mostravit, in principiis vitae spiritualis me instruxit, et consilia mihi dedit, quae semper religiose servavi, ita ut aliquando aliae mihi irriderent, sed numquam habui, cur me poeniteret, ejus consilia observasse, et pro iis Ven. Servo Dei summas gratias debeo. Cum omnibus animabus Ven. Servus Dei modo convenienti agere sciebat, sive cum bonitate, sive cum severitate. Cum aliquando videret, sororem quamdam cum alia rixari, valde eam humiliavit, et sanctam communionem eam accipere vetuit. Cum vero ea poenitentiam bono animo acceptasset, in praemium unam communionem extraordinariam ei concessit, et obtinuit, ut illa soror characterem ad iram pronum et asperum penitus deponeret.»

§ 33. *Singulis prospiciebat pro eorum indole.*

Fol. 408. « Etiam in aliis circumstantiis se sororum conversarum patrem benevolum exhibuit, et invigilavit, ne onera eis imponerentur, quibus ferendis vires corporis vix sufficerent. Memini ipsum saepius dixisse, non esse obliviscendum quam haberet homo indolem, et juxta eam cum illo agendum, si prodesse ei quis vellet. Querulas non admisit et dixit: quaerulae vituperandae sunt, nec tolerandae, et saepe homines nequissimi severissimi aliorum judices sunt.»

(Ex Processu Ordinario)

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 438. *ter. respondit*: « Ejus prudentia christiana vere heroica per omnia sese manifestavit ... in moderatione subditorum confratrum suorum. »

§ 34. *Confirmantur dicta* §§ 27. 28. 29.

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 233. *respondit*: « Exitus comprobavit, causam numquam adfuisse, cur poeniteret eum electorum Superiorum domus, nec dispositionum pro bono communitatis factarum. Quot homines vituperabant quotidianas sacras functiones Varsaviae tamquam excessivas, dum Cardinalis Litta in ea civitate mensem commoratus ad Patrem Generalem nostrum Superiorem scribebat Neapolim: « Non auderem his Patribus suadere, ut unam alteramve praedictarum omitterent functionum, timens, ne Dei resisterem voluntati ejusque impedirem opus. »

XXV. Testis *juxta* 18. *Interr. fol.* 511. *ter. resp.* « P. Hofbauer capacitas Superioris munus gerendi clare patet ex fidelitate et constantia, qua Congregati violentam Congregationis suae suppressionem pertulerunt; ipsi Patri Hofbauer in magna distantia viventi semper erant subjecti, et bene affecti, lubenter sese conferentes in varias novas fundationes, tunc a Patre Hofbauer susceptas in diversis regionibus, nempe in Helvetia et pluribus principatibus germanicis, quae autem bellicis illis temporibus durare nequibant.

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 592. *respondit*: « Regimini Austriaco statuta exhibens (quorum approbationem ab eo impetraret) summa cum prudentia spirituales introducendae Congregationis labores tali modo describere novit, ut mandata et leges tunc in Austria vigentes non directe offenderet. Missionum exercitia, proprius et principalis finis Congregationis, in Austria tum politice erant impossibilia, vigentibus quippe legibus severe interdicta. Pater Hofbauer hunc principalem Congregationis finem, id est praedicationem Evangelii et spirituale auxilium, praecipue pauperibus et derelictis praestandum, sub diversis aliis modis et titulis sacri ministerii in carceribus, orphanotrophiis, nosocomiis etc. exhibere novit, qui tum civilibus legibus congruebant, tum possibiles difficultates ex parte cleri saecularis et regularis non creabant. »

ARTICULUS IV.

Ven. S. D. Confessarius fuit prudentissimus.

(Ex Processu Apostolico)

§ 35. *Ab hominibus cujusvis conditionis confessarius eligebatur.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 175. *respondit*: « Homines cujuscumque conditionis etiam principes, uti Ludovicus Bavariae Rex, tunc princeps haereditarius, confessarium eum sibi elegerunt, et ipse tamquam medicus expertus statim morbum cujusvis cognoscebat, et opportuna remedia cuique praescribere sciebat. »

Ejus prudentia in directione animarum eximia erat. Ex propria experientia scio Ven. Servum Dei in admonitionibus et instructionibus, quas confessiones excipiendo dedit, paternum, charitate plenum et brevem fuisse, paucis verbis semper rem acu tangebat, et quod necessarium erat. »

§ 36. *Refertur exemplum prudentiae.*

Fol. 176. *ter.* « Exemplum prudentiae qua poenitentes tractare sciebat, est sequens: Emus Cardinalis Reisach Romae Patri Mangold narravit, uxorem Adami Müller, quae per Patrem Hofbauer ad fidem conversa est, valde timuisse, ne Ven. Servus Dei gravem poenitentiam ipsi imponeret, sed Ven. Servum Dei sacramentali confessione peracta poenitentiam valde exiguam ei injunxisse, cumque de tam parva poenitentia admirationem suam exprimeret, ei respondisse:

Accipe ea etiam, quae Deus insuper addet ». Domum reversa, statim vehementissime dentibus laborare coepit, et statim recordata est verborum Ven. Servi Dei, Deum ipsum poenitentiam aliquam additurum esse. Asseruit Emus Cardinalis, se ista ex ore ipsius praedictae mulieris audivisse.»

Et *fol.* 191. *ter.* Testis addit: « Hic persuasionem meam enuntiare debeo, a Ven. S. D. huic poenitenti tam parvam poenitentiam impositam fuisse, quia spiritu prophetico plenus poenitentiam a Deo infligendam jam praevidit. »

§ 37. *Gravis aut suavis fuit, prout indoles cujusvis requirebat.*

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 312. *ter. respondit*: « In directione animarum cuilibet id dicere et praescribere sciebat, quod necessitas requirebat. Ven. Servus Dei non solum donum perscrutandi corda possidebat, sed etiam excellebat habilitate, animas quae ejus directioni se dederunt, juxta cujusque indolem et necessitatem cum gravitate vel suavitate aut sicut oportebat dirigendi. Hoc scio ex propria experientia et ex relatione omnium, qui apud Ven. Servum Dei opem spiritualem quaerebant, et mecum de rebus conscientiae locuti sunt. »

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 341. *respondit*: « Dignitatem junctam cum paterna charitate et compassione ex visceribus proveniente in sacro tribunali peccatoribus semper exhibuit, ita ut in corda eorum, qui peccata confessuri ejus curae se commiserunt, cum coram eo in genua procumberent, vim extraordinariam, sed suavem exerceret. In monitis suis confessarius fuit plenus charitate; non multa verba faciens, sed brevis et gravis, et juxta cujusve statum animae apta praescribens. »

IX. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 381. *ter. respondit*: « In sacro tribunali mitissimus et simul gravis erat; brevis sed tamen exactus. Ejus verba ita ad rem erant, et adeo commovebant, ut non solum uno die, sed per plures dies cordi impressa manerent, et consolationi ac directioni servirent. »

§ 38. *Brevis fuit, sed accuratus.*

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 405. *respondit*: « Prudentia Ven. Servi Dei in gubernandis, et ad viam christianae perfectionis dirigendis animabus extraordinaria fuit, quod certe satis probatur ex concursu hominum, qui spirituale auxilium expetentes ad ejus sacrum tribunal confugerunt. Quicumque ejus directionem sequebatur, beatum se dicebat. »

Fol. 405. *ter.* « Cum omnibus animabus Ven. Servus Dei modo convenienti agere sciebat, sive cum bonitate, sive cum severitate. »

X. Testis (Emus Cardinalis Rauscher) *fol.* 450. *ter.* « Spirituum discretionem, prudentiam et perspicacitatem, qua pollebat, per omnia quidem, cumprimis autem in Sacramenti poenitentiae administratione, summo animarum lucro testatam fecit. Paucis verbis efficacibus aeque ac simplicibus, quae pro conscientiae statu expedirent, judicare solebat. Multa circumspectione ad altiora duxit animas ei concreditas. Refrenavit spiritus impetum, qui fervoris primitias crebro

§ 39. *Spiritu discretionis eminebat.*

comitatur: ut Deo serviendi studium tranquillum sit, et in pace crescat voluit. Numquam me cohortatus est, ut vitae saeculari valedicerem; sed ipse ejus doctrina et exemplo incitatus Deo ad altare servire constitui. Adprobavit hoc; cum autem parentes satis vehementer resisterent, ita ut magnis et quotidianis fere implicarer difficultatibus, noluit, ut quidpiam fieret, quod intempestivi ardoris speciem prae se ferret, consuluit potius, ut parentum voluntati, quantum conscientia permitteret, cederem, et studiorum juridicorum, quibus operam tunc navabam, cursum integrum absolverem. »

I. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 689. *ter. respondit*: « Ad probandam charitatem proximi et prudentiam V. S. D. sequens factum propria scientia mihi notum adducere mihi licebit. »

§ 40. *Aliud factum refertur, ex quo ejus prudentia elucet.*

Franciscus Haetscher, qui postea Congregationis SSmi Redemptoris Sacerdos factus est, filius erat mulieris, quae nostro conventui lac procurabat. Erat is in pueritia sua valde nequam, qui matri suae multas parabat aerumnas. Postea sponte militiae aggregatus, clapsis nonnullis annis signa deseruit, et fugitivus Parisios se contulit. Ibi per aliquod tempus valde bene se habuit, ingredientibus autem principibus foederatis Parisios, ipse timens ne detegeretur, iterum Vindobonam rediit. Vindobonae vero non est ausus, coram matre sua apparere, et sine occupatione circumvagabatur. Quodam vero die in ecclesiam Ursulinarum venit, in qua eodem tempore V. S. D. de mala conscientia peccatorem perturbante praedicabat. Franciscus alte percussum se sentiens, concione finita expectavit Patrem Hofbauer, eique dixit se confessionem facere velle; Pater Hofbauer ejus manum apprehendens benignissimo vultu illi dixit: « Non jam confiteberis nunc, sed veni mecum ». In habitationem suam deductum per plures dies retinuit, quovis die ad imaginem Salvatoris flagellis caesi eum misit, eique dixit; « Hic addisce lectionem tuam »; talique modo Franciscus ad confessionem generalem se praeparabat, quam deinde penitus contritus peregit. Cum vero Patri Hofbauer exposuisset, quanto afficeretur dolore, quod matrem suam non sibi liceret videre, V. S. D. eum consolatus est, dicens: Hanc rem ego jam componam. Quapropter quodam die matrem ad jentaculum invitavit, quae bona foemina capere nequibat, cur tali digna haberetur honore. Cum igitur ad V. S. D. veniret, hic humanissime cum ea colloquens de omnibus interrogavit ejus filiis, et Francisci mentionem non facientem Servus Dei interrogavit: « Et quid est de Francisco? » Respondit mater: « Iste certe a longo tempore patibulo suspensus est », Pater Hofbauer subridens dixit, suspendio mori non esse rem tam expeditam, forsitan eum esse conversum. Mulier cum fidem praestare haud videretur, P. Hofbauer fores aperuit, et Franciscus prosiliens et lacrymas fundens ante

matris pedes procubuit. Bona mulier filium severe corripuit, donec P.Hofbauer eam interrumpens comiter diceret: « Sufficit nunc, sumite ambo jentaculum. » Nonnullis diebus post, V. S. D. nostri conventus Superiorissam, tum temporis Mariam Julianam de Trautmannsdorf invisens, eam interrogavit, an permitteret, ut afferret ipsi Augustinum quemquam. Superiorissa rata, sermonem esse de imagine S. Augustini, cum responderet: « Forsitan Reverentia Vestra Augustinum in alio loco melius collocabit, nos in conventu plures habemus », P. Hofbauer ei exposuit, se loqui de filio converso mulieris lac procurantis conventui, et Franciscus etiam debebat a Superiorissa veniam petere de omnibus petulantiis, quas saepe in monasterio commiserat. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 754. *ter. respondit*: «Tamquam vir prudentissimus apud omnes ordines societatis (communi fiducia) gaudebat; poenitentes enim cujuscumque conditionis, et multi viri docti, et valde conspicui, nec non juvenes in Universitate studiis vacantes eo confessario usi sunt. »

§ 41. *Plurimi studentes Universitatis ipso confessario usi sunt.*

(Ex Processu Ordinario)

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 519. « Prudentiae Servi Dei virtus praesertim felici animarum moderatione probari videtur (tot enim erant personae diversi ordinis, diversae indolis, sententiae et dignitatis) deinde ex conversione peccatorum omnino obstinatorum. Ad militem graviter decumbentem quondam vocatus, his ab eo receptus est verbis: « Veni, sacerdos miserabilis (pretaccio), oculos tibi eruam! » P. Hofbauer ad eum accedens, mirabili sua mansuetudine et charitate hominem adeo ferum mox superatum ad Deum et Ecclesiam reduxit. »

§ 42. *Leni sedatoque animo furorem irati peccatoris dericit.*

XXIV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 501. *ter.* « Prudentia eo etiam apparuit, quod ille in animarum moderatione cuique id praescribere sciret, quod ei conveniret. »

X. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 291. *ter. respondit:* « Inter ejus poenitentes fuere plurimi viri ex spectatissimis etiam familiis: adducere hic possum doctum Fridericum Werner, D. Cardinalem Rauscher, familias Klinkowström et Pilat. »

XIII. Testis *juxta* 35. *Inter. fol.* 342. *respondit*: « Decanus Horni felicis memoriae saepe repetebat: In vita mea tres insignes novi confessarios imprimis simplicitate conspicuos: Patrem Sarcandrum ex Servis B. Mariae Virginis Vindobonae, Patrem Hofbauer, et Patrem Landes e Societate Jesu. »

XXVIII. Testis *juxta* 22. *Interr. Proc. fol.* 569. *respondit*: « Ejus prudentia imprimis elucet in animarum moderatione. Ego novi multos, qui ipsi, quod ad meliorem rediissent frugem, deberent. Praeprimis proprium illi erat, quovis opportuno uti momento, ut renitentes ad peragendam induceret confessionem. »

§ 13. *Excessus omnes odio habuit.*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 421. *ter. respondit*: « Nihil magis odio habebat, quam excessum, sive in concionibus sive in animarum moderatione. Ipse tum discipulos tum poenitentes in ordinaria ethices christianae et perfectionis via deducere satagebat, et quemadmodum ipse dona extraordinaria a Deo accepta celare studebat, ita etiam vias ordinarias securiores esse reputabat. »

§ 14. *Eos, quos dirigebat, in humilitate proficere curabat.*

Et infra *juxta idem Interr. fol.* 425. *ter. respondit*: « Cum magna prudentia donum etiam conjunxit, discipulos et poenitentes suos humiliandi, haud ignorans, sine humiliatione ad humilitatem et sanctitatem neminem pervenire, quod etiam audivi immediate a Testibus ejus discipulis. »

XXIV. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 549. *resp.* « Nuntium Severoli conscientiam suam apud eum expiasse opinor; etiam auditor Muzzi postea Nuntius in rempublicam « Chili » missus, quo Pius Nonus juvenis sacerdos eum comitatus est, ejus erat poenitens. »

Conferatur supra Num. 11. Art. VII.

ARTICULUS V.

Etiam in colloquiis privatis et vel maxime in directione juvenum virum prudentissimum se exhibuit.

(Ex Processu Apostolico)

§ 15. *In directione juvenum admirabilis fuit.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 175. *ter. respondit*: « Maxime vero admiranda erat ejus prudentia et circumspectio in directione juvenum, qui aut studiis adhuc vacabant, aut jam aliquo munere publico fungebantur. Ultra quinquaginta ejusmodi poenitentes Ven. Servum Dei confessarium sibi elegerant, et filiali pietate ei adhaerebant. »

Plerique eorum valde juvenes erant; annorum videlicet decem et octo, viginti, viginti quatuor. Si hanc aetatem et vitia eidem ordinarie adhaerentia, detortam institutionem, quam receperunt, et pravam literaturam rationalismo infectam ipsis perniciosam consideras, sane obstupescas oportet, quod Ven. Servus Dei nihil secius Deo eos lucraretur, et in via christianae pietatis promoveret. »

Scio quidem aliquos vias rectas iterum deseruisse, et ad ollas aegyptiacas rediisse; sed longe major pars Domino fidem servavit, et alii quidem ad vitam sacerdotalem, vel religiosam, alii vero ad munera publica se contulerunt. In parva ecclesia S. Ursulae simul convenerunt, ac ibi multi quasi quotidie sacrae Missae hora septima intervenerunt; et laetum praebuit aspectum, cum ibi flexis genibus preces fundebant, et tenerum fuit spectaculum, quando summa devotione sacram communionem receperunt. Quae quidem res mira videbitur consideranti, haec eo tempore evenisse, quo ubique locorum tepor et indifferentismus dominabatur, et frequens Sacramentorum usus penitus ignorabatur. Cum qui-

dam amicus mirabundus Patrem Hofbauer hac de re interpellaret, hic respondit: « Nescio cur Deus tot juvenes tamquam cohortem coëgerit ». Utique Deus illos ad eum misit, ipsius vero Ven. Servi Dei magnum meritum fuit, quod eos sua prudentia, suavitate et paterno modo agendi in recta via conservavit. »

Sicut a quibusdam horum juvenum audivi, in principio conversionis pauca ab eis requirebat, et summa benignitate et indulgentia eos tractabat, ne inopportune agendo gratiam Dei praepediret. Cum deinde jam fortiores facti essent, et Deo servire amarent, paulatim ad perfectiora eos deducebat. Plurimum ad rem faciebat, quod ipsis, quoties volebant, in cubiculo suo eum invisere liberum erat. Nunquam inopportuni illi fuerunt; semper tempus habebat eos recipiendi, etsi valde occupatus esset, aut valetudine laboraret. Ipse ego diversis horis eum invisi, et semper affabilem et benignum inveni. »

§ 46. *Paulatim ad perfectiora eos deducebat.*

II. Testis *juxta* 26. *Interr. fol.* 221. *ter. respondit*: « Observare poteras inter discipulos et Ven. Servum Dei relationes exstitisse sicut filios inter et patrem. »

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 303. *ter. respondit*: « Ven. S. D. multos eorum, qui sermonibus suis ad agnitionem Dei perducti, vel in sancta fide confirmati fuerant, amicitia sibi devinxit. Semper societatem horum discipulorum circum se colligere solebat, ex quibus nonnulli ab eo inducti sunt, ut mundo penitus renuntiarent, et Deo totos se darent; exempli gratia Pater Madlener, Springer, Held, Putz, Unkhrechtsberg, Prigl, Cosmacek, Veith et alii. »

§ 47. *Multi ex iis totos se divino servitio dederunt.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 340. *ter. respondit*: « Dominus verbis Servi sui revera tantam unctionem et virtutem persuadendi concessit, ut multi non solum ex personis inferioris conditionis, sed etiam ex altioribus, et cultioribus classibus consilium penitus mutandi principia et mores inirent, et constantes cultores et amici Ven. Servi Dei fierent. »

IX. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 382. *respondit*: « Ardentissimum desiderium Ven. Servi Dei hoc erat, ut domum Congregationis suae Vindobonae formaret, et ad hunc finem plures juvenes viros ad vitam convenienter piam induxerat, ut apta membra Congregationis fierent. »

(Ex Processu Ordinario)

XVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 385. *ter. respondit*: « Dum in habitatione eum visitabam, saepius occasio se mihi praebuit, admirandi ejus ingenium, quo homines discernebat, modumque quo singulos pro eorum indole tractabat. Venerunt homines illustres et plebeji eum consulturi, et Servus Dei singulis modo penitus satisfaciente consilia dare, eos consolari et in quod maxime semper tendebat, ad virtutem

§ 48. *Prout quemque decebat, ita consulebat singulis, ut omnibus satisfaceret.*

et pietatem inducere sciebat. Media, quae applicabat, non solum verbis consistebant aedificantibus, sed ipse pro viribus succurrit miseris, distribuit iis, qui de salute erant solliciti, bonos libros, rosaria et imagines, et quilibet aedificatus et laetus discessit. »

§ 49.
Hinc in hominibus cuiusque ordinis maxima Servi Dei auctoritas.

Et *infra fol.* 386. « Qua felici potestate polleret tunc in juniores viros, qui litteraria fama jam gaudebant, et (prout vivens adhuc Pater Madlener, Sacerdos Congregationis SS. Redemptoris) in Universitate Vindobonensi docebant: sicut pariter eximius Springer, informator comitis Mauritii de Dietrichstein (deinde Legationi Austriacae Londini aggregati) postea Congregationem SSm̃i Redemptoris ingressus, probari maxime inde potest, quod Madlener renuntiaret professoris muneri, Congregationi SSm̃i Redemptoris nomen daret, in eaque qua concionator, confessarius, missionarius et auctor librorum usque ad praesentem diem eximie laboraret; dum praefatus Springer, anno 1819. cum comite Mauritio de Dietrichstein in mea tunc temporis parochia Schrattenthal per sex hebdomadas ejusdem nobilis familiae hospes non solum integritate morum et quotidiano Sacramentorum poenitentiae et Eucharistiae usu parochianos et multos viros nobiles ad venationem confluentes aedificavit, et ingeniosum alumnum comitem Mauritium de Dietrichstein ad veram pietatem ita educare novit, ut iste quoque diebus dominicis et festis in parochiali ecclesia Schrattenthal sacramenta reciperet, et vitae suae eximie piae et moralis tenore animos tunc juvenum nobilium bene afficeret; sed etiam postea Congregationem SSm̃i Redemptoris ingressus post eximios labores (etiam Ulyssipone missionarii munere functus) Pragae in fama sanctitatis obiit. »

XX. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 460. *ter. respondit*: « De visu hoc solum testari possum, circa Servum Dei Vindobonae coronam juvenum eximiorum sese formasse (prout jam supra deposui) quos ad fundandam SSm̃i Redemptoris Congregationem attraxit. »

§ 50.
Optima tradebat media, quibus immunes ab impura labe juvenes servarentur.

XXX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 614. « Quam strenue Servus Dei in id incumberet, ut alios ad castitatis virtutem amandam et conservandam adduceret, jam patet ex iis, quae super adduxi, quomodo nempe juvenibus et viris Rosarii recitationem commendaret, ut a peccati tentationibus sese praeservarent, et quo felici successu multas lucratus fuisset animas, evidentissime probavit nobilis juvenum turba, quorum conscientiae moderator ad vitae usque finem ipse fuit, quique eo demortuo SSm̃i Redemptoris Congregationem amplexati castitatis emisere votum. »

§ 51.
Sobrie et considerate loquebatur, et consulentibus sapienter respondebat.

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 421. *ter. respondit*: « Verum est, Servum Dei tamquam virum prudentem et sapientem pauca locutum (quamvis tranquillus quemque audiret); ejus vero sermones erant strenui, considerati et persuadentes. Ab omnibus itaque ejus verba uti bona et secura

agendi regula excipiebantur. Hofbauer non habebat, cur consilium retraheret datum, quique illud sequebatur non habebat, cur poeniteret. Viri ideo doctissimi et ingeniosissimi eum ducem cocca sequebantur fiducia, et habebant, cur Deo gratias referrent, quod ita fecissent. Mente in Deo illuminata gravia saepe dubia solvit et difficiles quaestiones, quaerentes perfecte pacans. »

XXIX. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 600. *respondit:* « Eo etiam excelluit dono, ingenii et animi dotes singulorum hominum aeque dignoscendi, adeoque eos moderandi. Pauca sufficiebant semper verba ad alios consilio juvandos, animandos vel consolandos, nec unquam ab ejus colloquio discedebas, nisi contentus. »

§ 52. *Hominum animos penitus dignoscens paucis verbis dubia, metum, tristitiam expellebat.*

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 141. *ter. respondit*: « In libris de religione agentibus, poëticis, precibus et aliis operibus prelo mandatis dijudicandis, quae speciem hypercatholicam affectabant, mirum est, quo ingenii acumine procedebat; ita ut in momento, quod esset falsum, excessivum, pseudo-mysticum vel haereticum in eis detegeret, et illico etiam tribus vel quatuor verbis integram de eis ferret sententiam. Nec quod nitorem simul et dulcorem, nec quod affectationem vel acerbitatem et nimiam aciem saperet, ipsi placuit. »

§ 53. *Mirabili acumine de scriptis operibus dijudicabat.*

Et *juxta idem Interr. fol.* 146. « Cum viris quoque aetate provectis et conspicuis eum tenebat agendi modum, quem certe nulli alteri indulsissent. Friderico Werner, exempli gratia, compositiones suas poëticas christianas coram multis juvenibus legenti, ille edicere solebat, nullius omnino has res esse momenti. Eodem prorsus modo cum Friderico Schlegel procedebat, et iis, quas doctissimus ille homo proponebat, hypothesibus; invariabili tamen isti viri amore illi adhaerebant. Vanitatis motum quemcumque in eis, qui ipsum frequentabant, juvenibus inflexibili persequebatur rigore, nihil magis odio habens quam eam hominis deceptionem, quae pro gloria Dei proprium quaerit honorem. »

§ 54. *Summa solertia vitiorum germina praecidebat in iis, quos dirigebat.*

Conferatur supra Num. 8. Art. VIII.

ARTICULUS VI.

In conversione Protestantium summa prudentia Ven. S. D. usus est.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 178. *respondit*: « Summopere ejus prudentiam probat modus, quo haereticos in sinum Ecclesiae reduxit. Circa conversionem duarum sororum scilicet dominae de Pilat et dominae de Klinkowstroem ex hujus viri ore, qui propter suam pietatem omni dignus est fide, haec mihi innotuerunt. Anno 1814. feria quinta hebdomadis sanctae recepta in templo protestantico coena, tristes

§ 55. *Affertur exemplum prudentiae in conversione trium sororum.*

et afflictae domum redierant, cum Ven. Servus Dei eas inviseret. Cum ei de causa afflictionis sciscitanti ingenue faterentur, totam religiosam functionem, cui interfuerant, ipsis nauseam movisse, Ven. Servus Dei respondit: Nihil est; saepe vobis jam dixi, spoliate vos tibialibus nigris, (idest renunciate fidei protestanticae). Haec pauca verba rem deciderunt; statim fidem catholicam amplexae sunt, et eximia exempla pietatis catholicae praebuerunt. Tertia etiam soror harum dominarum duarum, Augusta nata de Mengershausen, per Ven. Servum Dei in sinum Ecclesiae recepta est. Cum in domo sororis uxoris Klinkowstroem habitaret, ad cognitionem Religionis catholicae pervenit. Omnia in ea ipsi placuerunt, omnis doctrina et ritus S. Ecclesiae ipsi probabantur, sed nihilominus firmum consilium capere non poterat, ut in Ecclesiam rediret. Impossibile ipsi videbatur, ut etiam ad Sanctos orationes funderet, eorumque auxilium invocaret; non ideo, quod non crederet, eorum intercessionem esse valde potentem, aut quasi eos non veneraretur; alia ratio non fuit, nisi quia hucusque talem usum non habuit, et timuit ne propterea Deo quasi infidelis fieret. In falsa pietate educata erat, ejusque pater Pastor erat acatholicus.

Cum de moerore, quem propterea sentiebat, cum Ven. Servo Dei conquereretur, ipse ei respondit: Si Sanctos implorare non vis, preces ad eos fundere omittas, sed ideo nequaquam habes, cur non amplectaris fidem catholicam. Haec pauca verba ad tollenda dubia, aut potius ad repellendas tentationes sufficiebant, catholicam fidem amplexa est, et post aliquot annos Ordinem Visitationis B. Mariae Virginis in Gleink ingressa libenter ad Sanctos preces fundebat, et eorum intercessionem implorabat.

§ 56. *Aliud exemplum in conversione Baronis de Rieger.*

Carolus Baro de Rieger, cujus frater morti proximus per Ven. Servum Dei in sinum Ecclesiae receptus fuerat, elapsis aliquot mensibus etiam per Patrem Hofbauer ad S. Ecclesiam reductus est. In principio a juvene Barone nihil requirebat, nisi ut concederet, Calvinum, cujus haeresim Liber Baro sequebatur, virum perversum et durum fuisse. »

Bene hanc viam elegerat, cum enim Rieger in literatura versatissimus esset, absque haesitatione id admisit, et subinde fidem Ecclesiae catholicae amplexus est. Ipse, qui sacerdotio initiatus paucis ante annis obiit, hoc factum mihi retulit. »

§ 57. *Idem, quod § 55. habetur, probatur.*

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 240. *ter. respondit*: « Argumentum singularis prudentiae mihi modus videbatur, quo cum haereticis, quos ad fidem catholicam reducere satagebat, se gessit. Cum enim (credo) soror matris meae defunctae, quae tunc confessionem Augustanam sequebatur, Ven. Servo Dei sequentia duo puncta tamquam impedimenta conversionis ad fidem catholicam proponeret, videlicet, se non posse adorare Papam et planetas sibi valde displicere, Ven.

Servus Dei pertranquillus respondit: Jam catholica es, primum caput non requiritur, imo esset doctrinae Ecclesiae catholicae contrarium, alterum parvi est momenti, displiceant tibi utique planetae. »

II. Testis ex officio *juxta* 28. *Interr. fol.* 741. *ter.* « Vix dicere possum, quantum ille pietate excellens vir nos affecerit. Amare Deum et Ecclesiam, et animas Deo lucrari, hoc illi esse et vivere erat, hoc unice desiderabat. Hoc elucebat ex toto homine, ex ejus verbis et operibus, et ex concionibus, quae simplices et inornatae erant, sicut ejus persona, et tamen modo extraordinario commovebant. Cum de praecellentia Ecclesiae Catholicae verba faceret et subjungeret: « Illi tantum ipsam cognoscere valent, qui intra eam sunt, quibus beata sors contigit ejusdem membra esse; desiderium hujus Ecclesiae membrum esse cor apprehendit, et sic revera, quin bene intelligerem, quid mihi praestitura esset, Ecclesiam ingressa sum. Bene mihi perspectum erat, me sic tantummodo illam pacem inventuram esse, quam Calvinismus nunquam mihi dederat. »

§ 58. *Aliud exemplum in conversione Friderici et Sophiae de Schlosser.*

Et *fol.* 742. Quisque ei appropinquans, (sic scribere pergit), sentiebat, in illo animam habitare, quae non solum omnis falsitatis expers, sed etiam tam praecellenti charitate plena erat, ut obligatum se sentiret, recognoscere magnum bonum quod esset cum illo agere, et virum nosse, cujus conversatio jam in terra tamquam Sancti erat. »

(Ex Processu Ordinario)

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 201. *ter. respondit*: « Patrem Hofbauer haereticos convertendi zelo flagrasse, certo constat. Ego bene novi conversionem domini de Klinkowström ejusque conjugis, et conjugis domini de Pilat. Horum conversorum fides, humilitas et fervor totam saepissime aedificabat ecclesiam monialium. Quod si haud paucae personae altioris conditionis in media ecclesia jacerent in genua prostratae, hunc devotionis spiritum ex verbis et exemplis Patris Hofbauer, qui ipsis a confessionibus erat, hauserant. Ad conversionem haereticorum tum inchoandam, tum perficiendam litterarum etiam cum eis habuit commercium. »

§ 59. *Quos ad fidem convertit, pietate excelluerunt.*

XV. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 374. *ter. respondit*: « Multos ad meliorem convertit vitam, aliosque in via christianae perfectionis direxit. Per eum non solum uxor mea, sed etiam duae ejusdem sorores ad catholicam Ecclesiam reductae fuerunt, omnes tres antea Augustanae adhaerentes confessioni. »

Rursus XV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 376. *ter. respondit*: « Singulari prorsus prudentia Servum Dei fuisse praeditum peccatores convertendi eosque ad praestanda opera difficilia inducendi, hoc facto probare possum. Uxorem meam (defunctam) ob certam aversionem contra confessionem

§ 60.
Praecellens Servi Dei prudentia in objectionibus haereticorum diluendis.

difficultates proferentem, ne catholicam profiteretur fidem, Servus Dei sensim, et ut ita dicam, ipsam insciam eo deducere novit, ut totius vitae anteactae rationem ipsi exponeret. Quo factum est, ut Servus Dei perspecta tali modo ejus conscientia, cum magno ejus stupore et gaudio declararet, eam eo ipso jam confessionem quamdam fecisse, et ita, aversione ejus sublata, lucratus est animam. »

XVIII. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 404. *ter. respondit* : « Certum est, parentes meos felicis recordationis in manus P. Hofbauer fidem professos esse catholicam ejusque fuisse poenitentes, donec viveret. »

I. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 115. *respondit*: « Heterodoxos saepe ad amplectendam veram religionem induxit. »

Ampliora rei documenta jam supra Num. 8. Art. IX. et Num. 11. Art. II. *relata sunt.* »

ARTICULUS VII.

In gravissimis Ecclesiae universalis negotiis prudens Ven. Servi Dei consilium requisitum est.

(Ex Processu Apostolico)

§ 61.
In Congressu Principum Vindobonensi multa bona operatus est.

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 168. *respondit* : « Anno 1815. cum Vindobonae Congressus Principum celebraretur, Ven. Servus Dei magnum pro sancta fide Ecclesiae meritum sibi comparavit. »

Fol. 169. « Scimus tres sacerdotes causam Ecclesiae in congressu defendisse, quorum caput Helferich Canonicus praebendarius ecclesiae cathedralis Spirensis fuit. Dicit autem Pater Srna, qui eo tempore in domo Patris Hofbauer habitabat, dictum Helferich quotidie Ven. Servum Dei adiisse, ut ejus consilium expeteret: unde patet, Patrem Hofbauer horum virorum pro causa Sanctae Ecclesiae militantium, ut periculum schismatis averterent, ducem fuisse. In eadem biographia porro narratur, Principes et Ministros Germaniae omnes consiliis Wessenberg propensos fuisse et tantum Bavariam sese eisdem opposuisse, et ita decisionem impedivisse. Sine dubio jam tunc Bavaria cum Sede Apostolica conventionem inire intendebat. Atqui constat, tempore Congressus Principum Ludovicum, Principem haereditarium Bavariae, saepius Patris Hofbauer domum adiisse, et diu cum eo conversatum esse, imo audivi, eum quadam die fere per integram noctem apud Ven. Servum Dei versatum esse, unde vix a veritate aberrabis, si oppositionem Bavariae, auctoritati Principis haereditarii, aut operae Domini Helferich apud regem Maximilianum impensae, itaque ut causae primariae zelo et orationibus Ven. Servi Dei attribueris. »

II. Testis *juxta* 43. *Interr. fol.* 437. *respondit* : « Ven. S. D. etiam apud Ludovicum, Principem haereditarium Bavariae,

in magno honore habebatur. Hic saepius eum visitavit, et quodam die ab hora octava cum dimidia pomeridiana, usque ad horam secundam matutinam et ultra apud eum mansit. Servus Dei nos moniales rogavit, ut pro Ludovico, tum Principe haereditario postea Rege Bavariae, preces funderemus. Principem haereditarium Ludovicum saepius Ven. Servum Dei invisisse, et quadam nocte per plures horas apud cum mansisse, nobis a sacerdotibus, qui erant circa Ven. Servum Dei, Patre Martino Stark et Patre Roeger, relatum est.»

§ 62. *Principem haereditarium Bavariae consiliis et precibus juvit.*

I. Testis ex officio *juxta* 24. *Interr. fol.* 679. *ter.* « Clara, qua pollebat, intelligentia, lumine supernaturali illuminata, summopere ad dirigenda gravissima negotia capacem eum fecit, maxime vero ad ea quae praeter plurimam prudentiam interiorem sanctitatem requirunt.

§ 63. *Severoli, Nuntius Apostolicus, ejus prudentiam summis laudibus extulit.*

Rmus et Illmus Dnus Severoli, tunc Nuntius Apostolicus apud aulam imperialem Vindobonae, qui ad Cardinalatum promotus obiit, quodam die digito in P. Hofbauer monstrans, qui tamen dicta audire non poterat: « Videte, inquit, hunc sacerdotem religiosum in habitu suo gravi et simplici, sed quantumvis externe tam simplex compareat, nemo tamen invenitur, qui melius ipso gravissima negotia expedire calleat. In Nuntiatura aliquando negotia tam difficilia occurrunt, ut eis solvendis vix capax quis videatur. Saepe ad componenda talia negotia hunc optimum Patrem consultavi, et numquam causam, cur me poeniteret, habui, ubi enim nos frustra adlaboraverimus, manifesta sanctitas personae, vis persuasiva rationum, quas adduxit, et amabilis simplicitas sermonis adeo feliciter spiritum virorum in dignitate constitutorum commovebant, ut omnem malam voluntatem vinceret, et id obtineret, quod paulo ante impossibile videbatur. - Cuidam suorum amicorum valedicens P. Hofbauer hoc ultimum verbum dixit: Puritatem cordis et rectitudinem intentionis diligenter conserva. Haec verba V. S. D. apprime omnia exprimunt, quae ipse in intimis animae suae gerebat. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 748. *respondit*: « Quam gravi moerore eum affecerint studia Sailerii et Wessenberg ex ejus literis patet, maxime ex voto ejus circa doctrinam Sailerii quod expostulatus a S. Sede exhibuit. Sana doctrina V. S. D. summopere laudatur in literis Card. Consalvi de die 26. Julii anni 1820. ad Ludovicum, tunc principem haereditarium Bavariae, in quibus Emus Card. inter alia haec habet « Vostra Altezza, che tanto giustamente apprezzava le virtù e la sana dottrina del defunto Padre Hofbauer. »

§ 64. *Circa doctrinam Saileri sententia V. S. D. exquisita est, quae plurimum placuit Emo Consalvi.*

Et *fol.* 754. *ter.* Ipsi Cardinales Sanctae Ecclesiae Romanae, uti ex. gr. Severoli, Litta, Consalvi, ejus opinionem circa negotia ecclesiastica exquisierunt, et magnum pondus ejus sententiae attribuerunt. Etiam Ludovicus Rex Bavariae cum adhuc Princeps haereditarius esset, in Congressu Principum

Vindobonensi ejus directioni spirituali se submisit, et de negotiis ecclesiasticis colloquia cum eo instituit. Sicut Emus Card. Reisach mihi dixit, viri catholici fama celeberrimi Germaniae in Congressu Vindobonensi circa V. S. D. se collegerunt, et cum iis adlaboravit, ut studia schismatica tum praevalentia ecclesiam nationalem Germaniae erigere tendentia impugnaret. »

§ 65. *Studiis schismaticis cum amicis suis fortiter se opposuit.*

(Ex Processu Ordinario)

§ 66. *De periculis, quae timebat pro Ecclesia, Apostolicam Sedem sollicite admonebat.*

I. Testis *juxta* 22. *Inter. fol.* 101. *ter. respondit*: « Animus Servi Dei Romam semper directus; illuc mittebat litteras annuntiantes quidquid periculi pro Dei Ecclesia ipsi innotuerat. »

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 200. *respondit*: « Servum Dei propagandae Ecclesiae Dei semper studuisse, summoque affectum fuisse dolore, si eam et sacras ejus doctrinas videret oppugnatas, res est de facto certa. Id in eo observavi praesertim anno 1816. et 1817. Cum impiae Episcopi Dalbergii et Wessembergii doctrinae proludere viderentur ecclesiastico schismati, Servus Dei continuis suspiriis Deum enixe orabat pro utroque, et doctos viros summo excitavit zelo, ut Ecclesiae Dei causam agerent, eos juvans superno suo lumine. Doctorum istorum virorum caput erat celeber praebendarius Spirensis Josephus Helferich, Patrem Hofbauer quotidie fere adiens, cujus audiret consilia. Deus Optimus Maximus, auditis suspiriis et benigne exceptis precibus et sacrificiis, pro sua misericordia Episcopum Dalberg ad meliorem avocavit vitam, qui revocatis erroribus anno 1817. sive initio anni 1818. valde contritus diem ultimum obiit. »

§ 67. *Confirmantur dicta* §§. 61. *et* 65.

XIX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 432. *ter.* « Omnes Congregati sciunt S. Alphonsum magnam posuisse spem in Patre Clemente, Piumque Sextum declarasse, S. Alphonsi spiritum in eum et Patrem Hübl transiisse. Pius Septimus eum noverat jam eremitam, eique anno 1803. Romam visitanti magnas largitus est gratias. A Rege Poloniae Stanislao et a Nuntiis in Varsaviensi Aula commorantibus magni eum fuisse habitum, haec omnia scimus ex Tannoja, qui anno 1802. vitam S. Alphonsi ediderat Neapoli. Ludovicus Bavariae Rex, cum princeps adhuc haereditarius congressui Vindobonensi interesset, apud eum expiavit conscientiam, et in paupere habitatione eum visitavit. Nuntiorum Severoli et Leardi amicus erat domesticus, Episcopus Zaengerle eum habebat confessarium; Episcopus Ziegler sanctum eum aestimabat; etiam Praepositum ecclesiae cathedralis Augustanae Vindelicorum, Allioli, apud eum vidi. Ejus cultoribus adhuc annumerandi sunt eximii viri: Fridericus de Schlegel, Fridericus Zacharias Werner, Adamus Müller, Liber Baro de Penkler, Professor Ackermann, consiliarius Stifft et Imperatoris Francisci confessarius Darnaut. Ego Servum Dei hominem sanctum reputavi. »

§ 68. *Pius VII, Stanislaus Poloniae Rex etc. magno in pretio eum habuerunt.*

§ 69. *Nuntii Apostolici, Episcopi, aliique viri gravissimi egregie de Servo Dei senserunt.*

ARTICULUS VIII.

In Ven. S. D. cum prudentia rara simplicitas erat unita.

(Ex Processu Apostolico.)

I. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 157. *respondit*: « Minime praedicabat eo modo, qui coram auditoribus cultis et eruditis quasi necessarius putatur, sed cum summa simplicitate, cum nihil vehementius desideraret, nisi ut ab omnibus etiam ab infantibus et aniculis intelligeretur. Attrahebantur autem ad eum, quia ex ejus persona totoque habitu, sive in pulpito, sive ad altare comparebat, eximius zelus honoris Dei et salutis animarum elucebat; nec non ratione incomparabilis claritatis, qua etiam profundissima mysteria explicabat, animi fortitudine, qua perversum spiritum sui aevi impugnabat, potestatem publicam, Josephinismo imbutam, quae eum semper observabat, minime pertimescens, et desiderio audiendi tandem aliquando doctrinam catholicam, puram et integram, quae res eo tempore in ecclesiis Vindobonae satis rara fuit, cum doctrinae maxime necessariae, exempli gratia de Eucharistia, de Sacramento poenitentiae, de sancta Ecclesia, ejusque summa auctoritate, de matre Dei Ssma, et de veneratione sanctorum rarissime, et tantum data occasione exponerentur, et e contra nonnisi quaedam moralis insulsa adaquata traderetur. »

§ 70. *Cum profunda scientia simplicitatem et claritatem conjungebat.*

II. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 223. *ter. respondit*: « Injuriis vero semper suavitatem tantum opposuit. Bene memini facti sequentis. Aliquando quidam juvenes studentes libertatem sibi arrogabant irridendi eum in pulpito concionantem. Ven. Servus Dei vero ad tam indignum modum se gerendi repellendum quietus, sed firmus dixit: « Ridete modo, sed qui ridet in fine, hic optime ridet. »

§ 71. *Simplicibus verbis magnos effectus obtinuit.*

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 236. *respondit*: « Habuisse eum zelum sanctae fidei tum ex ejus studio continuo fidei resuscitandae et propagandae, tum ex mirabilibus effectibus et successibus, quos suis simplicibus et inornatis concionibus apud nobiles et plebejos obtinuit, mihi liquet. »

IV. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 258. *ter. respondit*: « Bene recordor verbum Ven. Servi Dei concionantis permagna vi corda penetrasse. Simile fuit flammae ignis subito corda accendentis, vel gladio animam transfigenti, et utique mihi persuasum est, effectus sermonum Ven. Servi Dei particulari gratia tantum Spiritus Sancti explicari posse. »

VII. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 303. *respondit*: « Modus concionandi valde simplex et perspicuus et in explicando divino verbo, valde solidus erat: omnes cum summa attentione eum audiebant. »

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 313. *respondit*: « Ex propria scientia

confirmare possum, Ven. Servum Dei omnes sive pauperes, sive divites modo simplici et aequali tractasse; omnibus enim bonitatem et charitatem exhibuit. »

VIII. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 340. *respondit*: « Ven. Servus Dei in praedicando fuit simplex et perspicuus, et simul etiam ita fortis, ut corda auditorum concuteret, et multi eorum, qui cum perversa animi dispositione, imo cum proposito illudendi ejus sermonibus in ecclesiam nostram venerant, verbo Dei ex ejus ore profluente valde commoti et concussi a domo Dei recesserunt, et exinde diligentissime ejus sermonibus intervenerunt, et sacrum tribunal adierunt. »

I. Testis ex officio *juxta* 24. *Interr. fol.* 676. *ter. respondit*: « Semper istum Venerandum Sacerdotem praesentem conspicere mihi videor, qui toto habitu suo nobili, dignitate pleno, simulque valde simplici sanctam pacem circum se diffundebat, et consolationes sanctae charitatis effundebat. Ejus sermo semper simplex erat; verbis minime exquisitis utebatur, quae nihilominus magnam mentis profunditatem monstrabant, et statim fiduciam excitabant. »

§ 72. *Veritatis amator, astutiam et versutiam odio habuit.*

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 408. *respondit*: « Politicam, astutiam, versutiam supportare non potuit; voluit, ut in omnibus rectitudo et sinceritas servetur; amavit veritatem et sinceritatem, et voluit ut hae virtutes etiam ab aliis exercerentur. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 73. *Prudentiae serpentis simplicitatem columbae conjunxit.*

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 108. *ter. respondit*: « Huic serpentis prudentiae miram unitam habebat Servus Dei infantilem simplicitatem, quae inimicorum confundebat prudentiam, ipsumque regno Dei in terra defendendo et propagando aptum reddebat apostolum. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 146. *respondit*: « Servum Dei cum sua simplicitate altum semper prudentiae gradum unitum habuisse, indubitata mihi quovis tempore res fuit. In ejus vultu strenuo, et tamen serenissimo et benigno, praesertim in oculis, manifeste sese prodebat subtilis et profunda cognitio, qua homines penetrabat et res dijudicabat, ita ut taciturnus quandoque aures praebens vultum quodammodo satyricum assumeret, sed magna semper benignitate mitigatum. Aliquoties mihi dixit: « *Astutus es, me autem nequaquam fallis.* » Et revera nemo eum fallere valebat. »

§ 74. *Pro varia cuiusque indole cum singulis agebat.*

Et *infra fol.* 147. « Magna spiritus acie penetrabat animarum habitum, characterem, et corporales etiam singulorum necessitates. Mihi, exempli gratia, permittere omnino recusabat, ut primo mane surgerem id noxium mihi esse apprime cognoscens, quamvis ea de re nunquam me examinasset. Cum singulis hominibus pro eorum propria indole agere novit. Severe quondam me corripuit (sed coram me solo) quod altare domesticum in pauperis familiae cubiculo imaginesque in eo positas horribiles appellaverim. « *Attende*

tibi, inquit, *non decet in iis, quibus delectantur, homines offendere.* »

XXI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 474. « Ejus prudentia enituit in suadendo, dijudicando et moderando eos omnes, qui ipsum conveniebant. Ejus simplicitas erat singularis. Eadem promptitudine omnibus serviebat, verum dicebat absque fuco et ambagibus. Excellebat grati animi obsequio erga benefactores; ingenua animatus libertate, qua veritati reddebat testimonium, exardescebat in vitia, vindicabat Ecclesiae jura; constans erat ad omnes adversariorum aggressus, inconcussus in adversitatibus, et impigra constantia pro Dei gloria dimicabat. »

§ 75. *Praefulsit ejus prudentia in suadendo, judicando, et moderando.*

X. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 300. *ter. respondit*: « Servus Dei cito etiam humani cordis penetrabat indolem, et hoc, quo indigeret, bene novit. »

XXIX. Testis *juxta* 18. *Interr. fol.* 581. *respondit*: « Novi etiam eum eodem paterno modo inconvenientias nonnullas correxisse, qua in re tamen severitati semper miscebat benignam suam comitatem. »

§ 76. *Severitati comitatem miscens correctiones suas efficaces reddebat.*

XIX. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 430. *ter. respondit*: « Jam commemoravi, Servum Dei simplicissimo suo sermone tum in pulpito, tum in sacro tribunali, mirum in modum commovisse animos, prout in memetipso experimentum feci. »

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 544. *ter.* « Quanta ejus erat virtus prudentiae, tanta etiam simplicitas et apostolica rectitudo. »

Et *infra fol.* 545. *ter.* « In eo nihil cernebas, quod esset affectatum, artificiosum, simulatum; omnis ejus tenor vere apostolicus erat, tum in gestibus tum in vestibus; habitatio ejus pauperrima et simplicissima; ad instar S. Philippi Nerii etiam discipulos suos humiliandi peritus erat, mittens eos jusculum aliasve res petitum, qua occasione ludibrio expositi fuerunt. Omnia autem summa cum discretione spirituum peragebat, quae illi inerat alto in gradu. »

§ 77. *Nihil artificiosum, simulatum, affectatum in Dei Famulo.*

Conferatur supra Num 8, art. VII. et VIII., ac Num. 11, art. VI.

ARTICULUS IX.

Prudentia Ven. S. D. divinitus illuminata.

(Ex Processu Apostolico)

XVII. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 600. *ter. respondit*: « In pulpito plenus ardore, et ex corde suo loquebatur, et ut mihi quidem videbatur, ea pronuntiabat, quae Spiritus Sanctus in ejus ore posuerat. Quae dixit, omnium indigentiis respondebant, ita ut quilibet haberet, quod ei conveniebat. »

§ 78. *Spiritus Sanctus ex ejus ore loqui videbatur.*

I. Testis ex officio *juxta* 24. *Interr. fol.* 679. *ter. respondit*: « Clara qua pollebat intelligentia lumine supernaturali illu-

minata, summopere ad dirigenda gravissima negotia capacem eum fecit, maxime vero ad ea, quae praeter plurimam prudentiam interiorem sanctitatem requirunt. »

Et *juxta* 28. *Interr. fol.* 686. « In suo habitu exteriori nihil videbas splendidi, nec observabas id, quod homines ingeniosum vocant; sed comparuit sicut homo a Deo illuminatus. Perspicere poteras, ipsum semper cum Deo intime esse conjunctum, et quasi ex sublimiori regione mundi sensa sua recipere. Credo, sanctos ita hominum conspectibus se exhibuisse. E facie ejus suavis gravitas, tranquilla serenitas, pax nulla passione perturbata, mentis recollectio perfecta elucebant. Quoddam lumen super ejus vultum effusum resplendere cernebas. »

§ 79. *Super ejus vultum lumen resplenduit.*

§ 80. *Ejus sapientia et scientia admirabilis fuit.*

II. Testis ex Officio *juxta* 35. *Interr. fol.* 760. *respondit*: « Admirabilis fuit sapientia et scientia V. S. D. quae certe scientiam mere humanam superabat. »

III. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 242. *ter. respondit*: « Juxta meam persuasionem effectus mirabiles concionum, quae simplices et omni ornatu destitutae erant, inter dona particularia supernaturalia, quibus V. S. D. ornatus fuit, numerandi sunt. »

§ 81. *Effectus ejus sermonum gratiae S. Spiritus adscribendi sunt.*

IV. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 258. *ter. respondit*: « Bene recordor verbum Ven. Servi Dei concionantis permagna vi corda penetrasse. Simile fuit flammae ignis subito corda accendentis, vel gladio animam transfigenti, et utique mihi persuasum est effectus sermonum V. S. D. particulari gratia tantum Spiritus Sancti explicari posse. »

VIII. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 363. *respondit*: « V. S. D. gratiam quoque habuit, qua hominum corda admirabili lumine penetrabat. »

§ 82. *Corda hominum perscrutabatur.*

Juxta 28. *Interr. fol.* 341. *ter. respondit*: « Haud raro cum ad confessionem accederem, plurimas res ei exponendas paratas habui, sed antequam eas exposui, jam ad omnia, quae proferre volui, responsum et decisionem dedit, ita ut minime opus esset, ut angustias cordis ei aperirem. »

Iterum *juxta* 35. *Interr. fol.* 364. « Documentum, quomodo Ven. Servus Dei corda penetrabat sequens est factum:

Ven. Servus Dei saepius mihi gaudium suum communicare dignatus est, quod discipuli ei parabant. Aliquando novum inter ejus discipulos vidi, qui inter Missam coram SSmo exposito celebratam, et ad benedictionem pomeridianam ad altare in cornu Evangelii genuflexus cantica ecclesiae perbelle cantabat. »

§ 83. *Affertur exemplum.*

Sumpsi igitur libertatem congratulandi V. S. Dei de novo discipulo. Sed quantum obstupui audiens responsum: Hunc non retineo; et cum hoc diceret, suavitas et sancta gravitas ex ejus facie resplenduit. Cumque meam admirationem adverteret, addidit: » Intuere eum! animum inquietum in vultu et actionibus prodit ». Ven. Servus Dei recte judicavit: juvenis inconstans paulo post sanctam fidem, quam brevi

ante Romae per sacrum baptismum receperat, dereliquit. Nomen ipsi Wolf erat; eum jam mortuum esse dicunt. »

IX. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 422. « Certum est, Ven. Servum Dei donum habuisse tali modo in cordibus hominum legendi, uti solum particulari illustratione Spiritus Sancti fieri potest. In sacra confessione facile videbas, secreta cordis ipsi esse aperta.

(Ex Processu Ordinario)

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 438. *ter. respondit*: « Ejus prudentia sese manifestavit dono discretionis spirituum et alta supernaturaliter saepe illuminata cognitione status conscientiae. Quotquot confessarium sibi eum assumpserant, bene cognoverunt et experti sunt, nec intimas cordis plicas ipsum celari potuisse, nec illum falli. Egregiae autem hujus prudentiae radix erat ejus ipsa *simplicitas*. »

§ 84. *Habuit donum consilii.*

XXII. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 484. *ter.* « Mihi constat, P. Joannem Clementem Hofbauer non solum supernaturale consilii donum habuisse, sed virtutem a Spiritu S. provenientem ipsi in genere infuisse, quemlibet absque status et conditionum discrimine pro cujusvis salute dulci et convenienti modo vincendi. »

XXIX. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 600. *respondit*: « Quod attinet ad Patris Hofbauer conciones et instructiones, quae potenter animos movebant et constantes producebant fructus, certe earum successus longe superabat sermonis simplicitatem, omnis oratorii ornatus expertem, ita ut omnes fere supernorum donorum haud omnino ignari hanc Patris Hofbauer sermonis virtutem tamquam supernaturalem agnoscerent. Ex ipso loquebatur vivacitas fidei, teneritudo charitatis, et fervor apostolici zeli. Omnibus, qui eum audiebant, etiamsi essent diversissimorum ordinum, ipse satisfecit... Ex certissimis documentis novi, Patrem Hofbauer sublimiori illa praeditum fuisse sapientia, vi cujus divinae gratiae, quin ipse violenter procederet, occasionem praebebat operandi in corde hominis, et ita aeque suaviter ac fortiter eorum procurabat salutem, quorum moderabatur conscientiam. »

§ 85. *Artificiosos ornatus in sermonibus non admiscuit.*

§ 86. *Fortiter et suaviter suorum consulebat saluti.*

XIX. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 430. *ter. respondit*: « Servus Dei spiritus celerrime discernebat. Sic narrari audivi, Servum Dei juveni secum eodem tempore in Praemonstratensi conventu Klosterbruck commoranti, ut ibidem tyro probaretur, dedisse consilium, ut plus temporis orationi et minus lectioni impenderet, alias enim rem ipsi haud bene successuram. Quam recte istum dijudicaverit Servus Dei ex eo liquet, quod hic Joannes Jahn, paulo post relicto Conventu ob doctrinas minus catholicas tristem postea famam sit nactus, ita ut nonnulla ejusdem opera indici librorum prohibitorum insererentur. Ipse ego doleo, quod ejus scripta

§ 87. *Juvenem sciendi nimis cupidum hortatur, ut orationi magis quam lectioni vacet.*

legere debuerim. Transeundo hic adduco, hujus Jahn patrem fuisse molitorem in Tasswitz et Patris Hofbauer patrinum. Servus Dei et cordium novit secreta. Quodam die juvenis Vindobona Varsaviam venit, SS. Redemptoris Congregationem ingressurus. In Sancti Bennonis ecclesiam ingressus tanta captus est anxietate, ut a proposito desistere constitueret, et Vindobonam reverti. Interea Servus Dei cognita ejus tentatione eum ad se arcessivit. Anxietate illico deposita primum retinuit propositum, prout Servus Dei consilium dedit. Hoc factum certissime a Patre Stark audivi narrari. Iste juvenis erat Mathias Windhalm, postea laicus frater, quem exemplarem novi religiosum. Mortuus est Vindobonae, prout opinor, anno 1826. »

§ 88. *Prudentia Servi Dei divinitus indita apparuit.*

XXVI. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 548. *respondit*: « Extraordinarii fructus, quos produxit in pulpito, in sacro tribunali et in conversatione cum omni genere hominum conspicuorum et infimorum, doctorum et rudium, et magnae commutationes, quas effecit eo tempore, quo fides, timor Dei, veneratio erga Romanam Sedem et Sanctam Ecclesiam adeo procumbebant, cum naturalibus mediis linguae ejus cognitionis, scientiarum et aliarum dotum tam parum concordabant, ut palam fiat, magna opera ab eo patrata speciali tantum Dei gratiae ejusque heroicis virtutibus esse attribuenda. »
Conferatur supra Num. 8. art. VII.

Num. 13. *De heroica justitia.*

DE HEROICA JUSTITIA

ARTICULUS I.

V. S. D. tamquam vir justus leges Dei, S. Ecclesiae et proprii status sedulo observavit.

(Ex Processu Apostolico)

§ 1. *Omnem legem servavit, nisi lex humana divinae esset opposita.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 179. *ter. respondit* : « Quod ad justitiam christianam spectat, Ven. Servus Dei fuit vir rectus et justus, fidelis in observandis praeceptis Dei et S. Ecclesiae, nec non particularibus obligationibus status, etiam auctoritatibus saecularibus exacte obediens, nisi aliquid praeciperent, quod legi Dei contradiceret: id quod proh dolor! utique saepius accidit.
In hoc casu intrepide agebat, juxta verba S. Scripturae: Deo magis obediendum est, quam hominibus.
In hujus rei argumentum servire possunt ejus responsa, quae in jam dictis inquisitionibus dedit; alia de hac virtute Ven. Servi Dei adducere nequeo. »
VII. Testis *juxta* 30. *Interr. fol.* 305. *respondit*: « Tenendum est, ipsum omnes obligationes suas semper religiosissime adimplevisse. Cum summo studio semper in id incubuit, ut alios ad perfectionem induceret, bono exemplo praeiret, et

vivo animarum zelo plenus ubique honorem Dei augmentare studeret. Nihil unquam in eo observavi, quod quacumque ratione obligationibus ejus contradixisset, nec unquam audivi, hac in parte quidquam in eo deprehensum fuisse. »

VIII. Testis *juxta* 30. *Interr. fol.* 344, *respondit*: « Dubitari non potest, Ven. Servum Dei omnes obligationes suas religiosissime observasse. In omnibus, quae fecit, nihil unquam detegere potui, quod ex minima parte imperfectum videretur. Ejus vita erat penitus perfecta et sancta, exemplum omnibus et maxime suis sacerdotibus.

Et *juxta* 36. *Interr. fol.* 368. *respondit*: « Id vero ex propria experientia attestari possum, totam vitam Ven. Servi Dei per illos septem annos, quibus nos usque ad obitum suum gubernavit, continuum et manifestum miraculum fuisse: nam semper sibi aequalem coram Deo ambulare, semper ardenti zelo unice Dei honorem quaerere, et ubique diffundere, omnia perferre, omnia sustinere, ut quis Altissimo, tamquam holocaustum perfectum se exhibeat, omnes vires animi et corporis unice in servitium Dei, et ad salutem animarum applicare, et in hunc finem omnes occasiones infatigabili fervore arripere, et in tali studio et opere quotidie perseverare, hoc mihi res vires humanas longe excedens et tantum viro donis supernaturalibus munito possibilis videtur. »

§ 2.
Ne minimi quidem defectus in V. S. D. observabantur.

IX. Testis *juxta* 30. *Interr. fol.* 383. *respondit*: « In Ven. Servo Dei ne minimum quidem observabas, quod non plenissime cum praeceptis Dei et Ecclesiae vel quibuscumque particularibus obligationibus status sui concordabat, aut majorem Dei gloriam, aut animarum salutem non intendebat. »

Et *juxta* 44. *Interr. fol.* 438. « Ven. S. D. dum inter vivos ageret, utique adversarios habebat: nimis severa et rigorosa eis videbantur, quae praedicabat, et quae quoad vitam catholicam inculcabat; sed ne minimum quidem audivi, quod sanctae vitae Ven. Servi Dei maculam inurere possit; imo ipsi ejus contrarii post ejus obitum non haesitaverunt firmiter asserere, Ven. Servum Dei sanctum sacerdotem fuisse. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 755. *ter. respondit*: « Sine dubio V. S. D. justitiam amavit et exercuit, praecepta Dei et S. Ecclesiae, nec non particulares religiosi status obligationes fidelissime et religiosissime observando. »

Multa alia documenta hujusmodi jam supra relata sunt num. 7. et num. 10. art. I.

(Ex Processu Ordinario)

§ 3.
Omnes obligationes suas V. D. Famulus sedulo implevit.

II. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 141. « Quoadusque ego eum observavi, nihil unquam deprehendi, quod suspicionis umbram dare posset, eum non satisfecisse per totius vitae decursum stricte, ferventer, et constanter tum votis et regulis sui instituti, tum Dei et Ecclesiae praeceptis. Defectum in contrarium nullum scio, quem referam. »

III. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 175. *ter.* « Servum Dei tam praecepta divina et ecclesiastica, quam regulas domus suae et vota religiosa stricte observasse, penitus mihi est persuasum. »

IV. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 188. « Praecepta Dei et Ecclesiae, instituti sui regulas et vota religiosa eum exacte, diligenter et constanter observasse, nec uno momento solo dubito. »

V. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 198. *ter.* « Optima fide confirmare possum, Servum Dei praecepta Dei et Ecclesiae, nec non regulas et vota sui Instituti per illud tempus, quo ego eum cognovi, exacte, diligenter et constanter servasse. Defectum contrarium non observavi. »

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 234. « Nunquam observavi, eum prae ultimo Communitatis membro exceptionem in regularum observatione sibi indulsisse. »

VIII. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 252. *ter.* « Pater Hofbauer in cunctis erat perfectus; nec possibile reputo, eum mandatum aliquod vel regulam fuisse transgressum. »

XII. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 372. *ter.* « Certissime credo, Servum Dei omnia praecepta, statuta et vota religiosissime, diligentissime, et constantissime observasse, nec unquam contra ea deliquisse. »

XIV. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 356. *ter.* « Quod sciam ejus verba et opera perfecte congruebant cum Dei et Ecclesiae praeceptis, cum regulis et votis religiosis; nihil in contrarium unquam observavi. »

XV. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 375. *ter.* « Quod ego quidem sciam Servus Dei certissime omnibus obligationibus suis exactissime satisfecit. »

XVII. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 394. *ter.* « Certe Servus Dei omnibus officiis suis religiosissime satisfecit; ego nunquam observavi, eum ullo modo contra ea deliquisse; nunquam in eo vidi commotionem peccaminosam, nunquam verbum audivi inconsideratum. »

XXX. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 612. *ter.* « Ne minimum quidem dubito, Servum Dei per totam vitam Dei et Ecclesiae praecepta, nec non Congregationis suae regulas et vota religiosa exacte et diligenter observasse; virtutes a me in eo observatae hoc mihi testantur; defectus ejus obligationibus oppositos in eo nunquam observavi. »

ARTICULUS II.

Officiis suis Ven. S. D. plenissime satisfecit.

(Ex Processu Apostolico)

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 356. *respondit*: « Quantum Ven. Servus Dei erga alios in charitate dives et indulgens

erat, tantum severus erat erga se ipsum, et in sacrificium charitatis proximi se offerebat. Etsi mala valetudine laboraret, nullam tamen quietem sibi dedit, et solitos labores non intermisit. Doloribus cruciatus tamen in sacro tribunali assidebat, et omnium accedentium confessiones audiebat. »

§ 4. *Fuit cum aliis benignus, cum se ipso severus.*

Et *fol.* 358. *ter.* « Jam supra dixi, V. S. D. prima mane se in ecclesiam Mechitaristarum contulisse, ut confessiones ibi eum expectantium audiret. Inde in nostram ecclesiam reversus est, ut simili modo officium suum exerceret. Incluso Missae sacrificio, quod quotidie obtulit, a primo mane usque ad horam decimam circiter quotidie sine intermissione in servitio divino occupatus fuit, et nonnisi terminatis functionibus sacerdotalibus scutellam puri jusculi, quod ex nostra culina accepit, sibi indulsit; aliud jentaculum non noverat. »

Nec corporis dolores vel infirmitates, nec frigoris, nivis vel pluviae aut alia incommoda eum movere poterant, ut ordinem diurnum intermitteret, vel aliquas functiones sacerdotales omitteret aut abbreviaret. »

X. Testis (Emus Cardinalis Rauscher) *fol.* 450. « Directionem spiritualem Monialium S. Ursulae, quarum confessarius fuit, summa religione ac diligentia gerebat, saepe ad aegrotos vocabatur, multi eum consilium ejus petentes adibant. Frequenter pauperes visitabat, eleemosynam afferens et monita salutis superaddens.

§ 5. *Munus directoris monialium exactissime obivit.*

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 755. *ter. respondit:* Cum aliquando faucium laboraret doloribus, mater duarum sororum Biringer focale sericum ei obtulit, sed V. S. D. illud restituit dicens: « Tale focale portare mihi non licet; regula id prohibet. » Subinde dicta mulier focale ex panno ei dedit, quod cum gratitudine accepit. Id duae Sorores Josepha et Rosalia Biringer, quae praesentes erant, mihi narraverunt. »

§ 6. *Regulam Congregationis suae nullo obstante incommodo, stricte observavit.*

Et *fol.* 758. « Fortiter V. S. D. institit, ut paupertas in Congregatione servaretur. Sic aliquando, cum P. Stark mantello suo ligamentum sericum assutum haberet, V. S. D. id severe reprehendit. Et focale sericum, de quo jam supra verbum feci, recusavit, quia rem sericam adhibere regula prohibet. »

§ 7. *Et institit, ut ab aliis servaretur.*

Eodem fol. ter.: « Otium abhorruit; si oratione non erat occupatus, tempus audiendis confessionibus, visitandis infirmis et moribundis applicavit. Tempore vespertino a juvenibus ipsum in habitatione sua invisentibus circumdatus erat, quibus monita valde salutaria dedit. »

(Ex Processu Ordinario.)

VI. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 229. *ter. respondit*: « Quamdiu Servum Dei novi, id solum observavi, ejus modum vivendi

sub quocumque respectu et constanter fuisse exemplarem. »

§ 8. *Confessarii munere functus est in exemplum.*

X. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 291. *ter.* « Testis oculata fui, qua pia gravitate, et profunda humilitate omnes sacras obiret functiones; zelo vere Apostolico verbum Dei praedicabat, et ardore pro religione catholica penitus erat inflammatus. In sacro tribunali mitissimus erat et optimus pater, filiis spiritualibus vere bonus pastor, cum charitate, mansuetudine et sancta patientia muuere fungebatur confessarii. »

Et *fol.* 296. *respondit*: « Status sui officia religiosissime semper obibat, quantumvis infirma laboraret valetudine. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 148. « Justitiae ejus specialia argumenta adducere nequeo, nisi quod personarum discrimen nullum admitteret, nulli aliquid deberet, quamvis omnium hominum debitorem in operibus charitatis cum Apostolo se profiteretur, exercens ideo officia sua etiam instante mortis periculo, vehementibus febribus et excessivo haemorroidis fluxu ipsi creato. Attestor, suprema ejus vitae hyeme viam, quam ab habitatione sua usque in Ursulinae ecclesiae sacristiam meaverat, per continuum sanguineum vestigium saepius me cognovisse. »

§ 9. *Officia sua obivit etiam cum discrimine vitae.*

Conferatur supra Num. 8, art. VII, et XII; Num. 11, art. II, III, VII *et passim.*

ARTICULUS III.

Omnibus eamdem Justitiam exhibuit V. S. D. ac liberalitate excelluit.

(Ex Processu Apostolico)

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 407. *ter. respondit:* « Ven. S. D. justus erat cum omnibus tum superioribus, tum subditis, nobilibus et ignobilibus. Cum in nostro Conventu directionem spiritualem assumeret, usus adhuc viguit, ut sorores conversae semel tantum in hebdomada ad sacram communionem admitterentur, dum sorores Choristae bis per hebdomadem sacra communione reficiebantur. Sed Ven. Servus Dei a Rmo Principe Archiepiscopo mandatum in scriptis obtinuit, auferendam esse hanc differentiam, et sororibus conversis qua talibus sacram communionem bis per hebdomadem non esse negandam. »

§ 10. *Quoad S. Communionem distinctionem inter conversas et choristas non admisit.*

Et *fol.* 413. « Erga alios liberalissimus fuit, quantum scilicet beneficiis aliorum liberalitatem exercere potuit; aliisque et praecipue nobis monialibus paupertatis amorem instillavit. »

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 240. *ter. respondit.* « Referre possum Ven. Servum Dei saepe panem et cibos inter pauperes distribuisse, et quidem tam liberaliter, ut famis propriae oblivisceretur; ipse etiam sub pallio suo alimenta ad egenos portavit. »

§ 11. *Erga alios fuit largus, secum parcus.*

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 312. *respondit*: « Pauperum

Ven. Servus Dei particularem curam habuit. Saltem quolibet sabbato in sacristia Ursulinarum eum panes inter pauperes dispensantem vidi. Saepe etiam sub mantello nutrimenta ad pauperes portabat. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 750. *respondit*: « Varsaviae pro orphanis pueris et puellis asyla erexit, eleemosynas pro iisdem quaesivit, et multa opprobria passus est; sed ea contempsit; et quae a Deo speravit, semper felicissime obtinuit. Dixit aliquando: « Si omnes nummos, quos Varsaviae pro pauperibus recepi et iisdem applicavi, in uno sacco haberem simul, vir solus portare nequiret. »

Et *fol.* 756. « Omnia inter pauperes distribuebat; et ejus discipuli comprehendere non poterant, quomodo tam parco cibo utens, sustinere posset labores. »

(Ex Processu Ordinario)

I. Testis *juxta art.* 80. *fol.* 131. *ter. respondit*: « Scio, eum imagines minus bene pictas acceptasse, et pictorem large remunerasse. »

§ 12. *Gratum animum ostendit, referens gratiam pro beneficiis acceptis.*

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 544. *ter.* « Nunquam audivi, Patrem Hofbauer, ut alios juvaret, contraxisse debita quo agere potuisset contra prudentiam et justitiam. Minimum servitium suo modo remuneravit, aut rosarium aut sacras imagines dando; infantes mandata sibi deferentes pomis donabat; memini me juvenem ad eum missum pomum ab eo recepisse. Paterna etiam charitate me amplexus est; iste amplexus istudque donum cordi meo coelestem quietem et laetitiam attulit. »

§ 13. *Propinquos posthabuit ut digniores officiis praeficeret.*

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 233. *ter.* « Quomodo justitiam coleret et propinqnis suis omnino renuntiasset, lucidum adducere possum exemplum, cujus testis fui oculatus. Quondam factum est ut in domo Jestetten magni momenti muneri praeficiendus quis esset, et duo sacerdotes religiosi, inter quos Servi Dei nepos, necessarias haberent qualitates. Cum vero alterum magis idoneum reputaret pro eo munere, hunc elegit nepote posthabito. »

§ 14. *Virum illustrem sed indigentem ingenti pecuniae vi donavit.*

XXII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 483. « Memini a P. Martino Stark Congregationis SS. Redemptoris audivisse me, Servum Dei indigenti scriptori politico, laudabilis memoriae Consiliario Aulico Adamo Müller, patri uxoris Domini Clementis de Pilat, donum centum aureorum dedisse, quod valde magnanimum et laudabile semper reputavi, etiamsi Servus Dei pecuniam aliunde accepisset. »

XXIII. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 491. « De laboribus Varsaviae susceptis mater mea quae saepius S. Bennonis ecclesiam visitavit, multoties mihi retulit, praesertim autem labores extulit pro inferioribus gradibus hominum, et liberalitatem, pauperum ad portam nutritionem, conciones matutinas pro famulis magna cum commotione commemoravit;

narravit mihi de ineffabili populi amore erga Congregationem, de gubernii timore in exequenda expulsione et de extraordinariis cautelis ex timore populi in ea adhibitis. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 595. « Quondam eum invisens prandii tempore, quo majorem pauperum hospitum numerum alebat cibis ex Ursulinarum conventu sibi missis, vidi eum stantem frigidis residuis simplicis cibi ex farina confecti aegre satiari. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 152. *respondit*: « In pauperum et amicorum servitio occupabatur, tamquam mater pro filiis. »

Conferatur supra Num. 11. art. IX.

ARTICULUS IV.

Religione, pietate, observantia emicuit V. S. D.

(Ex Processu Apostolico.)

§ 15. *Matrem suam pie venerabatur.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 167. *respondit*: « Pater Hofbauer pro summo beneficio, quod a parentibus piis catholicis natus erat, Deo saepius gratias egit; et praecipue Deum benedicebat, quod a pia matre in vera religione et timore Dei educatus est. »

VII. Testis *juxta* 10. *Interr. fol.* 298. *respondit*: « De matre sua semper cum magna veneratione loquebatur, et tum in sacro tribunali, tum in pulpito impense hortabatur, ut filii quartum praeceptum decalogi observarent, et parentibus venerationem et obedientiam exhiberent »

Juxta 31. *Interr. fol.* 302. *ter. respondit*: « Infatigabilis sui zeli animarum et ardentis devotionis in celebrandis divinis officiis in ecclesia Ursulinarum ego ipsa testis fui. Imprimis Ven. Servus Dei curam habuit, ut in majoribus festivitatibus altare bene ornaretur, et multis luminibus illuminaretur, quod hac ratione facere poterat, quia multi haec videntes excitabantur et commovebantur, ut largis donis eum adjuvarent. Eo tempore in nulla ecclesia Vindobonensi res divina cum tanta solemnitate celebrabatur sicut in illa Ursulinarum; quae ecclesia postea aliis exemplum exoptatae imitationis fuit. »

§ 16. *Cultum divinum promovebat.*

Et *fol.* 306. *ter.* « Vivum fidei zelum Ven. Servus Dei maxime ardenti veneratione et pietate, qua S. Ecclesiam catholicam tamquam matrem suam prosequebatur, manifestavit. Hac de causa exactissime et religiosissime omnes leges Ecclesiae observavit. Saepius concionando dixit: « Qui Ecclesiam non vult habere matrem, nec Deum vult habere patrem. »

§ 17. *Leges Ecclesiae exactissime observabat.*

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 747. *ter. respondit*: « Notum est, ipsum continue et in ipsis frequentatissimis viis Vindobonae Rosarium recitasse, et exemplo et verbo devotionem B. M. V. resuscitasse ac recitationem Rosarii antea despectam in usum revocasse. Valde venerabatur S. Josephum et SS. Apostolos. In piis peregrinationibus, quas Romam

§ 18. *Varia documenta religionis referuntur.*

instituit, saepe contigit, ut in Italia sub dio pernoctaret: tunc antequam quieti se daret, circulum in terra descripsit, eumque custodiae SS. Apostolorum commisit. Summopere venerabatur Sanctum Alphonsum. »

Et *fol.* 755. *ter.* « Nunquam audivi, ipsum de superioribus fuisse conquestum, imo reverentiam et obedientiam eis exhibuit. »

(Ex Processu Ordinario)

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 296. *respondit*: « Ipse Servus Dei nobis narravit, quomodo juvenis adhuc matris obsequutus esset consiliis. Bonus usus temporis in eo ubique observatus, et verba, quibus tum in pulpito, tum alibi bonum temporis inculcabat usum, probant quanti ipse fecerit tempus . . . Sancto Patri, Episcopo, Nuntio et Imperatori non solum ipse omnes exhibuit honores, sed et nos admonuit ad idem faciendum. »

§ 19. *Obsequium parenti adolescens praestitit.*

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 539. *ter. respondit:* « Aeque tenera, cum intima ejus essentia quasi conglutinata erat devotio erga Deiparam; Rosarium continue gestabat et recitabat, cantica in ejus honorem lubenter cantabat, peregrinatus est ad Cellas Marianas, etiam ad Domum Lauretanam peregrinatus est tum ante tum post susceptum sacerdotium, et Pater Sabelli narravit, quo gaudio Veteris Oettingae inspiceret tabellas votivas, et quomodo a Sanctuario vix avelli posset. Hac etiam in re fidelis imago erat S. Alphonsi, cujus Visitationes SS. Sacramenti et S. Deiparae ipse tamquam fidelis filius et successor diligenter diffundebat. »

§ 20. *Rosarium semper recitabat, sanctuaria B. V. M. visitabat.*

Omittimus plurima testimonia idem probantia, cum jam supra Num. 8. *et passim relata sint.* »

ARTICULUS V.

De gratitudine, amicitia, affabilitate uti documentis justitiae V. S. D.

(Ex Processu Apostolico)

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 313. *respondit*: « Etiam virtutem gratitudinis Ven. Servus Dei in summo gradu exercuit. Paulo ante obitum ejus, cum jam graviter infirmaretur, principissa Jablonowska eximia benefactrix mortua est. Ut gratum animum ei exhiberet, Ven. Servus Dei retineri non potuit, quin in ecclesia Italica Missam defunctorum pro ea celebraret. Proh dolor! hic dies insuper perfrigidus erat. Ille egressus malum ita adauxit, ut dein amplius exire non posset, nam paulo post mors secuta est. Nostrae quoque matri pro omnibus parvis officiis charitatis ei exhibitis gratum se monstravit. Comparuit enim Ven. S. D. ultimis vitae suae horis, cum jam agonizaret, videlicet hora

§ 21. *Ut gratum animum monstraret, propriae saluti non pepercit.*

§ 22. *Benefactricem piam mira apparitione consolatus est.*

sexta matutina, matri nostrae dormienti, et uti solebat in bisellio assidens, eam interrogavit: «Num omnia ab Imperatore obtinuisti? (a quo ea pensionem petierat) et affirmante ea ipse conquestus est de saeculi incredulitate et praeprimis, inter homines distinctos et officiales fidem amplius non inveniri, ter addens: Abeo nunc in eremum meam»; quo dicto evanuit. Cum paulo post soror nostra Anna, major nata, nunc jam defuncta matri tristem nuntium ferre vellet, Patrem Hofbauer jamjam moriturum, mater accedentem praevenit verbis: Parce verbis tuis, omnia jam scio; ipse Pater Hofbauer apud me fuit, ter dicens: Abeo nunc in eremum meam; ex quo clare cognosco, eum esse moriturum. Haec apparitio matri nostrae magnum de damno nostri SSmi Patris spiritualis dolorem valde mitigavit. Pater Martinus Stark, aliique plures sacerdotes in hac apparitione V. S. D. documentum grati erga matrem nostram animi agnoverunt. »

§ 23. *Charitate, urbanitate omnes attraxit.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 158. *respondit:* « Ven. S. D. paulatim magnum numerum studentium Universitatis, prae caeteris multos jurisprudentiae et etiam medicinae et Theologiae studiosos circa se colligebat, e quibus postea saltem viginti septem Congregationem ingressi sunt. Magnetis instar paterna sua charitate cor attraxit, et ut fideliter ipsi adhaererent effecit. Quilibet apud eum felicem sese sentiebat. »

Et *fol.* 172. *ter.* « Libenter vero et comiter orationem interrupit, si quis eum visitavit, et alloqui cupivit. »

II. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 222. *ter. respondit:* « Admiratus sum in eo amabilem urbanitatem in usu nobilium et plebejorum, sinceram gratitudinem pro benefactis, suavitatem teneram in docendo et corrigendo, inexhaustam beneficentiam erga egenos. »

I. Testis ex Officio *juxta* 24. *Interr. fol.* 680. *respondit:* « Manifesta sanctitas personae, vis persuasiva rationum, quas adduxit, et amabilis simplicitas sermonis adeo feliciter spiritum virorum in dignitate constitutorum commovebant, ut omnem malam voluntatem vinceret et id obtineret quod paulo ante impossibile videbatur. Cuidam suorum amicorum valedicens P. Hofbauer hoc ultimum verbum dixit: Puritatem cordis et rectitudinem intentionis diligenter conserva. Haec verba V. S. D. apprime omnia exprimunt, quae ipse in intimis animae suae gerebat. »

Et *juxta* 28. *Interr. fol.* 686. « Ex facie ejus suavis gravitas, tranquilla serenitas, pax nulla passione perturbata, mentis recollectio perfecta elucebant. »

II. Testis ex Officio *juxta* 28. *Interr. fol.* 742. « Postquam P. Hofbauer fidei professionem exceperat, nos tamquam liberos suos tractavit, et feliciores horas nunquam habui prae illis, quando apud eum (quod saepius post Missam factum est) Communione refecti collationem sumpsimus, ubi a discipulis suis nobis inservientibus circumdatus, revera

patrem familias laetabundum pium et hilarem se se exhibuit. Dña de Schlosser iterum atque iterum felicitatem extollit, quod Patrem Hofbauer prope nosset. »

« Quisque ei appropinquans, (sic scribere pergit), sentiebat in illo animam habitare, quae non solum omnis falsitatis expers, sed etiam tam praecellenti charitate plena erat, ut obligatum se sentiret, recognoscere magnum bonum, quod esset cum illo agere, et virum nosse, cujus conversatio jam in terra tamquam Sancti erat. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 24. *Memorem gratumque animum pro beneficiis acceptis servavit.*

X. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 296. *respondit:* « Gratum Servi Dei animum erga benefactores monstratum, probat ejus agendi ratio erga defunctam mulierem principem Jablonowska. Pro qua Congregationis benefactrice ut Sacrum offerret die frigido et procelloso, nec parva laborans infirmitate, ecclesiam adiit, et exiit sermo, hanc ei fuisse causam lethalis morbi. »

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 109. « Pro minimis etiam officiis et beneficiis gratias referre solebat maximas, dicens, gratitudinem sacram esse obligationem. »

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 439. *ter. respondit*: « Pro quovis vel minimo dono aut officio praestito reddebat affectuosum: « Deo gratias ». Saepissimae etiam et jucunde S. Felicem laicum Capuccinum omnibus discipulis suis exhibuit exemplum, et tenera deinde dulcedine exclamavit: « Aureum illud: Deo gratias, compendium est permultorum virtutis exercitiorum ». In summo gradu haec ejus sensa eluxerunt, cum graviter aegrotans se continere nequibat, quominus ad grati animi ostensionem pro principe foemina Jablonowska benefactrice vel magno frigore durante Sacrum faceret. »

§ 25. *Hospiti, a quo fuerat exceptus, per literas gratum animum testatus fuit.*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 423. *ter.* « Gratum animum, quo Servus Dei excellebat, his possum confirmare. Febri laborans Sacrum fecit pro requie defunctae principis foeminae Jablonowska benefactricis suae, et addere licebit, eum inde lethalem contraxisse morbum. Haec scio ex familiarium ejus relatione hujus facti testium immediatorum. Aliud grati animi argumentum hoc est: P. Hofbauer cum Patre Hübl ab oppidulo Hollabrunn in civitatem Znaim profectus est mense Octobri anni 1786. In via ludimagister Retzensis nomine Joannes Baptista Berger cum curru suo eos assecutus et commiseratus pauperes sacerdotes incommoda via pedites incedentes interrogavit, quo tenderent, et accepto responso, in civitatem Znaim, eos invitavit, ut assidentes secum Retz veherentur, et apud se pernoctarent, altero mane se eos curru suo vecturum in Znaim. Invitatione grato animo accepta apud eum pernoctarunt et sequenti mane in Znaim vecti sunt. Paulo post ludimagistro

§ 26. *Et bona multa ei divinitus impetravit.*

litterae grati animi testes pervenerunt a Patre Clemente ejusque socio, quae sunt in domo asservatae deinde tamquam pretiosa reliquia. Ludimagistri vidua, cujus confessiones excipiebam, capellanus Retzensis cum essem, has literas mihi postea eo proficiscenti legendas tradidit addens: « His litteris debemus temporalem nostram fortunam, cum iis benedictio domum nostram intravit. « Lectus, in quo P. Hofbauer dormierat ea nocte, tali in honore exinde est habitus, ut ab anno 1786. usque ad annum 1823. nemini in eo dormire permitteretur, nisi mihi utpote dictae uxoris confessario et P. Hofbauer discipulo. »

§ 27. *Comitatem et urbanitatem in aliorum conversatione servavit.*

XXIV. Testis *juxta* 7. *Interr. fol.* 497. *ter.* « Quavis fere hebdomade semel vel bis vespertino tempore visitavi Patrem Hofbauer, ibique complures discipulorum ejus unitos inveni. In ejus propinquitate felicissimum me esse sentiebam, et tamquam patrem meum spiritualem eum adamabam. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 152. « In pauperum et amicorum servitio occupabatur tanquam mater pro filiis. »

§ 28. *Officiosissimus erga omnes etiam cum sui incommodo.*

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 516. *ter.* « Quemadmodum in nulla re suam satisfactionem vel commoditatem, sed in omnibus solum Dei sanctum beneplacitum quaereret, inde liquet, quod pauper ejus habitatio nullo non tempore esset aperta omnibus, qui in aliquo negotio ipsum vellent adire. Ipse nesciebat exceptionem temporis, cibi sumendi vel quietis, nullibi et nunquam sibi ipsi quaerens requiem. »

§ 29. *Odit detractiones et sermones malignos.*

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 148. *respondit*: « Sermones haberi de aliis maligna cum intentione nunquam permisit, cum vero ad alios praemuniendos id esset necessarium, paucis verbis magno cum dolore judicium proferre non omisit. Ultimum morbum illum contraxisse eo, quem grati animi demonstrandi ergo subierat, labore, solemne Sacrum funebre offerens pro benefactrice Principe foemina Jablonowska, cum priori de corporalibus ejus incommodis depositione ideo cohaeret, quia per istam functionem morbus in perniciosam degenerabat inflammationem. »

ARTICULUS VI.

Justitia V. S. D. ex ejus obedientia, veracitate et vindicatione elucet.

(Ex Processu Apostolico)

§ 30. *Veritatem fidei fortiter propugnavit.*

I. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 159. *ter. respondit*. « Tanto magis ipsi contrarii erant quia modo vere catholico praedicabat, et cum summa vi persuasionis illas veritates fidei defendebat, quae tunc in Austria, quasi in oblivionem obierant: ita ut ejus conciones perniciosum indifferentismum fortiter concuterent. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 757: « Profundae hu-

militati suae conjunctus erat magnus horror fraudis et doli sive verbis, sive operibus se manifestantis. Cum omnibus veritatem loquebatur, sive divite, sive paupere, sive potente, sive infirmo. Verbum Dei sine ornatu sermonis cum apostolica libertate annuntiavit. Cum audivisset in Capitulo generali anno 1802. Nuceriae Paganorum habito aliquas mitigationes quoad paupertatem fuisse introductas, Superiori generali verbis minime obscuris expressit, quantum id sibi displiceret, simul animadvertens, inde ruinam Congregationis secuturam esse. »

§ 31. *A fraudibus et dolo abhorrebat.*

§ 32. *Etiam Superiori suo veritatem intrepidus dixit.*

Et *fol.* 758. *ter. respondit*: « Tota vita V. S. D. erat continuum exercitium obedientiae. Infans parentibus obediebat, postea tamquam religiosus superioribus suis, et sic etiam superioribus ecclesiasticis, imo etiam magistratibus saecularibus obedientiam praestitit, ubi conscientia id permitteret. »

§ 33. *Obedientiam sub quovis respectu probavit.*

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 414. *respondit*: « Virtutem obedientiae Ven. Servus Dei sub quovis respectu probavit. Jam puer in id intendebat, ut nihil faceret, quod matri displiceret. Hoc desumpsi ex ejus verbis mihi factis, cum de obedientia filiorum hujus aevi loqueretur. »

(De obedientia infra num. 17. *fusius agetur).*

(Ex Processu Ordinario)

§ 34. *Summopere vigilavit, ut Congregationis regulae stricte observarentur.*

I. Testis *juxta* 18. *Interr. fol.* 94. *ter.* « Vindobonae morans duos tantum secum habuit Patres, Joannem Sabelli et Martinum Stark, et nihilominus summo zelo vigilavit, ut regula stricte observaretur. Ipse ego vidi et audivi, quo modo hic vir, qui summa cum comitate et mansuetudine cum omnibus ageret, zelo observandae regulae inflammatus fuerit, jubens aliquando Patrem Sabelli exuere sacra paramenta, quibus ex parte jam indutus fuerat, sed promptum se illo exhibente, subito mandatum retractans. An eo tempore aliquem commiserit defectum Sabelli, vel an Pater Hofbauer obedientiae experimentum faceret, nescio. Alia vice, quum Pater Martinus Stark paucis momentis tardius veniret in ecclesiam, quo ire fuerat jussus, et sese excusaturus unius adhuc poenitentis confessionem se excepisse diceret, Servus Dei: « Quod tali modo, inquit, fecisti, pro malo (diabolo) fecisti. » Alia iterum vice, cum in Patrem Stark domo diutius absentem concitus inveheretur, egoque excusando eum intercedere vellem, severa mihi haec dixit verba: « Hoc ad te non spectat nec id intelligis, pro eo, non pro te, rationem reddere teneor. »

§ 35. *A fraudibus et versutiis fuit alienissimus.*

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 544. *ter.* « Prout ego eum novi firmiter teneo, eum in fornacem sese projicere maluisse, quam minimam fraudem vel versutiam committere, vel fraudem directe, vel indirecte quocumque ex fine approbare. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 146. *respondit:* « Cum viris quoque

§ 36. *Cum viris doctissimis simpliciter agebat.*

aetate provectis et conspicuis eum tenebat agendi modum, quem certe nulli alteri indulsissent. Friderico Werner, ex. gr., compositiones suas poëticas christianas coram multis juvenibus legenti, ille edicere solebat, nullius omnino has res esse momenti. Eodem prorsus modo cum Friderico Schlegel procedebat, et iis, quas doctissimus ille homo proponebat hypothesibus; invariabili tamen isti viri amore illi adhaerebant. Vanitatis motum quemcumque in eis, qui ipsum frequentabant, juvenibus inflexibili persequebatur rigore, nihil magis odio habens quam eam hominis deceptionem quae pro gloria Dei proprium quaerit honorem. Servum Dei cum sua simplicitate altum semper prudentiae gradum unitum habuisse, indubitata mihi quovis tempore res fuit. In ejus vultu strenuo, et tamen serenissimo et benigno, praesertim in oculis manifeste sese prodebat subtilis et profunda cognitio qua homines penetrabat et res dijudicabat, ita ut taciturnus quandoque aures praebens, vultum quodammodo satyricum assumeret, sed magna semper benignitate mitigatum. Aliquoties mihi dixit: « Astutus es, me autem nequaquam fallis. » Et revera nemo eum fallere valebat.

§ 37. *Solo intuitu confundebat homines falsos et fallaces.*

Et *juxta idem Interr. fol.* 142. « Viris magna fama et auctoritate gaudentibus verum simplicissimo modo dicere, altera quasi ipsi natura; quamvis decentiae et clementiae nunquam excederet limites. Homines fallaces et falsi clarum ejus intuitum ferre nequibant. »

Et *folio* 148. *respondit*: « Sermones haberi de aliis maligna cum intentione nunquam permisit; cum vero ad alios praemuniendos id esset necessarium, paucis verbis, magno cum dolore judicium proferre non omisit. »

§ 38. *A simulationibus abhorruit.*

XXI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 474. *respondit*: « Excellebat grati animi obsequio erga benefactores; ingenua animatus libertate, qua veritati reddebat testimonium, exardescebat in vitia, vindicabat Ecclesiae jura; constans erat ad omnes adversariorum aggressus, inconcussus in adversitatibus, et impigra constantia pro Dei gloria dimicabat. »

Num. 14. *De heroica fortitudine.*

DE HEROICA FORTITUDINE VEN. S. D.

ARTICULUS I.

Multos labores et aerumnas passus est V. S. D. in itineribus, ex aestu, frigore et intemperie.

(Ex Processu Apostolico)

§ 1. *Varsavia Romam pedibus profectus et sic inde reversus est.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 182. *ter. respondit*: « Fortitudo mihi illa inconcussa constantia est, quae nulla difficultate, nullo labore, nullaque aerumna superatur, et magna animi quiete etiam amarissima sustinet. Haec erat fortitudo Ven. Servi Dei P. Clementis. Dici non potest, quos pro gloria

Dei et salute animarum pertulerit labores et dolores. Argumenta hujus rei sunt multa et difficillima itinera, quae Varsavia Romam et inde rediens pedibus fecit, saepe saepius absque pecunia non obstante neque caloris, neque frigoris et nivium saevitia. »

IV. Testis *juxta* 15. *Interr. fol.* 251. *ter. respondit*: « Totam viam feliciter pedites perfecerunt (scilicet Ven. S. D. ejusque socius) salvique Romam venerunt. Devotione ibi peracta et ecclesiis visitatis confortati in fide in patriam redierunt. »

§ 2. *Pluries Vindobona pedes Romam petiit devotionis causa.*

Et *juxta* 17. *Interr. fol.* 252. *respondit*: « Pii juvenes Vindobona abeuntes iter pedites aggressi sunt. Per civitates et pagos, in viis publicis, diu noctuque orabant, et cantica spiritualia cantabant. Mundum jam pedibus calcarant, hilaresque peregrini ad locum destinationis festinarunt. Feliciter Romam ingressi, devotionem suam denuo ibi peregerunt. Deinde Tibur se contulerunt, ab Episcopo Civitatis facultatem eremiticam degendi vitam et eremiticum habitum petierunt. Episcopus, postea Papa nomine Pius VII. utrique difficultates eremiticae vitae exposuit, et obligationes explicavit, quas in isto statu subire deberent. Pii juvenes, qui patriam et omnia jam reliquerant, istis difficultatibus haud deterrebantur; animo firmati omnia ex amore Jesu pati. »

Juxta 24. *Interr. fol.* 255. « Certum est, Ven. Servum Dei Varsaviam se contulisse, ibique Missionarii officia exercuisse. Ex ore saepius adducti Emanuelis Kunzmann circa hanc rem sequentia referre possum. Erat eo anno hiems valde rigida. »

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 314. *respondit*: « Etiam virtutem mortificationis, Ven. Servus Dei in gradu heroico possidebat. In societate fratris mei, jam defuncti, bis pietatis causa in Mariam Zell, et semel in Mariam Schossberg profectus est pedibus. Ipsum quoque saepius pedibus Romam profectum esse a Patre Stark audivimus. Scio ex propria experientia, Ven. Servum Dei quotidie, sive hieme, sive aestate, tempore bono vel malo, hora quarta matutina in ecclesiam Armenorum catholicorum se contulisse, quae in suburbio sita est, ut ibi confessiones audiret. Hac occasione semper cibaria secum sumebat, quae sub mantello portabat, ut inter pauperes ea divideret. Aliquando gravi pondere onustus incedere videbatur. »

§ 3. *Celeberrima Sanctuaria B. M. V. visitavit.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 358. *ter. respondit*: « Nec corporis dolores vel infirmitates, nec frigoris, nivis vel pluviae aut alia incomoda eum movere poterant, ut ordinem diurnum intermitteret, vel aliquas functiones sacerdotales omitteret aut abbreviaret. »

§ 4. *Dolores, frigus, aëris intemperiem libenter pertulit.*

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 398. *respondit*: « Nulla tempestate, quamvis valde adversa, Ven. Servus Dei a suis occupationibus impediebatur: nunquam tegmine ad arcendam pluviam usus est, sed pallio tantum vetere et longo usu

§ 5. *Tegmine ad arcendam pluviam non est usus.*

detrito vestitus fuit, quo se contra intemperiem protegebat. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 748. « In piis peregrinationibus, quas Romam instituit, saepe contigit, ut in Italia sub dio pernoctaret: tunc antequam quieti se daret, circulum in terra descripsit, eumque custodiae SS. Apostolorum commisit. »

§ 6. *Itinerans sub dio pernoctavit.*

Et *fol.* 756. « Aestum et frigus patienter tulit, cum itinera sua ordinarie pedibus faceret. Cum aliquando cum P. Madlener aliisque sociis piam peregrinationem ad Sanctuarium in « Maria-Zell » institueret, in diversorio, ubi pernoctavit, statim ceteris cubicula commoda lectis provisa procuravit; ipsi vero et Patri Madlener lectuli non supererant. Interroganti vero P. Madlener, ubi cubitum iret, V. S. D. respondit: « Facito ut ego », quo dicto in angulo super solum se stravit. Ita se mortificans hilaris semper erat. Ceterum mortificationes, quas exercebat, pro posse celabat. Haec P. Madlener mihi dixit. »

§ 7. *Mortificationes pro posse celabat.*

(Ex Processu Ordinario)

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 424. *ter. respondit*: « Servus Dei peregrinationem Romanam (prout a Patre Martino Stark, Pajalich, Podgorski et aliis audivi) plerumque absque pecunia et pedes, tempore feriarum incalescente sole conficiens, magnas absque dubio passus est aerumnas. Vindobona Varsaviam euntem anno 1786. mense Octobri prope Retz eum invenimus . . . Scio etiam (quod Vindobonae omnibus erat notum) Servum Dei primo mane, nec obstante pessima tempestate, singulis hebdomadis in ecclesiam Armenorum (Mechitaristarum) se contulisse, confessiones exceptum distributumque cibos pauperibus sub pallio ab ipso asportatos; pari modo nunquam eum adhibuisse tegmen ad avertendam pluviam, imo ne pileum quidem portasse, verbo ego eum semper habui hominem summae mortificationis. »

§ 8. *Itinera absque pecunia, incalescente sole vel cadente nive et pluvia fecit.*

VI. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 219. *ter. respondit*: « . . Paucis demum diebus ante Christi Domini ascensionem anno 1805. cum quatuor Sacerdotibus et nonnullis studentibus Thabore discedens Trybergium se contulit. Iter per pedes factum est, per totam diem pluebat, ad eutem madefacti ac tribus vel quatuor leucis adhuc distantes a Trybergio nec diversorium invenientes primam, quae se obtulit, rusticam villam ingressi sumus. P. Hofbauer pro coena bonum jusculum et in horreo stramina pro lecto praeparari jussit. Vestes madidae vespere depositae, madidae mane assumptae, sed Servi Dei exemplum quamcumque querelam et impatientiam suffocabat in omnium animis. »

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 208. *ter. respondit*: « Nunquam eum vidi portare tegmen ad arcendum imbrem, nec hyeme nec aestate. »

XI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 316. *ter. respondit*: « Ipsa quoque ego vidi, Patrem Hofbauer etiam effusissimo cadente imbre, non fuisse usum tegmine. »

ARTICULUS II.

Dolores et infirmitates magno animo tulit, sibi nihil indulgens.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 182. *ter. respondit*: « Dici non potest quos pro gloria Dei et salute animarum pertulerit.... labores et dolores. Argumenta hujus rei sunt itinera . . . ejus indefessa industria in pulpito et in sacro tribunali, ac in visitatione infirmorum, non habendo rationem multarum . . . corporis infirmitatum, neque vilipensionis, persecutionum et carceris, quibus obnoxius fuit. »

§ 9. *Cum admirabili fortitudine quascumque aerumnas sustinuit.*

II. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 222. *ter. respondit*: « Admiratus sum in eo . . . voluntatis submissionem in sufferendis doloribus physicis et moralibus, fortitudinem in quibusvis vitae aerumnis, et in omnibus hisce virtutibus perseverantiam invariabilem usque ad finem vitae. »

§ 10. *Dolores pro conversione peccatorum obtulit.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 350. *ter.* « Ven. Servus Dei in omnibus aerumnis et adversitatibus inconcussam fiduciam servavit, et similes sensus aliis quoque instillare noverat. » Utique patere (sic saepius mihi dixit), nam pretiosum est pati: qui patitur, animas lucrari et peccatores . . . convertere potest . . . Solitus erat, dolores suos cum doloribus poenitentium unire, et pro conversione peccatorum Deo offerre, et quanto plus patiebatur, tanto plus crescebat fiducia, ad salvandas animas a Deo gratias necessarias se impetraturum. »

§ 11. *Doloribus transfixus tamen a labore non cessavit.*

Et *fol.* 356. « Quantum V. S. D. erga alios in charitate dives et indulgens erat, tantum severus erat erga se ipsum, et in sacrificium charitatis proximi sese offerebat. Etsi mala valetudine laboraret, nullam tamen quietem sibi dedit et solitos labores non intermisit. Doloribus cruciatus tamen in sacro tribunali assidebat, et omnium accedentium confessiones audiebat. Cum quodam die prae doloribus confessionem meam sedendo audire non posset, et stando aures mihi praeberet, conquesta sum, quantum dolerem, quod tali modo eum molestarem. Sed ipse suaviter respondit: « Ne te inquietes propter hoc; dolores hodie non mihi permittunt, ut assideam ». Sed paulo post ad depellendam angustiam, quam de ejus salute conceperam, per breve tempus tranquillus sedebat; cumque cum moerore eum rogarem, ut hodie brevius me expediret, nullam petitionis meae rationem fecit, sed non solum confessionem meam summa cum patientia auscultavit, imo etiam omnibus necessitatibus meis

satisfacere intendebat, et praeterea solito longius me admonuit. »

Et *fol.* 358. *ter.* « Nec corporis dolores vel infirmitates . . . eum movere poterant ut ordinem diurnum intermitteret, vel aliquas functiones sacerdotales omitteret aut abbreviaret. »

§ 12. *Dolores supremi morbi cum summa patientia sustinuit.*

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 409. *respondit*: « Infirmitates corporis et dolores supremi morbi cum summa patientia et gaudio sustinuit. Videre poteras, quomodo vim sibi faceret, ut dolores sub imperio teneret, ut laboribus sacri ministerii vacare posset. »

X. Testis (Emus Cardinalis Rauscher) *fol.* 451. « Corporis molestias contemnebat, et adversa pressus valetudine, laboribus finem non imposuit, priusquam corporis vires penitus defecissent. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 13. *Morbos et dolores magno animo pertulit.*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 424. *ter. respondit*: « Pater Clemens magnis corporalibus et internis doloribus haud obstantibus tantam animi tranquillitatem et hilaritatem servare potuit, ut eum optime se habere et praeclara frui valetudine crederes Haemorrhoidum vehementibus doloribus et rheumatismis cruciatus, impigre tamen labores gravissimos in sacro tribunali, in aegrotorum assistentia et in pulpito subiit, dum ordinariae virtutis homo lecto decumbens lamentatus esset. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 594. *respondit*: « Difficiles labores in pulpito, in sacro tribunali, et in aegrotorum visitatione, ab hoc Servo Dei per totam fere vitam praesertim autem postremis annis non obstante infirmitate et corporali debilitate absque diminutione et sui ipsius clementia, sed cum perseveranti constantia, et donec vires ferrent, continuati, testantur heroicam animi ejus fortitudinem. Is ipse constans in sacro ministerio fervor sanitatem manifeste debilitabat, et firmum alioquin ejus consumebat corporis robur. »

§ 14. *Contumelias indecoras pertulit imperturbatus.*

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 545. « Quae heroica fortitudine pro Sancta Ecclesia et Congregatione sua Varsaviae, Vindobonae et in nonnullis Germaniae regionibus sit passus, omnibus est notum; jure dicere poterat: « Omnia possum in eo, qui me confortat ». Cum de animarum salute, et Dei gloria ageretur, propriae sanitatis, famae et vitae nullum habebat respectum, cum Apostolo dicere valens, se Dei gloriam promovisse per bonam et malam famam. »

ARTICULUS III.

Contumelias et injurias patienter tulit V. S. D.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 186. *ter. respondit*: « Omnibus notum est, Ven. Servum Dei contrarios et inimicos habuisse et multa ab iis passum fuisse. Ita Varsaviae, et non minus in Germania et Austria contigit. Unica causa harum persecutionum et vexationum erat meritoria industria omni laude digna Ven. Servi Dei, qua pro sacra causa Dei ejusque Ecclesiae cum zelo et forti animo dimicabat. Omnia opprobria, omnesque injurias cum quieta patientia sine aerimonia ac pusillanimitate ex charitate Dei et proximi pertulit. Nemo unquam vel minimum vestigium, ipsum inimicos odisse, vel male de iis sensisse, animadvertit. Nunquam vel verbulo de suis tribulationibus conquestus est. Ad probandum, quomodo sui ipsius imperium tenebat, et etiam offensoribus bene volebat, ex ore custodis sacristiae Ursulinarum sequens factum afferre possum. Aliquando Pater Hofbauer ex dicta ecclesia veniens via, quae ad ejus habitationem conducit, incedebat. Per eamdem viam procedebat vir cum uxore sua, sed cum alta voce, ita ut Ven. Servus Dei audiret, ei maledicebat. Accidit autem ut hic sudarium perderet, quod Pater Hofbauer sublevans injurianti attulit, ut ei redderet: qui penitus confusus a Ven. Servo Dei veniam petiit. Ulteriora hic addere non possum. »

§ 15. *Opprobria et injurias patienter tulit.*

§ 16. *Facto probatur, ipsum offensores amasse.*

II. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 223. *ter. respondit*: « Utique scio, Ven. Servum Dei contradictionem, opprobria et persecutiones passum esse. Si persecutionum ansam praebuit, hoc tantummodo ejus zelo vere catholico et sacerdotali pro causa Dei et sanctae Ecclesiae referendum est. Injuriis vero semper suavitatem tantum opposuit. Bene memini facti sequentis. Aliquando quidam juvenes studentes libertatem sibi arrogabant irridendi eum in pulpito concionantem. Ven. Servus Dei vero ad tam indignum modum se gerendi repellendum quietus sed firmus dixit: « Ridete modo; sed qui ridet in fine, hic optime ridet. »

§ 17. *Injuriis suavitatem opposuit.*

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 241. *respondit*: « Fortitudinem Ven. Servi Dei sequenti narratione, quae pariter ex ore patris mei defuncti originem trahit, probare possum. Quodam die Ven. Servus Dei de domo in domum ibat pauperibus suis eleemosynam collecturus. Hac occasione etiam in domum viri divitis veniebat, qui multa pecunia in discrimen commissa cum amicis suis cartis ludebat. Ven. Servus Dei etiam ab eo eleemosynam pro pauperibus suis petiit, is vero vehementer iratus Ven. Servo Dei colaphum impregit. Sed Ven. S. D. de gradu non est dejectus, et cum

§ 18. *Probatur facto heroico.*

summa mansuetudine: Hoc, inquit, pro me est, nunc rogo, ut etiam pauperibus meis aliquid largiaris. Tanta animi tranquillitate confusus lusor ille manum suam in scutulam auro plenam misit, eique haud parvam summam auri dedit. »

(Concordat Testis I. ex officio juxta 31. *Interr. fol.* 681. *ter. et Testis IX. juxta* 31. *Interr. fol.* 409.)

IV. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 258. *ter. respondit:* « Certum est Ven. Servum Dei contrarietates et persecutiones tum Vindobonae, tum etiam in Polonia fuisse passum, quamvis particularia de iisdem deponere non valeam. »

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 314. *respondit*: « Virtutem fortitudinis Ven. Servus Dei semper in gradu heroico exercebat. In argumentum rei sequens factum ex ore Patris Stark adducere possum. Ven. Servus Dei aliquando cum Patre Martino Stark Varsaviae in aliquam cauponam venit, eleemosynam pro pauperibus orphanis suis collecturus. At quidam vir detestabilis ad humiles preces turpissimis injuriis respondit; imo hic pravus homo in Ven. Servi Dei faciem conspuebat. Sed Ven. S. D. tantam injuriam tranquillus accepit, et abstersa facie offensori dixit. « Hoc fuit pro me, sed jam da aliquid pro pauperibus orphanis. » Tanta virtus virum iracundum confundebat, et adeo eum placabat, ut Ven. Servo Dei magnam eleemosynam daret, et ubique ejus fortitudinem praedicaret. »

§ 19.
Pro religiosa observantia apud Moniales zelans contradictiones passus est.

VIII. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 361. *respondit*: « Verum est, Ven. Servo Dei non defuisse contrarios, imo persecutores. Credo, magis personas saeculares, quam clericales ei inimicas fuisse, et sacram ejus industriam impedire studuisse. Cum nullam non operam daret, ut in nostro conventu observantia sanctae Regulae refloreret, plures personae huic praecise studio omnibus viribus se opposuerunt, et id, quod ratione observantiae regulae aedificavit, destruere conabantur. Sed Ven. Servus Dei hisce difficultatibus a sacro studio introducendi religiosam observantiam non est deterritus; omnibus calumniis, quibus propterea expositus fuit, mentem tranquillam et patientem opposuit; imo quantum novi, assidue in id incubuit, ut adversarios ad meliores sensus reduceret, eosque cum Sancta Ecclesia, et cum Deo reconciliaret; ita ut hac ratione eorum maximus benefactor evaserit. Plures inter moniales a principio ejus amori et sollicitudini non cum gratitudine responderunt. Sed Ven. Servus Dei nulli signa solitae bonitatis et benevolentiae negavit, ita ut omnes tam illi faventes quam minus ei propensae confiteri deberent, Ven. Servum Dei esse virum sanctum, et si aliquando severitate usus est, nulla tamen inter nos negare poterat, ipsum unice regularem observantiam et profectum virtutum intendisse. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 409. *ter. respondit*: « Defectus et imperfectiones subditorum suorum Ven. Servus Dei cum summa semper patientia et charitate tulit. P. Martinus Stark

et P. Joannes Sabelli cum Ven. Servo Dei cohabitabant. Nunquam vero querelam sive contra unum sive contra alterum ex ejus ore audivi. Una tantum viee de Patre Sabelli parum contentus esse mihi videbatur. Habitavit enim in conventu nostro quaedam foemina Polonica, quae miris singularibusque modis agendi distinguebatur. Sic aliquando cum perturbatione aliarum media nocte per conventum circuibat, precando vocem valde attollebat, et saepe in ecclesia facie ad terram prostrata jacebat. Cum vero multi de ea conquererentur, Ven. S. D. rogatus est, ut Patrem Sabelli, hujus mulieris confessarium moneret, quo miras et scandalosas actiones ei interdiceret. Cum vero elapsis non paucis diebus nulla mutatio, aut potius emendatio observaretur, Ven. Servum Dei iterum de re monuerunt, et habuerunt responsum: « Jam ei dixi, sed id non facit; non mihi obedit. » Observavi etiam, Patrem Sabelli erga Ven. Servum Dei Superiorem suum parum reverentiae habuisse. Quando ad eum venirem, aliquod mandatum Superiorissae delatura, saepius mihi dixit: Ne facias strepitum ambulando, ne vetulus (Patrem Hofbauer intendebat) te audiat. Erant in conventu nostro quaedam sorores, quae, quamvis Ven. Servo Dei tamquam confessario ordinario uterentur, tamen directioni Patris Sabelli se dabant; inde secutum est, ut dictae sorores in damnum concordiae et unionis inter moniales Patri Sabelli adhaererent; et tantum post discessum Patris Sabelli Ven. Servus Dei religiosam unionem et consensum inter sorores restabilire potuit. »

§ 20. *Subditorum defectus patienter tulit.*

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 750. *respondit*: « Ab operibus quibus gloria Dei et salus animarum promovebatur, nec difficultatibus nec defectu subsidiorum temporalium deterrebatur, sed cum plena fiducia in Dei auxilium ea suscepit. Sic Varsaviae pro orphanis pueris et puellis asyla erexit, eleemosynas pro iisdem quaesivit et multa opprobria passus est; sed ea contempsit. »

§ 21. *Injurianti charitatis officia exhibet.*

Fol. 754. Iter faciens aliquando cum viro juvene corpore et animo deperdito in eodem curru sedebat, qui cum blasphemaret et imprecaretur, et Ven. S. D. irrideret, V. S. D. primo dulci modo eum monuit, et cum videret monita nihil proficere, tacuit. Cum vero ad proximum diversorium venissent, ille miserabilis juvenis de curru descendere non potuit; V. S. D. autem opprobriorum immemor, brachiis suis eum excepit, in diversorium tulit, et cibis refectum iterum in currum reportavit. Haec actio charitate christiana plena miserum ita commovit, ut V. Servum Dei deprecans diceret: « Si talem sacerdotem antea cognovissem, in hunc statum miserrimum non pervenissem. »

Et *juxta* 34. *Interr. fol.* 759. *respondit*: « V. S. D. in exercitio sui ministerii apostolici multa impedimenta, multasque persecutiones passus est; sed omnia aequo animo sustinuit, nunquam conquestus est, et offensas ipsi factas libenter

§ 22. *Confirmantur dicta §. 20.*

remisit. Hac de re sequens factum referre possum: uterque Sacerdos Sabelli et Stark erant religiosi non omni ex parte perfecti, et V. S. D. saepe ad eos corrigendos se obligatum censebat. Quodam die V. S. D. gravem dolorem inflixisse videntur, nam V. S. D. relicta habitatione in ecclesiam B. M. V. auxiliatricis in suburbio sitam se contulit, ut ibi precaretur. Duo Sacerdotes juvenes errore recognito ad ecclesiam properabant, Patrem et Superiorem quaerentes eumque deprecabantur, V. S. D. vero inde gaudio affectus, cum iis domum rediit. Hoc scio a P. Doll, meo quondam Novitiorum magistro. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 23. *Persecutiones, et calumnias sustinuit sine querela.*

VI. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 234. *ter.* « Persecutiones, quas in Jestetten, Trybergii et Varsaviae pertulit, jam memoravi, sed addere adhuc possum, Patrem Jestersheim quondam a Servo Dei Varsaviâ Berolinum fuisse missum, ut calumniosas accusationes contra Servum Dei ejusque Congregationem factas dilueret, et successum fuisse splendidam justificationem calumniati. Regimen Borussiacum delegati Patris expositionibus plene acquievit. Alia depositio hoc loco facienda est sequens: Servus Dei jam plures annos cum suis montem Thabor reliquerat, cum ab inimicis de gravis damni restitutione absque ullo fundamento coram judice accusaretur, simulque tempus sese justificandi adeo erat restrictum, ut Pater Hofbauer Varsavia, ubi tunc erat, illuc proficisci aut vices gerentem mittere omnino nequiret. In contumaciam ergo condemnatus est, ut solveret. Cujus rei nuntium pertranquille accepit, quin uno verbo de aperta quereretur injustitia. Probabiliter summam pecuniae postulatam solvisset, nisi principis Schwarzenberg primarius Administrator ejus in se suscepisset partes, et latam sententiam sua intercessione irritam fecisset. »

§ 24. *Inconcussa Servi Dei patientia, et constantia perseverans in bonis operibus.*

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 439. *ter.* « Fortitudinis virtutem Pater Clemens monstrabat in patientia inconcussa, qua pertulit varias aerumnas et persecutiones, quibus Deus eum probavit; in constantia, qua nullis fractus impedimentis conatus ad Dei gloriam et hominum salutem susceptos ad finem perduxit. « Hoc vult Deus »: sufficiebat hoc verbum, ut nulla re posset deterreri. Hoc fortitudinis ejus exemplum ipse ego saepe vidi, saepiusque a testibus de visu et de auditu narrari audivi. »

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 109. « Fortitudinem christianam quod attinet, operando et patiendo eam exercebat. »

§ 25. *Confirmatur factum supra § 18. relatum*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 424. *respondit*: « Audivi etiam jamdiu narrari praeclarum fortitudinis Servi Dei argumentum, eum nempe Varsaviae pro pia causa stipem quaerentem tranquille tulisse, quod in faciem aspueretur, sed his verbis: « *Hoc erat pro me, nunc autem pro pauperibus meis stipem dare placeat* » iterasse petitionem. »

XXIV. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 502. *ter.* « Ad hoc interrogatorium ex propria observatione quod respondeam non habeo; sed haud ignoro, sacri ministerii exercitium Vindobonae, idest ejus labores in pulpito, in sacro tribunali, in aegrotorum visitatione et in genere ejus zelum saccrdotalem a pravis catholicis saepe in malam partem acceptos fuisse et ignominia affectos. »

§ 26. *Ob exercitium ministerii odia improborum pertulit.*

XXV. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 523. *ter.* « Injuriis toties ab adversariis illatis non obstantibus, nullam tamen quaerelae vel indignationis vocem ab eo unquam audivi. »

§ 27. *De injuriis sibi illatis nec indignatus nec questus est.*

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 255. « Andivi (ni fallor ex ore ejus saccrdotum) quae sequuntur: Pater Hofbauer cum pro orphanis suis sustentandis in caupona eleemosynam quaereret, homo quidam in furorem inde actus non solum opprobriis et conviciis Servum Dei affecit, sed et in os ejus expuit. Servus Dei servata tranquillitate et faciem detergens dixit: «*Hoc pro me erat, nunc des mihi aliquid pro meis orphanis* ». Qua Servi Dei mansuetudine confusus homo largam ei dedit eleemosynam, et benefactor ejus ex eo tempore permansit. »

ARTICULUS IV.

Intrepidus Evangelium praedicabat, jura Ecclesiae defendebat.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 157. *respondit*: « Verissimum est, Ven. Servum Dei modo plane Apostolico laborasse. Ardentissimo zelo divini honoris plenus diebus dominicis et festivis in ecclesia Ursulinarum veritates Ecclesiae Romanae praedicabat, et ingentem populi numerum attrahebat: homines cujuscumque conditionis, praesertim multi viri docti, officiales, nobiles, et studentes ad eum audiendum accurrebant. At minime praedicabat eo modo, qui coram auditoribus cultis et eruditis quasi necessarius putatur, sed cum summa simplicitate, cum nihil vehementius desideraret, nisi ut ab omnibus, etiam ab infantibus et aniculis intelligeretur. »

Attrahebantur autem ad eum, quia ex ejus persona totoque habitu, sive in pulpito, sive ad altare comparebat, eximius zelus honoris Dei et salutis animarum elucebat; nec non ratione incomparabilis claritatis, qua etiam profundissima mysteria explicabat, animi fortitudine, qua perversum spiritum sui aevi impugnabat, potestatem publicam, Josephinismo imbutam, quae eum semper observabat, minime pertimescens: et desiderio audiendi tandem aliquando doctrinam catholicam puram et integram, quae res eo tempore in ecclesiis Vindobonae satis rara fuit, cum doctrinae

§ 28. *Cum forti animo veritates fidei exposuit.*

maxime necessariae, ex. gr. de Eucharistia, de Sacramento poenitentiae, de S. Ecclesia ejusque summa auctoritate. de Matre Dei sanctissima, et de veneratione sanctorum rarissime, et tantum data occasione exponerentur, et e contra nonnisi quaedam moralis insulsa adaquata traderetur. »

Et *juxta* 29. *Interr. fol.* 159. *ter. respondit*: « Tanto magis ipsi contrarii erant, quia modo vere catholico praedicabat, et cum summa vi persuasionis illas veritates fidei defendebat, quae tunc in Austria quasi in oblivionem abierant: ita ut ejus conciones perniciosum indifferentismum fortiter concuterent. »

§ 29. *Legi Dei magis obediendum esse quam humanae, opere professus est.*

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 180. « (Fuit V. S. D.) etiam auctoritatibus saecularibus exacte obediens, nisi aliquid praeciperent, quod legi Dei contradiceret; id quod proh dolor! utique saepius accidit. In hoc casu intrepide agebat juxta verba Scripturae: « Deo magis obediendum est, quam hominibus. »

II. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 222. *respondit:* « Ex propria experientia testari possum, V. S. D. pro honore Dei et salute animarum tum in pulpito, tum in sacro tribunali zelo infatigabili laborasse. Instituta catholica erigendo, fidem suscitare, et vitam catholicam fovere intendebat. Nullis difficultatibus, quae hujusmodi conatibus eo tempore saepe objiciebantur, deterritus est. Optime memini, gubernium tunc Ecclesiae inimicum ejus studia et opera vere catholica malo oculo vidisse, et in genere sacerdotes exteros ejicere voluisse. »

§ 30. *Pro regno Dei certavit sine timore.*

IV. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 256. *ter. respondit*: « Vindobonae quoque V. S. D. adversarios habuit, eos scilicet, quibus sacra industria et studia pia, propriis principiis impiis omnino contraria displicebant. Sed V. S. D. labores apostolici sui ministerii propterea minime intermisit. »

§ 31. *Propter zelum apostolicum plurima patienter sustinuit.*

VII. Testis *juxta* 29. *Interr. fol.* 303. *ter. respondit*: « Scio Ven. S. D. propter sacram industriam coelestibus benedictionibus abundantem plurimos habuisse inimicos, qui omnem operam dederunt, ut Vindobona eum expellerent. Memini quadam dominica ipsi prohibitum fuisse ne praedicaret. Qua de re nos omnes valde afflictae fuimus, timentes, ne Pater Hofbauer Vindobona ejiceretur, et nos eo privaremur. Causa vexationum modus gravis, quo praedicabat, fuisse videtur. Saepissime enim monuit, ut fidem publice confiteremur, cum sine fide nemo salvari possit. Eo tempore in ecclesia Ursulinarum, cum Ven. Servus Dei ibi praedicabat, semper aliqui officio publicae securitatis addicti habitu civili induti praesentes erant. »

§ 32. *Inter auditores homines erant malae voluntatis ipsi insidiantes.*

Et *juxta* 34. *Interr. fol.* 315. *ter. respondit*: « Utique Ven. Servus Dei adversarios habuit, et ex eorum parte multas injurias, vel ut melius dicam, persecutiones passus est; sed hoc in ejus honorem cedit, nam ejus adversarii etiam ini-

mici Ecclesiae erant. His Ven. Servi Dei industria Vindobonae exercita tantum displicuit, ut eum Vindobona imo ex Austria ejicere intenderent. Ut jam dixi, Ven. Servus Dei omnes persecutiones cum magna patientia pertulit, et nunquam de iis conquestus est. »

VIII. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 340. *respondit*: « Ven. S. D. in praedicando fuit simplex et perspicuus, et simul etiam ita fortis, ut corda auditorum concuteret, et multi eorum, qui cum perversa animi dispositione, imo cum proposito illudendi ejus sermonibus in ecclesiam nostram venerant, verbo Dei ex ejus ore profluente valde commoti et concussi a domo Dei recesserunt, et exinde diligentissime ejus sermonibus intervenerunt, et sacrum tribunal adierunt. »

§ 33. *Sed V. S. D. nihil timens, ipsos Deo lucrari satagebat.*

Fol. 340. *ter.* Pater Hofbauer optime quidem noverat, inter auditores haud raro esse animos contrarios, sed ex eo minime animum demisit, imo auctus est zelus et fiducia in Deum, et omnem operam dedit, ut illos homines obcaecatos et perversos ad Deum reduceret. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 410. *ter. respondit*: « Ven. S. D. cum summa libertate animi fidei veritates praedicavit, et mores depravatos fortiter increpavit. Cum aliquando de S. Joanne Baptista praedicaret, omnes viri ad lacrymas commoti sunt. Monstravit ejus zelum in exercitio poenitentiae, cum tamen omnino innocens esset, et homines voluptatum cupidos quibus poenitentia adeo necessaria est, forti animo reprehendit. « Joannes (dixit) solitudinem in deserto amabat, cum vero de magno scandalo audiret, quod Herodes in aula sua dedit, solitudinem deseruit, et Herodi sine timore veritatem praedicavit, quamvis sciret, sibi propter hoc mortem esse subeundam ». Deinde Joannis exemplar sibi proponens gravissimis verbis de periculis voluptatum sensualium, maxime chorearum concionatus est, ita ut omnes summopere commoverentur. Cum vultu suaviter composito de vituperio ei inflicto dixit: » Laus et vituperium idem mihi valent. Commoveri animo propter talia, inquit, res puerilis est, et filia dominae, quae vocatur caecus amor sui. »

§ 34. *Exemplum praedicationis refertur.*

X. Testis (Emus Cardinalis Rauscher) *fol.* 449. « Vere se exhibuit discipulum Ejus qui tamquam potestatem habens locutus est. Nunquam audivi oratorem sacrum, cujus verba ad unum, quod est necessarium, tanta efficacia tenderent; unde virorum politissimorum non minus quam vulgi animos commovit. »

§ 35. *Locutus est tamquam potestatem habens.*

XVII. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 600. *ter. respondit*: « In pulpito plenus ardore et ex corde suo loquebatur, et ut mihi quidem videbatur, ea pronuntiabat, quae Spiritus Sanctus in ejus ore posuerat. »

§ 36. *Praedicavit, prout Spiritus S. dabat eloqui illi.*

II. Testis ex officio *juxta* 28. *Interr. fol.* 740. *respondit*: « Ecclesia auditoribus cujuscumque conditionis plena erat, cum V. S. D. verbum Dei annuntiaret. Conciones simplices et

capacitati populi accommodatae a V. Servo Dei virtute fidei vivae et libertate apostolica enuntiatae convincebant auditores. »

§ 37. *Persecuti sunt eum, quia Ecclesiae et Congregationi suae fideliter adhaesit.*

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 755. *ter. respondit*: « Fidem praedicavit, prava principia oppugnavit, Ecclesiae fideliter adhaesit, et quia sacra vota recusavit violare pluries persecutiones passus est; sed haec omnia patienter tulit, quin conquereretur. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 38. *Respectus humanos despexit magnanimus.*

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 439. *ter.* « Fortitudinis virtutem Pater Clemens monstrabat 1. In perfecta immunitate a quovis respectu humano; 2. In magna, semperque tamen modesta libertate, qua verbum Dei, integram legem Domini absque respectu personae tam summis quam infimis annuntiabat. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 148. *ter.* « Fortitudinem ejus quod attinet, semper utique observavi, ejus zelum pro gloria et juribus Ecclesiae Catholicae indefessum, animumque haec vindicandi jura, fuisse inconcussum..... Misere vestitus, pileum manu et pileolum nigrum in capite gestans impavide pertransiit inter medias elegantium ambulatorum turmas tum in plateis, tum in spatioso deambulationis loco extra muros, et isti plerumque eum veneratione aut saltem eum verecundia ipsi cedebant viam. »

XIV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 366. *ter.* « Ejus fortitudinem quod spectat, propria experientia noto: respectum humanum ipse certe ignoravit; erat homo fortis animi, et ad primum aspectum sese prodebat virum vigoris plenum, ideo etiam in inceptis suis nunquam timidus erat, nunquam haesitans. Cum Fridericus de Klinkowström (erat adhuc protestanticae confessionis) in quodam coetu de re ad religionem pertinente salem proferret inconvenientem, Pater Hofbauer serio eum corripiens dixit: *Domine mi, quod dixisti, multo constitit sanguine, et quidem pretiosissimo.* Haec ab ipso Friderico Klinkowström audivi. »

§ 39. *Sine metu correxit peccantem.*

I. Testis *juxta* 8. *Interr. fol.* 85. *ter. respondit*: « Novi Patrem Hofbauer virum pro gloria Dei, pro causa Ecclesiae et pro salute animarum totum inflammatum. »

§ 40. *Pro Ecclesiae praeceptis verum subiit martyrium.*

Et *juxta* 21. *Interr. fol.* 100. *ter. respondit*: « Pro Ecclesiae praeceptis verum subiit martyrium, et imprimis pro observatione praeceptorum Ecclesiae zelum contra eos ostendit, qui leviter dicerent: « Quid refert? non est nisi Ecclesiae praeceptum. » Jejunia ecclesiastica stricte observabat; sicut etiam in adimplendis legibus divinis nulli erat secundus. Haec omnia propria novi experientia, idque solum addo, me propterea eum martyrem pro Ecclesiae praeceptis vindicandis appellasse, quia Ecclesiae jura nullis fractus persecutionibus intrepidus defenderet. »

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 424. *respondit*: « Eum absque ullo respectu humano processisse, et veritati et justitiae fortiter reddidisse testimonium in publicis actionibus, in concionando et in inquisitionibus judicialibus, omnes norunt; pariter notum est eum duobus magistratibus indecenti modo se inquirentibus, divina judicia minatum et minationem etiam secutam esse ultionem Dei; quod enim sciam duo illi, quibus minatus erat judicia Dei, post Patrem Hofbauer quidem, sed paulo post eum mortui sunt. »

ARTICULUS V.

Pluries ab inimicis Ecclesiae inquisitus, carceratus, in exilium pulsus est, sed omnia propter Deum invicto animo tulit V. S. D.

(Ex Processu Apostolico)

1) *Quanta V. S. D. passus est in Polonia.*

§ 41. *A liberis murariis Varsavia expulsus.*

III. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 233. *ter. respondit:* « Optime recordor audivisse, sacerdotes Congregationis SS. Redemptoris qui Varsaviae assidue laborabant, a liberis murariis Poloniae vehementissime infestatos, et tandem eorumdem machinationibus expulsos fuisse. »

IV. Testis *juxta* 27. *Interr. fol.* 256. *ter. respondit*: « De hoc aliud nescio, nisi quod Kuntzman mihi narravit, Collegium Congregationis a Francogallis suppressum, et Servum Dei captivum deductum fuisse. »

VII. Testis *juxta* 27. *Interr. fol.* 302. *respondit*: « Domus Varsaviensis hostilibus rei catholicae aggressionibus ejus aevi periit; saeviebat furor bellorum gallicorum et omnia, quae studiis inimicorum nominis christiani eo tempore contraria videbantur, removebantur et destruebantur. »

IX. Testis *juxta* 27. *Interr. fol.* 380. « Hoc tantum scio, Ven. Servum Dei magno dolore affectum fuisse propter clericos, quos Varsaviae secum habebat, et propter Congregationem violentia suppressam. »

I. Testis ex officio *juxta* 24. *Interr. fol.* 678. *respondit*: « Hae tam felices et insolitae manifestationes vivae ad pietatem conversionis causa expulsionis horum religiosorum pietate excellentium fuerunt; cum enim dictae pietatis manifestationes inimicis religionis periculosae viderentur, Patres modo valde barbaro expulsi sunt. »

§ 42. *Apud gubernium Borussiacum Congregatio accusata, sed innocens declarata.*

II. Testis ex officio *juxta* 27. *et* 28. *Interr. fol.* 732. « Generaliter notum est, labores extraordinarios V. Servi Dei ejusque sociorum Congregationi multos suscitasse inimicos. Jam prius sacerdotes Congregationis apud Gubernium Borussiacum accusati, sed semper ab eodem innocentes declarati sunt. Cum Varsavia Saxoniae Regi subjiceretur, inimici Congregationis nihil intentatum reliquerunt, ut eam Varsavia expellerent, atque quod intendebant obtinuerunt. Probabi-

liter anno 1808. expulsi sunt. Eorum sacra industria impiis invisa erat, nec quieti se dederunt, antequam eorum mala consilia adimpleta erant. Dum V. S. D. et sacerdotes Congregationis vel audiendis confessionibus vel verbo Dei annuntiando operam darent, Collegium a militibus cinctum est: Commissarii introgressi omnes convocaverunt, suppressionem Collegii publicaverunt, alii sigilla ad sacristiam et bibliothecam miserunt. Omnes jussi, ut urbem statim derelinquerent, in currus injecti et cum praesidio militum extra urbem ad confinia et in arcem Küstrin transportati sunt. De ista violenta expulsione V. S. D. pauca dicere solebat; videbas autem dolorem, quo afficiebatur, quod vineam Domini tanto labore excultam amplius curare non posset. Quantum memini, V. S. D. cum sociis suis per 4. sive 6. hebdomadas in arce Küstrin detentus est, sed a Gubernio Borussiaco humanissime tractati sunt. »

§ 43. *Modo barbaro Congregati ejecti sunt.*

§ 44. *Per plures hebdomadas in arce Küstrin cum sociis detentus est.*

I. Testis *juxta* 27. et 28. *Interr. fol.* 155. *ter. respondit*: « Certum est V. S. D. suppressionis Collegii Varsaviensis nullam culpam habuisse. Sacrum ejus ministerium, et praesertim sacra industria totius Collegii, cujus membra ubique ad propagationem fidei catholicae et ad christianam pietatem promovendam omnes vires intendebant, inimicis rei catholicae, imo dicere licet, inimicis christianae religionis summopere displicebant, unde operam dabant, ut istis felicibus successibus causae Dei expulsione Congregationis finem penitus ponerent. Aliqui ex sacerdotibus expulsis in Polonia remanserunt, ii scilicet, qui in Polonia nati fuerant, caeteri extra regnum missi et maxima ex parte in patriam reversi sunt. Generaliter in Congregatione nostra notum est, V. S. D. Varsavia expulsum in arce Küstrin in Borussia per plures hebdomadas detentum fuisse. Eadem sors pluribus ejus sacerdotibus contigit. »

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 182. *ter. respondit*: « Multa quidem quae passus est, jam innotuerunt; durissima vero et maxima, quae V. S. D. passus est, secum in aeternam vitam tulisse videtur, quin innotuerint, ut ex verbis, quae domino Veith dixit, apparet, videlicet: tantum die supremi judicii, quanta sit passus, manifestum fore. Quaenam in specie passus sit V. S. D., minime explicavit. Merito autem judicatur, ipsum durissima passum esse: forsitan carcer ille intelligendus est, de quo Joannes Gross, sacristiae ad S. Ursulam custos, a duobus annis defunctus sequentia narravit, et etiam in folio conscripsit, quod ab eo Congregationi traditum nunc jam non invenitur. Quodam die famulus nobilis familiae polonicae in sacristiam ecclesiae S. Ursulae venit; cumque ibi effigiem V. S. D. in pariete affixam conspiceret; dixit: « Hunc ego etiam noveram; erat vir sanctus, ineffabilia passus est in Polonia, in carcerem subterraneum valde humidum conjectus est, et ita quidem manibus et pedibus ligatus, ut contra bufones super eum repentes defendere se

non posset, usque dum per intercessionem meae comitissae ex hoc tormento liberatus est». Fere idem legitur in quodam scripto Joannis Kaul, instrumentorum fabricatoris, qui Patre Hofbauer Confessario usus est, quod scriptum de V. S. D. utique adhuc existit, solummodo dicit V. S. D. hoc in Gallia (non in Polonia) passum esse, quod aperte erroneum est. Quidquid sit, certum est, aerumnas et dolores V. S. D. super omnem modum duros fuisse, ipsum vero nemini eos manifestasse, in eo se consolans, venturum esse diem, quo Deus omnia manifestaturus esset. »

§ 45. *Alia gravissima in Polonia perpessus est V. S. D.*

2) *Dura passus est Vindobonae et in Germania.*

I. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 156. *respondit*: « In scriptis defuncti P. Weidlich et in alio quodam ignoto manuscripto, idest in manuscripto cujusdam anonymi, quod in archivio domus Vindobonensis servatur, habetur: « Patrem Hofbauer cum Vindobonam pervenerat, ab officio publicae securitatis in carcerem missum esse, ut de sacris paramentis, quae apud eum inveniebantur, et de pecunia, quam habebat, rationem redderet. Cum plene se justificaret, Director publicae securitatis Kleinschmid post tres dies libertati eum restituit; sed publicae securitatis administri invigilantes per longum tempus eum observabant. »

§ 46. *Vindobonae in carcerem conjicitur.*

§ 47. *Libertati restitutus a ministris publicae securitatis observatur.*

Et *juxta* 29. *Interr. fol.* 159. *ter. respondit*: « Audivi V. S. D. multa passum esse Vindobonae, imo eo tendisse, ut eum ex terris Austriacis ejicerent: noluerunt enim permittere, ut cum superioribus extraneis literarum commercium haberet, nec tolerare voluerunt, ut tamquam membrum Congregationis alicubi compareret. »

In argumentum hujus rei sequens factum addere possum. Quodam die V. S. D. ad se justificandum coram Consistorio Principis Archiepiscopi Viennensis comparere jussus erat. De hac inquisitione, quae facta est anno 1816. quo tempore paucos discipulos habebat, parum tantum innotuit, id vero ipsi imputatum fuisse videtur, quod de indulgentiis praedicabat, absolutionem generalem dabat, Rosaria et sacra numismata benedicebat. Inquisitio ad instantiam officii publicae securitatis a Consistorio Archiepiscopali facta est. Archiepiscopus, qui eum valde dilexit, illam impedire nequivit. Cum modo inconvenienti examinaretur, exempli gratia: Quis esset, cujus aetatis, religionis etc., facta inclinatione coram judicibus abiit dicens: « Non est bonum hic esse ». Archiepiscopus, de ejus innocentia certus, ejus discessui non restitit, dicens: « Pater Hofbauer imitans Apostolos, pulverem pedum excutiens abiit. » Pater Pajalich in manuscripto, quod servatur in Archivio domus Vindobonensis, de hoc facto loquens dicit: « Turczan, Directorem Cancellariae Archiepiscopalis, qui huic inquisitioni adfuit, alte dixisse, modum quo V. S. D. in illa occasione se gessisset, admiratione affecisse. » Sine dubio illa inquisitio causa fuit, cur

§ 48. *Inquisitioni subjectus est.*

relator gubernii tunc temporis, unus ex praedecessoribus Braig, cum audiret, Patrem Hofbauer monialibus absolutionem generalem publice dedisse, et indulgentias absque placeto regio annuntiasse, exclamavit: « Hic vir meretur, ut catenis ferreis cingatur, et in carcerem detrudatur ». De alia inquisitione V. S. D. facta, a pluribus personis, et speciatim a Patre Madlener haec audivi: Patrem Hofbauer multos et potentes inimicos habuisse, quia fortissimus adversarius spiritus acatholici fuerit. »

§ 49. *Novam inquisitionem et persecutionem passus est.*

Comes Saurau, Cancellarius supremus, maxime illi contrarius fuit. Accusarunt V. S. D. apud Imperatorem Franciscum tamquam zelatorem excessivum, et exploratorem Romanum, qui omnia, quae Vindobonae gererentur, Romam referret, ideo dignus, qui ejiceretur ex imperio. Sed justus Monarcha respondit: « Nequaquam, non possum eum in exilium mittere, nam indigena est ». Inde fraudibus et minis eum inducere studebant, ut ex Austria sponte abiret. Quaerebant praetextum, ut inquisitionem in eum instituere possent, et hic praetextus post breve tempus inventus est. Pater Sabelli, qui cum Patre Hofbauer aderat, a Superiore generali Neapoli residente mandatum acceperat, ut in Collegium Vallissanctae in circulo Friburgensi situm noviter erectum se conferret. Cum igitur commeatus literas peteret, de fine itineris interrogatus incaute respondisse videtur. Nunc sciebant, ipsum et Patrem Hofbauer membra esse Congregationis in Austria nondum receptae et a Superiore extraneo dependere. Hoc grave delictum contra leges vigentes videbatur, et ansam dedit instituendae inquisitionis. Quodam igitur die hora matutina tres viri apparuerunt in habitatione V. S. D. inquisituri. Ii erant Braig ex-benedictinus, Subdirector studiorum et Consiliarius gubernii, Josephinismi principiis imbutus, et dominus Kaufmann, vir saecularis et professor juris Romani in Theresiana Accademia una cum famulo. Nescitur, quis mandatum hujus inquisitionis dederit et quare professor Kaufmann inter inquisitores assumptus fuerit, cum neque in officio publicae securitatis, neque in gubernio provinciae munere aliquo fungeretur. Inquisitio clausis januis facta per tres horas continuata est. Braig a V. S. D. requirebat, ut aut Congregationi renuntiaret, et juxta suum exemplum in statum saecularem rediret, aut Austriam derelinqueret, cum Congregatio in Austria nequaquam recepta esset. Absque mora V. S. D. exilium elegit, et interrogatus quo ire vellet, declaravit se in Americam discessurum esse; id unum tantum se petere, ut durante rigido tempore (erat enim mense Januario anni 1819) Vindobonae remanere posset. Cum de hisce scriptam declarationem dedisset, dixit Braig, « Jam finita sunt omnia; » sed Pater Hofbauer respondit: « Minime, nondum omnia finita sunt». Et cum Braig scire vellet, quid adhuc reliquum esset, V. S. D. digito in coelum elevato dixit: Supremum

§ 50. *Optione ei data, ut Congregationi renuntiet aut patriae, praefert exilium.*

judicium. At cum Imperatori Francisco relatum esset, Patrem Hofbauer licentiam petere in Americam se conferendi, Imperator dixit: « Si Pater Hofbauer sponte abire vult, non sum contrarius, sed cum indigena sit, eum non ejecissem ». Sed paulo post Imperator per Archiepiscopum aliosque amicos V. S. D. de totius rei veritate instructus est. Archiepiscopus rogavit Imperatorem, ne uno ex optimis suis sacerdotibus privaretur, et Imperator, qui jam ad iter Romanum faciendum accinctus erat, mandavit, ne usque ad reditum suum Patrem Hofbauer molestarent. Interea Pius septimus per Nuntium Leardi, qui ante Imperatorem Romam venerat, de persecutione contra V.S.D. suscitata certior factus est. Cum igitur Imperator Franciscus quodam die cum Summo Pontifice colloquium haberet, Pius Papa dixit, se cum gaudio audivisse, Vindobonae aliquot zelantes Sacerdotes quod et praecipue Caesareae Majestati congratulandum esse, quod Vindobonae Patrem Hofbauer, virum vere apostolicum, possideret, qui decus cleri esset dicendus. Cumque Summus Pontifex sciret, Patrem Hofbauer tamquam immodicum Romanorum fautorem fuisse accusatum, cum summa prudentia subjunxit: « Pater Hofbauer conqueritur de Romanis, quod, quo Germani tractandi sunt, modum ignorant: putat enim, multa bona sperari posse, si Germani recte tractarentur. »

§ 51. *Archiepiscopus pro V. S. D. apud Imperatorem intercedit.*

§ 52. *Pius VII. Ven. S. D. Imperatori Francisco I. commendat.*

Quae verba Imperatori Francisco summopere placuerunt, perspexit enim, Patrem Hofbauer injuste tractatum esse, et ideo vivo dolore correptus est. Finito colloquio statim haec omnia Confessario suo Darnaut retulit, subjungens: « Bonum Patrem Hofbauer graviter afflixerunt; de hoc doleo: utinam scirem, quo beneficio compensare possem ejus dolores ». Darnaut, qui Patrem Hofbauer noverat et amabat, respondit: « Pater Hofbauer unum tantum desiderat, ut videlicet Congregatio sua in Austriam induceretur. Si Majestas Vestra hoc ejus desiderium adimplet, plena ei data est satisfactio. »

§ 53. *Imperator altam opinionem de V. S. D. concipit.*

Deinde Imperator literis Neapoli datis mandatum Patri Hofbauer misit, ut Regulas Congregationis suae proponeret et ediceret, quomodo eadem Congregatio in Austriam induci posset, ut inde nosceretur, quid forsan faciendum esset. »

Post haec de introducenda in Austriam Congregatione tractationes inceperunt, quas Imperator speciali benevolentia privatim per suum Confessarium Darnaut, per dominum Frint, Parochum aulicum, et suum Protomedicum Baronem Stifft peragendas curavit, et quae de facto ad felicem exitum adduxerunt. Ita consilia inimicorum, Deo ita disponente, contrarium effectum produxerunt. Ven. igitur Servus Dei ab Imperatore aliquid promissionis introducendae Congregationis obtinuerat. »

§ 54. *Jam de introducenda in Austriam Congregatione agitur.*

II. Testis *juxta* 29. *Interr. fol.* 222. *respondit*: « Scio tantum,

§ 55. *Confirmantur dicta §§ praecedentibus.*

adversarios sacrae industriae Ven. Servi Dei eum Vindobona relegare voluisse, at non juxta eorum consilia factum esse; porro Imperatorem Franciscum permisisse, ut domus Congregationis Vindobonae erigeretur, quae tamen erectio solum post obitum Ven. Servi Dei effecta est. »

III. Testis *juxta* 29. *Interr. fol.* 235. *respondit*: « Contradictiones et machinationes contrariorum praevaluerunt, et proh dolor! ipsa Caesarea Majestas calumniantibus aures praebuit; unde factum est, ut Ven. Servus Dei inquisitioni subjiceretur, et ita erectio domus Congregationis irrita redderetur. Occasione hujus ex officio institutae inquisitionis, nihil inventum est, quod Ven. Servo Dei in crimen verti posset; e contra ordinis cujusdam equestris, credo Stanislai, signum inventum est, quod Ven. Servus Dei Varsaviae a Rege Poloniae propter sua merita receperat. In fine dictae inquisitionis cum documenta jam subscripta essent, unum ex officialibus inquirentibus Ven. Servus Dei interrogavit, an adhuc quidquam tractandum esset: cumque interrogatus hoc negasset; Ven. Servus Dei cum gravi vultu digitum coelum versus elevavit, et minando dixit: « Expectandum adhuc est tribunal et judicium Dei. »

§ 56. *Aliquando V. S. D. prohibitum est, ne praedicaret.*

VII. Testis *juxta* 29. *Interr. fol.* 303. *ter. respondit*: « Scio V. S. D. propter sacram industriam coelestibus benedictionibus abundantem plurimos habuisse inimicos, qui omnem operam dederunt, ut Vindobona eum expellerent. Memini, quadam dominica ipsi prohibitum fuisse ne praedicaret. Qua de re nos omnes valde afflictae fuimus, timentes, ne Pater Hofbauer Vindobona ejiceretur, et nos eo privaremur.

Sed omnes machinationes, quas ad obtinendum scopum, expulsionem scilicet Ven. Servi Dei, fecerunt, effectum, quem anhelabant, non habuerunt. Comes enim Hohenwart, qui eo tempore Archiepiscopus Vindobonensis fuit, et alii quidam Ven. Servi Dei amici obtinuerunt, ut ante reditum Imperatoris Francisci ab Urbe, ejus expulsio locum non haberet. At post reditum Imperatoris Ven. Servus Dei licentiam obtinuit, ut etiam in futurum Vindobonae manere posset. Cum enim Imperator Franciscus Roma, ubi ex ipso ore Summi Pontificis Pii Septimi sacram industriam Ven. Servi Dei laudari audiverat, Vindobonam rediisset, omnes persecutiones et injurias, quas Ven. Servus Dei sustinuerat, resarcire cupivit, unde ab eo expetivit, ut gratiam sibi expostularet. Ven. Servus Dei hac singulari gratia Imperatoris utens veniam petiit, ut domum Congregationis SS. Redemptoris Vindobonae erigere posset, quam gratiam Imperator animo libenti concessit, et confirmavit. Haec omnia ex ore Patris Martini Stark scio, nam Ven. Servus Dei nullum unquam de re verbum fecit. Utique jam tum de fundatione Congregationis Vindobonae dici audivimus et nos (parentes scilicet et ego) Ven. Servum Dei interrogavimus, an verum hoc esset. Ven. Servus Dei loco responsi pro-

§ 57. *Imperator erectioni Domus Congregationis Vindobonae consentit.*

funde respiravit, et dixit: Sic, sed non credo, hoc tempore vitae meae adimpletum iri. »

VIII. Testis *juxta* 29. *Interr. fol.* 343. *respondit*: « Utique scio, et res communiter nota mihi videtur, plures sacrae industriae Ven. Servi Dei contrarios fuisse; sed isti inimici erant cujusvis religionis et maxime Ecclesiae catholicae, et bonos effectus, quos Ven. Servus Dei ministerio sacerdotali Vindobonae obtinuerat, destruere conabantur. Bene novi, aliquando Patrem Hofbauer inquisitioni fuisse subjectum, et tamquam exploratorem fuisse tractatum. Ex inopinato viri de mandato gubernii ejus habitationem adierunt, et omnes ejus chartas perquisierunt, ut viderent, an non quidquam publicae securitati periculosum in eis contineretur. Nihil tamen invenerunt, et postquam per plures horas inquisierant, et Ven. Servum Dei valde irreverenter tractaverant, abierunt. Cum viri inquirentes in fine dixissent: « Jam omnia finita sunt », Pater Hofbauer, uti audivi, respondens haec gravia verba elocutus est: « Minime, unum adhuc superest, scilicet judicium Dei. »

§ 58.
Qui erant inimici V. S. D. iidem erant inimici Ecclesiae.

Omnibus etiam constat, Ven. Servum Dei, postquam in Austriam venerat, statim inquisitum fuisse, quia vestes sacras Varsavia secum portaverat, et sic etiam notum est, ejus adversarios operam dedisse, ut Vindobona removeretur; id tamen efficere non potuerunt, nam Imperator Franciscus Romae ab ipso Summo Pontifice instructus est, Ven. Servum Dei opera sua vere apostolica optime mereri, unde de ipso opinionem valde bonam concepit. Comes Hohenwart, tum Archiepiscopus Vindobonensis, pariter Ven. Servo Dei valde favebat; iste enim Imperatori Francisco declaravit, laboribus Ven. Servi Dei religionem catholicam Vindobonae valde promoveri posse, quod Imperatorem adeo commovit, ut erectionem domus Congregationis SS. Redemptoris Vindobonae concederet. Advertendum mihi est, adversarios Ven. Servi Dei utique id obtinuisse, ut ei venia annuntiandi verbum Dei et indulgentias impertiendi tolleretur, qua de re tanto dolore affectus est, ut lacrymas funderet, quia sic efficacissimo medio animas lucrandi, et Deum glorificandi privaretur. Id mihi accidisse videtur, cum Imperator absens esset, sed elapso brevissimo tempore haec vexatio sublata est. »

§ 59.
Confirmantur dicta §§ 48. 52. 53.

§ 60.
Ven. S. D. lacrymas fudit, cum praedicare vetaretur.

IX. Testis *juxta* 29. *Interr. fol.* 382. *ter. respondit*: « Certum est, quosdam id intentasse, ut Ven. Servus Dei ex Austria ejiceretur. Non solum ejus sacram industriam difficultatibus implicare, sed penitus destruere voluerunt. Ipse Ven. Servus Dei dixit: « Nullo die securus sum, an non ex Austria expellar. » Cum Imperator Franciscus Vindobona absens esset, occasio haec opportuna iis videbatur. Unde Archiducem Ludovicum, Imperatoris locum tenentem, inducere tentaverunt, ut Ven. Servum Dei ejusque sacerdotes ejiceret. Sed responsum habuerunt: Vindobonae non solum uno Patre Hof-

§ 61.
Periculum exilii diu sustinuit.

bauer opus est, sed desiderandum est, ut sex sacerdotes eodem modo laborent, et sic religionis conditiones Vindobonae reforment. Imo Imperator Romae tanta benevolentia erga Ven. Servum Dei affectus est, ut Vindobonam reversus cum arcesseret, eique intentionem suam, permittendi scilicet Vindobonae erectionem domus Congregationis manifestaret. »

§ 62. *Imperator ipsi favere incipit.*

Et *juxta* 34. *Interr. fol.* 420. « Utique Ven. Servus Dei contemptum, vituperia et persecutiones haud exiguas perpessus est. Hoc modo odium incredulorum, et religionis irrisorum incurrerat. »

I. Testis ex officio *juxta* 29. *Interr. fol.* 686. *ter. respondit*: « Utique novi, Ven. Servum Dei Vindobonae multos adversarios habuisse, et narrari audivi, id intentum fuisse, ut Vindobona ejiceretur. Voluerunt etiam impedire, ne poenitentes, quos ex despectu Hofbauerianos compellabant, ad eum accederent, eisque insussurabant, Patrem Hofbauer scrupulis nimium indulgere, et alios scrupulis inquietare. »

Et *juxta* 34. *Interr. fol.* 693. « Generalem tantum notitiam habeo, Ven. S. D. contradictiones, persecutiones et tribulationes passum esse, et in iis perferendis ita se gessisse, uti virtus christiana expostulat. »

§ 63. *Multa etiam in Germania passus est.*

II. Testis ex officio *juxta* 26. *Interr. fol.* 731. *respondit*: « V. S. D. plura Congregationis instituta fundavit, et quidem primo in Thabor prope Schaffhusium, deinde Tribergii in Silva nigra, utrumque in antiqua Dioecesi Constantiensi. Sed utramque domum propter continuas vexationes, quas a Curia Episcopali passus est, cui ille male notus Baro de Wessemberg praeerat, derelinquere coactus est. »

§ 64. *In crimen ei versum est, quod cum Superiore extero relationes habuit.*

§ 65. *Confirmantur dicta § 52 et seqq.*

Et *juxta* 29. *Interr. fol.* 745. *respondit*: « Utique V. S. D. adversarios habuit, quod spectatis suis laboribus apostolicis facile intelligitur. Imo etiam judiciali inquisitioni subjectus est. Cum multi juvenes ejus habitationem adirent, publici officiales rem periculosam suspicabantur. Duo commissarii in ejus habitationem venerunt, cumque perquisitis omnibus chartis viderent ipsum cum superiore extero relationes habere, quod legibus tunc vigentibus severe prohibitum erat, ipsi intimabant, ut aut Religioni suae renuntiaret, aut status Austriae derelinqueret. Nihil haesitans V. S. D. posterius elegit: sed res ad effectum non est deducta. Sigismundus Hohenwart, pius Archiepiscopus, Caesaream Majestatem Francisci I. adiit, et dolorem, quo opprimebatur expressit, si hunc pium et zelantem sacerdotem perderet. Imperator Franciscus, qui tunc ad iter Romanum se accingebat, ordinavit, ut totum negotium usque ad ejus reditum reponeretur, cumque SSmus Pater Pius VII. Romae cum Imperatore Francisco de Ven. S. D. locutus esset, Imperator reversus injuriam V. Servo Dei inflictam reparare intendens, ab eo quaesivit, ut gratiam sibi expeteret. V. S. D. nihil aliud petiit, nisi ut Congregatio in status Austriae reciperetur, quae preces etiam exauditae sunt.. »

(Ex Processu Ordinario)

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 594. « Fortitudinem Patris Hofbauer felicis recordationis cognoscere credo in constanti et laborioso studio, quo sacra vocationis suae officia peragere, et praesertim Congregationis propagationem, in qua Dei agnoscebat voluntatem, promovere nunquam omisit, tametsi tot aerumnae et impedimenta laboribus suis sese opponerent. . . . . Ejus fortitudo praecipue elucebat in persecutionibus, quas in exercendo apostolico munere et propter idipsum patiebatur. »

§ 66. *Gravissima passus est quod fideliter vocationis exequeretur officia.*

Et *juxta* 24. *Interr. fol.* 598. « Ex relatione omni fide digna novi de persecutionibus, conviciis et contumeliis, quas Servus Dei in exercenda sua vocatione et christiana virtute perpessus est. Maximarum una ea fuit, qua Congregationis domus Varsaviensis suppressa et ipse cum sociis in Borussiacam arcem Küstrin est deportatus. Ista persecutio praecipue (prout dictum est mihi) ab Ecclesiae catholicae inimicis in Borussia et in Poloniae regno structa, et a Commissariis regiminis borussiaci executioni fuit data, in qua ceteroquin benigna captivorum tractatio in Küstrin, et post plures hebdomadas eorum dimissio absque ulla poena, perfectam Patris Hofbauer et sociorum ejus innocentiam probavit. Ultima persecutio, quam Pater Hofbauer a nonnullis inimicis Vindobonensibus est passus, in id incidit tempus, quo ejus noscendi fortuna jam fruebar. Aliqui homines publicae administrationis munere fungentes, qui catholicos Patris Hofbauer labores habebant odio, ex lege civili tunc adhuc vigente et prohibente, ne ullus Sacerdos in austriacis regnis haereditariis cum extero Superiore submissionis commercium haberet, ansam ceperunt instituendi inquisitionem quandam, cui subjecerunt Patrem Hofbauer et omnia ejus scripta. Videntes, Patrem Hofbauer tamquam natum subditum Austriacum Congregationis in Austria non existentis esse membrum, et ideo Superiori ejusdem generali per obedientiam esse subditum, optionem illi dederunt, aut Congregationi aut patriae renuntiandi. Pater Hofbauer absque haesitatione, quamvis coactus, hoc alterum elegit, quo inimici optatum nacti sunt praetextum asserendi, Patrem Hofbauer Vindobonam et Austriam sponte derelicturum. Conspicui et potentes Servi Dei amici, imo ipse tunc temporis Archiepiscopus Vindobonensis, Comes Hohenwart, immediate intercesserunt apud Suam Majestatem felicis memoriae Imperatorem Franciscum, ut pronuntiatum exilium Servi Dei averteret, et obtinuerunt a justo Monarcha Romam profecturo ad Christi Vicarium, tunc regnantem Summum Pontificem Pium VII., pronuntiati exilii dilationem. »

§ 67. *Varsavia ejectus in carcere includitur.*

§ 68. *Exilium praetulit officii violationi.*

XIII. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 492. « Verum est, Congregationem Varsaviae multa fuisse perpessam, sed advertere

debeo, non ipsum gubernium magni ducatus Varsaviensis, neque secretum consilium Regis Saxoniae et magni Ducis Varsaviensis Friderici Augusti, Domini valde pii, proprie fuisse, unde persecutio et suppressio proveniebat; sed, prout decretum suppressionis Congregationis de die nona Junii anni 1808. datum Pilnitii signatum a Rege Friderico Augusto annuntiat, aulam gallicam speciales relationes de suppressionis necessitate fecisse, postquam locales magistratus iterato postulati, deficientibus omnino probationibus onerosis, haesitarent, relationes de Congregatione in sensu nocivo facere et suppressiones instruere. Prout ex relationibus Principis Archiepiscopi Raczynski liquet, pius rex Fridericus Augustus praefato suppressionis decreto lacrymans subscripsit. Summus belli dux Davoust, publicae securitati et exercitui Varsaviae praefectus, in exequendo mandato ipsum regium decretum non observavit, nam in decreto de omni proprietate Patribus fides est data, imo in tertio paragrapho mandatum, ut iisdem necessaria viatica praestarentur, dum in expulsione, quidquid haberent, ablatum, ipsique damnatorum scelerosorum instar tractati sunt. Praeterea adducendum est, Ecclesiae ideoque et Congregationis adversarios eodem die, quo expulsi sunt Patres Varsavia, in conventu liberorum murariorum triumphale instituisse convivium. »

§ 69. *Liberi murarii, ob suppressam Congregationem Varsaviae convivium triumphale instituerunt.*

LIII. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 814. *ter. respondit* « Novi etiam, Patrem Hofbauer Varsavia expulsum et Vindobonam proficiscentem multas et acerbas perpessum esse aerumnas. Patribus nempe et Fratribus domus Congregationis Varsaviensis in Arce Küstrin captivis dimissis cum mandato, ut quilibet in patriam suam proficisceretur, vir quidam benevolus rogavit, ut Patri Hofbauer saltem tamquam aetate omnes superanti comes concederetur, quibus precibus annuentes Martinum Stark, adhuc clericum, itinerum socium ei dederunt. Ambobus unus simul exaratus est syngraphus, in quo accurate fuit indicata via, quam prosequi deberent. Pater Hofbauer vero ab ea via paulisper discedens ut locum catholicum attingeret, in quo sacrum (quod nunquam omisit) facere posset, et procedens in via sua ad locum venit a Gallis occupatum, qui retentum eum interrogabant de syngrapho. Stark autem perdiderat syngraphum (e sacco elapsum). Tunc tamquam suspecti homines comprehensi, et cum militari praesidio tamquam exploratores ad belli ducem conducti sunt. Ea explicatio, Martinum Stark syngraphum perdidisse, vana excusatio reputata fuit, ac eorum conditio erat periculosa. Dux in carcerem eos abduci jussit, et Cüstrinum scripsit, ut certior fieret, an amborum viatorum expositiones essent verae. Opportune accidit, ut responsum veniret, expositiones quidem esse veras, sed deliquisse eos, quod viam praescriptam deseruissent. Quo facto novum acceperunt syngraphum, et reprehensi dimissi sunt. »

§ 70. *Ex Polonia in Austriam pergens denuo innocens in carcerem conjicitur.*

II. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 154. *ter.* « Scio Servum Dei

altimis Vindobonensis suae commorationis annis variis accusationibus ex parte magistratuum fuisse implicitum, nec non eausam his inquisitionibus dedisse principia adoptata tunc a magistratibus et ex Caesaropapia promanantia. Papista, quem vocabant, male audiebat apud civiles auctoritates, omnesque eum invisentes in libris secretis isto nomine erant notati. Ejus etiam habitatio a publicae securitatis administris alio indutis vestitu plerumque fuit observata. In quadam inquisitione hac de causa ipsi facta coram Archiepiscopali consistorio comparere debebat. Generosus, pius, sed ob provectam aetatem jam debilis Archiepiscopus Comes Hohenwart, summa ipsi charitate addictus, praesidebat, attamen nihil dicens. Servus Dei (nec sede sibi oblata) in infimo stare debebat loco. Ad instar delinquentis de nomine, patria, aetate, religione et conditione interrogatus, pertranquille subito dixit: « *Non est bonum hic esse, abibo*». Et reverenter sese inclinans ex aula discessit, a nullo impeditus aut revocatus. Isti prophetae in suo Thabor sacro horrore absque dubio erant perculsi. Alia vice, cum Canonicus quidam Josephinis, quae vocant, imbutus principiis a regimine civili deputatus inquisitor domesticam apud eum instituisset inquisitionem, ac omnia Breviaria, libros et scrinia etc. fuisset perscrutatus, Servus Dei in fine: « *Nunquid omnia,* inquit, *nunc sunt finita*?» Annuente Commissario, Pater Hofbauer, elevato ad coelum digito, respondit: « Nondum, sed ibi! » Ex istis accusationibus et processibus ipse demum omnino justificatus prodiit. Persecutiones a personis privatis ipsi factas nescio, excepta ea, quam a proprio subdito et familiari Patre Sabelli hujusque asseclis in conventu Ursulinarum pati debebat. Quam injuriam omni cum patientia eum tulisse, in alia jam depositione priori commemoravi. »

§ 71.
Accusationes et inquisitiones est passus, quod Sedi Apostolicae adhaereret.

§ 72.
A suo subdito et familiari multa passus est.

I. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 114. « Novi ex auditu (unde vero ignoro) Servum Dei insistente civili potestate coram Archiepiscopali Consistorio fuisse inquisitum, at justificatum coram Archiepiscopo prodiisse, quod probat Archiepiscopi verbum (per rumorem a me auditum) Imperatori Francisco factum: « *Vestra Majestas optimo me privat Sacerdote, quem habeam* ». Quo non obstante civiliter inquisitus fuit. Eo ipso tempore in Servi Dei habitatione aderam, ipsum expectans, cum Commissarii civiles intrarent. Reverso Patre Hofbauer meque de mandato abeunte, cubiculi ostium post me clausum et examen, quod nunc quidem meminerim, per tres protractum est horas. Finita hac inquisitione ipse tintinnabulo discipulis signum dedit ad prandium, particulare examen cum eis tranquillus instituit juxta regulam, et uti alias ad mensam omnibus nobis ministravit, vultu tamen doloroso et severo. Nonnisi post Patris Hofbauer mortem causam audivimus per Imperatoris Protomedicum, Liberum Baronem

§ 73.
Quasi perduellionis reus habitus fuit: sed omnia pertranquillus sustinuit.

de Stift narrantem, Servum Dei in illa inquisitione uti criminis perduellionis reum fuisse tractatum, aperiendo ipsius cistas et scrinia, auferendo chartas, sed nihil inveniendo, quod suspectum illum reddere potuisset: Ex ista etiam inquisitione justificatus coram Imperatore prodiit Servus Dei, imo ipse Imperator Franciscus Patri Hofbauer nuntium misit, ut gratiam a se peteret compensandi causa istam injuriam. Et Servus Dei petiit licentiam, ut sua Congregatio in Austria admitteretur, qua petitione benigne ab Imperatore excepta Congregatio in Austria constituta est. »

Et *juxta* 22. *Interr. fol.* 111. « Sub obedientia semper vixit, et unio ista cum Superioribus, quam dissolvere recusabat, persecutiones illi ciebat, praesertim Vindobonae. Defectum, dictis oppositum virtutibus nunquam in eo observavi, nec unquam de defectu aliquo audivi, nisi his ultimis diebus, cum Pater quidam Congregationis, Sabelli, verba cuidam Redemptoristae Romae fecisse diceretur de Patre Hofbauer, rancorem sapientia; sed iste Pater Sabelli idem est, qui Patri Hofbauer (quod ipse est confessus) multos attulerat dolores eosque (nisi fallor) propter ecstaticam personam in Helvetia. »

§ 74.
Adversitates eum non impediebant, quominus alacriter ad perfectionem contenderet.

XVII. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 450. *respondit*: « Servum Dei per totam vitam multipliciter acerbitates, persecutiones et injurias pertulisse, jam supra notavi. Tota ejus vita non erat nisi dumetum, quod vero eum, quominus constanter ad perfectionem procederet, impedire nunquam valebat. Etiam judicialibus obnoxius erat inquisitionibus, sed absque ulla propria culpa, omnesque istae inquisitiones id semper efficiebant, ut ejus virtus et innocentia magis splenderent. Ejus persecutores plerumque erant homines saeculares increduli, quandoque vero etiam tales sacerdotes, qui per ejus agendi modum strenue catholicum et apostolicum sese reputarent obumbratos. »

XXI. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 474. *ter.* « Audivi certe, Servum Dei persecutionem fuisse passum praesertim ab auctoritate civili: sub diversis praetextibus eum Vindobona amovere volebant, quum eo infelici incredulitatis tempore scandalo esset, quidquid vere erat catholicum. In omnibus his persecutionibus animi tranquillitatem et modestiam probabat omnino incomparabilem. »

§ 75.
Pacem animi et charitatem erga inimicos semper servavit.

XV. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 377. *ter.* « Scio propria experientia, Servum Dei utique contradictiones, persecutiones aliasque aerumnas Vindobonae perferre debuisse; ferre enim quidam homines nequibant, quod Superiori subjaceret extraneo, et ad Congregationem exteram pertineret, ita ut optio ei daretur, aut religioni renuntiandi, aut Imperium deserendi. Absque ulla haesitatione ille secundum elegit. Servo Dei Vindobona discessuro et Imperatore Francisco Romam profecturo, Vindobonensis Archiepiscopus Hohenwart cum aliis Servi Dei amicis decretum ab Imperatore impetravit, ut causa Servi Dei usque ad Imperatoris reditum differre-

tur, et Servus Dei interea quietus Vindobonae posset manere. Imperator Vindobonam reversus Servo Dei propitium sese exhibuit tum ob laudes a Pio VII. Romae Servo Dei datas, tum ob gloriosas relationes post reditum de eodem acceptas, et Servum Dei pro omnibus acerbitatibus (injuriis) toleratis quasi compensaturus certiorem eum faciendum curavit, ut gratiam a se peteret. Qua Imperatoris benevolentia utens Servus Dei petiit veniam, ut domum Congregationis suae Vindobonae fundare sibi permitteretur, quam petitionem Imperator benignissime excepit. Memoravi jam, Servum Dei inimicos suos non solum non odisse sed etiam amasse. »

ARTICULUS VI.

In mediis tribulationibus Ven. S. D. tranquillitatem et serenitatem animae semper servavit.

(Ex Processu Apostolico)

VIII. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 361. *respondit*: « Omnibus calumniis, quibus propterea expositus fuit, mentem tranquillam et patientem opposuit. » § 76. *Calumniis mentem tranquillam opposuit.*

« Jam supra dixi, Ven. Servum Dei ex parte eorum, qui Ecclesiae Catholicae adversi erant, acerrimos habuisse contrarios, et propter labores apostolicos etiam duras passum esse persecutiones. Sed ipse harum persecutionum nullam habuit culpam; nam propterea tantum persecuti sunt eum, quia ejus infatigabilis industria, egregiis fructibus coronata odio fuit: alites noctividae lucem diei non sustinent. Quamvis graves injurias et persecutiones pateretur, nullum tamen verbulum dixit, se pati. Cumque aliquando soror quaedam eum interrogaret, an non propter malitiam inimicorum ira moveretur, Ven. Servus Dei manum suam monstrans dixit: « Vide manum meam, non est sanguine conspersa, nondum sanguinem effudi. »

Et *juxta* 36. *Interr. fol.* 368. « Id vero ex propria experientia attestari possum, totam vitam Ven. Servi Dei per illos septem annos, quibus nos usque ad obitum suum gubernavit, continuum et manifestum miraculum fuisse: nam semper sibi aequalem coram Deo ambulare, semper ardenti zelo unice Dei honorem quaerere et ubique diffundere, omnia perferre, omnia sustinere, ut quis Altissimo, tamquam holocaustum perfectum se exhibeat, omnes vires animi et corporis unice in servitium Dei, et ad salutem animarum applicare, et in hunc finem omnes occasiones infatigabili fervore arripere, et in tali studio et opere quotidie perseverare, hoc mihi res vires humanas longe excedens, et tantum viro donis supernaturalibus munito possibilis videtur. » § 77. *Semper sibi constans coram Deo ambulavit.*

IX. Testis *juxta* 29. *Interr. fol.* 383. *respondit*: « Ven. S. D.

§ 78. *Inimicos tamquam benefactores consideravit.*

cum adversariis suis sicut cum amicis vel ipsis benefactoribus agebat. « *Inimici enim* (dixit) *tamquam benefactores considerandi sunt; nam nos adjuvant, ut in coelum perveniamus.* »

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 408. *respondit*: « Ven. S. D. virtutem fortitudinis in gradu heroico possedisse, ex eo patet, quod in omnibus etiam gravissimis tempestatibus et persecutionibus, quas in vocatione sua et propter suum sacrum ministerium perpessus est, numquam animum demisit, sed eo majori fervore et firmiori in Deum fiducia executioni propositi sibi finis se daret, quo majora impedimenta ei opponerentur. Nunquam in eo animum adversitatibus dejectum videbas, ac semper disertis verbis edixit, a Deo auxilium venturum. Quicumque aerumnas, quas Ven. Servus Dei passus est, ejusque modum agendi in circumstantiis difficillimis noverat, persuasum habebat, Ven. Servum Dei virtute fortitudinis ornatum fuisse. Imo Ven. Servus Dei de ipsis suis afflictionibus gavisus est, et verbis commoventibus amorem tribulationum commendavit; « *Deum amare* (dixit) *tam magnum bonum est, ut verbis describi non possit*: *majus tamen bonum est, ex amore Christi pati, Deus et pati sunt summa beatitudo.* » Animum ad patiendum promptum pulchre manifestavit precibus illis, quas ipso recitavit, et nobis recitandas injunxit: « In cruce, ex qua pendet Salvator meus, et splendent ejus vulnera, in tribulatione semper vivere cupio, donec spiritum tradidero. »

§ 79. *Summum bonum illi erat, ex amore Christi pati.*

I. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 183. *ter. respondit*: « Dura quaeque, quae ipsi acciderunt, cum heroica patientia pertulit, quin conquereretur, et pacem animi perderet. »

II. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 223. *ter. respondit*: « Si persecutionum ansam praebuit, hoc tantummodo ejus zelo vere catholico et sacerdotali pro causa Dei et S. Ecclesiae referendum est. Injuriis vero semper suavitatem tantum opposuit. »

III. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 242. *ter.* « Omnes persecutiones cum summa patientia et mansuetudine sustinuit. »

VII. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 316. *respondit*: « Ven. S. D. omnes persecutiones cum magna patientia pertulit, et nunquam de iis conquestus est. »

II. Testis ex officio *juxta* 34. *Interr. fol.* 759. « V. S. D. in exercitio sui ministerii apostolici multa impedimenta, multasque persecutiones passus est; sed omnia aequo animo sustinuit, nunquam conquestus est, et offensas ipsi factas libenter remisit. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 80. *In carcere detentus Deum piis canticis laudavit.*

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 594. *respondit*: « Eum ipsum audivi narrantem, se, suppressa domo Congregationis S. Bennonis Varsaviae, in arcem Küstrin cum sociis abductum,

ibique per plures hebdomadas in carcere detentum suos animasse, ut spiritualibus canticis Dominum laudarent et animi tranquillitatem conservarent. Pariter etiam scio, eum in ultima Vindobonensi persecutione sibi acerbissima et spem suam in Austria proficiendi, specietenus destruente, eodem die, quo istis affectus est injuriis, in toto suo habitu externo serenam conservasse tranquillitatem, qua etiam, prout audivi, hominem inquirentem severe quidem, sed absque ulla passione et inquietudine divini admonuit judicii. »

X. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 298. *ter.* « Ipse autem de his aerumnis et persecutionibus nullum nobis fecit verbum. Patienter eum tulisse istas aerumnas, in adversarios nullam interne retinuisse vel externe monstrasse iram, sed pro iis orasse, hoc audivi a Patre Stark. »

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 424. « Fortitudinem Servi Dei magnae gravesque aerumnae, quas ferre debebat, frangere nequibant, ita ut hilaris ejus animus integer semper maneret . . . . Verum est, Servum Dei, una Congñis domo eversa, illico integro animo alteram erigere fuisse conatum. »

§ 81. *Vir interior describitur V. S. D.*

II. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 163. *respondit*: « Qualem nunc post 44. annos ante oculos habeo Servum Dei, talis omnino eo tempore mihi probatus est vivus, nempe: « vir summopere amabilis, suavis, simplex, humilis, prudens, in charitate radicatus, amore Dei et proximi fervens, in fide firmissimus, supra modum misericors, sua non quaerens, sed quae Jesu Christi, in fide et charitate vere apostolicus, omnibus omnia esse intendens, gratia Dei abundans. »

§ 82. *SS. Philippo Nerio et Vincentio a Paulo comparatur.*

« Secundum eam, quam tunc habui hodieque habeo opinionem, non dubito, pro peculiari quo agebat modo, comparare eum cum S. Philippo Nerio et S. Vincentio de Paulo; tametsi enim opera tam splendida et ampla non perfecit, prout magni isti duo viri, hoc regionum septentrionalium conditionibus et temporum injuriis, labores sanctosque ejus conatus toties pervertentibus, est imputandum. In ea quam exercebat in hominum corda, auctoritate aliis sanctis viris vix fuerit secundus. »

Num. 15. *De heroica temperantia.*

DE HEROICA TEMPERANTIA V. S. D.

ARTICULUS I.

De abstinentia V. S. D. in esca et potu.

(Ex Processu Apostolico)

§ 1. *Omnes ejus temperantiam admirabantur.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 183. *ter. respondit*: « Temperantia Ven. Servi Dei quoad nutrimenta (cibum et potum) saepe ejus amicis admirationem movit, non enim poterant comprehendere, quomodo tanta parcitate ciborum utens labores adeo graves tolerare posset, »

IV. Testis *juxta* 17. *Interr. fol.* 252. *ter. respondit* : « Talium eremitarum (prope Tibur) tum in isto loco sex erant, quorum quilibet habebat parvum hortum, in quo herbas et olera plantabat, quibus vivebant. »

§ 2. *In eremo herbis se alebat.*

Et *juxta* 25. *Interr. fol.* 256. *ter.* « (Varsaviae) Kuntzmann herbas tantum coquendi antea peritus coquus factus est. »

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 241. *ter. respondit* : « Ad probandam temperantiam in ciborum usu, id quod sequitur afferre possum. Ven. S. D. in exercitio immensae suae charitatis usque adeo progressus est, ut omnes cibos ei allatos inter egenos, hora meridiana ejus cubiculum obsidentes, distribueret, ita quidem, ut nihil sibi superesset. Cum vero admoneretur, ut ipse quoque fami consuleret, respondit, « Quid ad vos, si jam satur sum?

§ 3. *Cibos inter pauperes divisit, nihil sibi reservans.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 358. *ter. respondit* : « Incluso missae sacrificio, quod quotidie obtulit, a primo mane usque ad horam decimam circiter quotidie sine intermissione in servitio divino occupatus fuit; et nonnisi terminatis functionibus sacerdotalibus scutellam puri jusculi, quod ex nostra culina accepit, sibi indulsit; aliud jentaculum non noverat ».

§ 4. *Post multos labores nihil praeter jusculum sumpsit.*

IX. Testis *juxta* 10. *Interr. fol.* 376. *ter. respondit* : « Libenter etiam (ab infantia) cibis pepercit, et quod parcendo sibi subtraxerat, inter pauperes infantes distribuit. Amavit quoque in honorem Dei Genitricis jejunare, et quidem Sabbato, ita ut usque ad vesperam parum tantum vel omnino nihil ederet. »

§ 5. *Sabbatis jejunabat.*

I. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 892. *respondit* : « Circa temperantiam V. S. D. ex propria observatione afferre possum, occasione visitationum, quas saepius tempore prandii in habitatione ejus feci, me nunquam ipsum edentem, sed tantum cibos inter praesentes dispensantem vidisse ».

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 756. *respondit* : « Omnes qui V. S. D. noverant, summam temperantiam in cibis potuque haud satis admirari possunt. Ad mensam tum meridianam, tum vespertinam aliis inserviebat: ipse vero stando vel deambulando pauca frustula ciborum infimae qualitatis edebat. Omnia inter pauperes distribuebat, et ejus discipuli comprehendere non poterant, quomodo tam parco cibo utens tantos sustinere posset labores. »

§ 6. *Confirmantur dicta* § 1.

Et *fol.* 757. *ter.* « Addendum tamen mihi est, ipsum vestem valde pauperem tulisse, et iter faciendo ordinarie collectis eleemosynis victum sibi procurasse : inde evenit, ut aliper totum diem cibo careret. »

X. Testis (Emus Cardinalis Rauscher) *fol.* 451. « Quod parcissimo uteretur victu, omnes qui prandiis ejus intererant uno ore attestabantur. »

(Ex Processu Ordinario)

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 199. *ter.* « Virtutem quod spectat

temperantiae, ad mensam potius ministrare quam comedere eum observavi, contentum solis reliquiis et vilissimis cibis. Nunquam eum vidi jentaculo se reficientem, aut vinum bibentem. »

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 207. *ter.* « Virtutem cardinalem temperantiae Servus Dei in gradu exercuit heroico, ob robustam physicam constitutionem abundantiori indigens nutrimento, ideoque cibi abstinentia sine dubio valde molestatus. Servus Dei tamen ita parcus erat, ut haud raro omnia fere discipulis suis et pauperibus distribueret. Ipse jusculi parum sumens, et stando vel deambulando (quia omnibus mensae accumbentibus ministrabat) unam alteramve micam comedebat. Quod tum ad prandium, tum ad coenam quotidianam admirandum erat in Patre Hofbauer, his notabo: Moniales pro eo solo tam meridie quam vespere cibum mittebant, sed Servus Dei tanta cum prudentia istam suam portionem distribuere novit inter quotidianos suos hospites et discipulos (quinque vel sex et amplius personas numero) ut tenuis illa coena satiandis omnibus sufficeret (quod mirabile est) et superesset etiam pro pauperibus. Quomodo hoc fieri potuerit, usque in hanc horam non est mihi exploratum. Num Deus O. M. eam in ejus manu auxit, uti Jesus olim panem in deserto? An bonus Deus ita cibis benedixit, ut omnes nos paucis saturaremur? Admirari solum hoc potui, naturali vero modo explicare hucusque non potui. Potu caffei uti Servum Dei nunquam vidi. Quodam die mihi: « *Vide,* inquit, *care mi, missionarium mortificatum esse oportet, ut par sit omnibus ferendis laboribus. Quadraginta annos natus vinum non biberam.* » Servus Dei tunc sexaginta quinque vel sexaginta sex habebat annos, et confiteri debeo, me nunquam vidisse eum vinum bibentem. Quod ipsi moniales dabant vinum, distribuit, aqua sola contentus. »

§ 7. *Quamvis copiosa indigeret alimonia, tamen parcissime vescebatur.*

§ 8. *Arabica potione usus non est.*

Et *infra fol.* 210. « Pauper etiam in cibis deteriora semper quaerebat. Hoc animatus spiritu hic Servus Dei semper vivebat; sic eum vidi et observavi quotidie per plures annos. »

§ 9. *A vino abstinuit.*

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 594. *ter.* « Quod ciborum usum attinet (et pluries, cum comederet, adfui) magnam observavi temperantiam, quamvis robusta et fortis ejus constitutio abundantiori alimento indigere videretur. Caffeum sumere eum nunquam vidi, quamvis aliquoties eum eo conspicuas inviserem personas, ubi a praesentibus caffeum sumebatur. Pariter ab iis, qui cum eo convivebant, audivi, ultimis demum vitae suae annis eum modico usum esse vino, et vespere adveniens eum vidi, cum defatigatus rediisset, praesertim ab aegrotis et pauperibus, quos visitaverat, unum vini scyphum sumere. Saepius etiam dicentem eum audivi, vinum esse pretiosum Dei donum, praecipue ad confortandas vires hominum in aetate provectorum. »

§ 10. *Deteriores cibos quaerebat.*

§ 11. *Confirmantur dicta* § 7. *et seqq.*

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 545. « Omnes, qui cum

noverant, ob temperantiam in usu cibi et potus eum admirati sunt. Ad mensam caeteris ministrare eum vidi, cibosque distribuere, ipse autem parum tantum stando manducabat. »

§ 12. *Rigida agebat jejunia.*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 424. *ter.* « Rigorosissima jejunia eum sustinuisse, notum erat. Cum robustae esset corporalis constitutionis multumque laboraret, ampliori certe nutrimento indigebat; quem ideo dixisse ferunt, se tyronem tenui tantum cibo tunc accepto haud parum famis esse passum. Etiam sacerdos annos jam sexagiuta natus tam parum sumebat cibi, ut mirarentur homines, quomodo vivere totque subire posset labores. Quae hic adduxi de propria abnegatione Servi Dei quoad victum, ex relatione scio virorum fide dignorum, qui per plures annos immediatam cum eo habuere relationem. »

VI. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 228. *ter. respondit*: « Cibos sanos per totam quadragesimam communitati praeparabat; mensae assidebat nil manducans, solitus hoc sacro tempore semel in die comedere, nempe vespere. »

IX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 275. *ter.* « Ipse mihi dixit, observationem jejunii grave sibi fuisse onus, attamen ex quo tempore Congregationem esset ingressus, jejunia praescripta non solum religiosissime servavit, sed et eum jubilo, cum ita gratias referre posset pro vocationis gratia Patri Hübl concessa, quae adeo cordi erat Patri Hofbauer. »

§ 13. *Libenter jejunia, quamvis molesta observabat.*

XII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 328. « Propria pariter scio experientia, Servum Dei vilissimos tantum cibos semper amasse; quo insipidiores, eo gratiores ei erant, cum, quidquid esset jucundum et placitum, vitaret, egoque teneo, eum nunquam se satiasse; certum est, ex cibis eum vilissimos sibi elegisse. »

XXIV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 502. « Temperantiae, quin imo mortificationis, altum obtinuerat gradum. Prout jam memoravi, coenam suam saepe pauperibus studentibus distribuit, ut vix necessarium ipsi remaneret. »

§ 14. *A jentaculo abstinebat.*

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 519. *ter.* « Pater Hofbauer tarda semper hora ad aram faciebat, tunc etiam, cum praedicabat, quod ordinarie faciebat post evangelium infra missam, quam circa horam decimam celebrabat. Exceptis postremis annis, quibus post missam tarde celebratam parum sumebat jusculi, jentaculo sese nunquam reficiebat, ita ut omnes post Servi Dei obitum in Congregationem ingressi firmiter tenerent, jentaculum sibi etiam extra tempus jejunii esse prohibitum. Valde etiam Pater Hofbauer probabat, si ipsi juvenes ob aetatem ad jejunium nondum obligati et studiis vacantes, jentaculo renuntiabant, saltem tempore adventus et quadragesimae, idque pauperibus erogabant. Tempore etiam comestionis ipse nunquam assidebat, sed circuibat, cibos aliis distribuens, et si quis eum commoneret, quod ipse omnino nihil vel parum tantum comedisset, subridens dicebat: « Quid ad te, si satur jam sum? » Vino quoque usque ad 66. annorum aetatem abstinuerat. »

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 233. *ter.* « Temperantiam ejus quod attinet, nunquam eum vidi sumere jentaculum, uno verbo, mortificatione omnes antecelluit. »

§ 15. *Mortificatione omnes antecelluit.*

ARTICULUS II.

Corpus suum, quantum licuit, affligebat, animi motus refruenabat.

(Ex Processu Apostolico)

II. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 222. *ter.* « Admiratus sum in eo... extraordinariam temperantiam, cum ageretur de propria persona. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 411. *respondit:* « Erat V. S. D. bonus et plenus moderatione cum aliis; in se ipsum vere austerus. Ex tota ejus figura mortificatio comparebat. Jam pluries dixi, ipsum hora tertia matutina e somno surrexisse. Id sequenti modo scivi. Ex cubiculo meo quavis nocte rumorem et tumultum ex regione vicina venientem audivi, quo magno timore perculsa sum. Cum ergo omnia V. S. D. dicerem, etiam de hoc tumultu eum informavi, et mihi respondit: « Esto tranquilla, de hoc nihil timeas: rumor ille mea causa fit: ego custodem nocturnum rogavi, ut post horam secundam pulsando e somno me excitaret. » Habitavit Ven. Servus Dei in domo locatitia conventus nostri contra meum cubiculum. Sciunt moniales omnes, ipsum saepe nobis mandasse, ut ad obtinendam peccatorum conversionem jejunemus. »

§ 16. *Ante auroram e somno surrexit.*

« Nunquam ex ejus ore querelam de temperie, calore vel frigore audivimus. Jam dixi, ipsum nunquam tegmine ad arcendam pluviam usum esse. Ven. Servum Dei nunquam ridentem vidi, sed omnibus suavem charitatem exhibuit. Hostis erat loquacitatis, et si sorores confabulantes reperiebat, fortiter eas reprehendebat. »

§ 17. *Risum vitabat, loquacitatem reprehendebat.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 356. *respondit:* « Quantum V. S. D. erga alios in charitate dives et indulgens erat, tantum severus erat erga se ipsum, et in sacrificium charitatis proximi se se offerebat. Etsi mala valetudine laboraret, nullam tamen quietem sibi dedit, et solitos labores non intermisit. Doloribus cruciatus tamen in sacro tribunali assidebat, et omnium accedentium confessiones audiebat. »

Fol. 353. « Tertia hora matutina surgebat, ut gentis pauperis in ecclesia Mechitaristarum in via dicta « Platzl » confessiones audiret. »

§ 18. *Quamvis infirmus confessiones audiebat.*

Et *fol.* 359. « Non erat nec morosus nec tristis, sed nec etiam hilaritate effusus. Ejus pax interior, et unio cum Deo modo suavi in facie expressa erat ».

X. Testis (Emus Cardinalis Rauscher) *fol.* 451. *ter.* « Affectus humanos continua sui abnegatione continebat atque regebat. »

§ 19. *Omnes affectus continebat.*

I Testis ex officio *juxta* 20. *Interr. fol.* 676. *respondit*: « Ni fallor, ex ore Rev. Dñi Maximiliani Horny jam defuncti ex tempore Novitiatus V. S. D. factum, quod hic exponam, audivi. Jejunium, quale apud Novitios in usu erat, V. S. D. satis durum erat: sed in sociis suis mollitiem reprehendebat, qua maxime post deambulationes fieri solitas pluries lintea mutanda praetendebant, et exemplo suo effecit, ut et caeteri sacrificium abnegationis sui, quod ipse fecerat, libenter offerrent. »

§ 20. *Quod molle erat fugiebat.*

Et *juxta* 24. *Interr. fol.* 677. « Ex ejus facie puritas animae, et illa beata pax, quae est fructus sancti gaudii, ex intima unione cum Deo orti, resplenduit. »

§ 21. *Mentis serenitas nulla passione fuit perturbata.*

Et *juxta* 28. *Interr. fol.* 686. *respondit*: « E facie ejus suavis gravitas, tranquilla serenitas, pax nulla passione perturbata, mentis recollectio perfecta elucebant. »

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 692. *respondit*: « Sic etiam V. S. D. nunquam proprie ridentem vidi, quamvis conversando hilaris esset. Hoc etiam donum possidebat V. S. D., ut jucundo modo exhilarare sciret. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 756. « Aestum et frigus patienter tulit, cum itinera sua ordinarie pedibus faceret. Cum aliquando cum P. Madlener aliisque sociis piam peregrinationem ad sanctuarium in « Maria Zell » institueret, in diversorio, ubi pernoctavit, statim caeteris cubicula commoda lectis provisa procuravit; ipsi vero et Patri Madlener lectuli non supererant. Interroganti vero P. Madlener, ubi cubitum iret, V. S. D. respondit: « Facito ut ego» quo dicto in angulo super solum se stravit. Ita se mortificans hilaris semper erat. Caeterum mortificationes quas exercebat pro posse celabat. »

§ 22. *Fuit semper hilaris, quia semper mortificatus.*

§ 23. *Super terra, sub dio somnum cepit.*

Et *fol.* 748. « In piis peregrinationibus quas Romam instituit, saepe contigit, ut in Italia sub dio pernoctaret. »

Rursus IX. Testis *juxta* 32. *Interr. fol.* 419. *ter. respondit*: « Ne minimum quidem in V. S. D. observavi, quod christianis virtutibus contrarium fuisset aut excessus dicendum esset. Charitas proximi in V. S. D. extraordinario modo viguit, et ut eam exerceret, ad quodcumque sacrificium promptus fuit; sed dici non potest, ipsum austeritatibus corporalibus adimplendis obligationibus propriae vocationis se incapacem reddidisse, vel adeo vitam sibi abbreviasse. »

§ 24. *Corpus affligendo ab excessibus abstinuit.*

I. Testis *juxta* 32. *Interr. fol.* 185. *ter. respondit*: « Nunquam de ejusmodi excessibus in exercitio virtutum audivi, et puto, ejus assiduos et usque ad obitum continuatos labores saepe cum summis incommodis et omnium virium contentione exantlatos manifestum esse argumentum, mortificationes corporales V. S. D. in reddendis officiis vocationis suae minime impedivisse. »

VIII. Testis *juxta* 32. *Interr. fol.* 360. *respondit*: « Quaecumque in V. S. D. observavi, ejus naturae sunt, ut obligatam me sentiam ad deponendum, me nunquam in exercitio virtutum

ex parte V. S. D. aliquid vidisse, quod excessus dici possit. »

II. Testis ex officio *juxta* 32. *Interr. fol.* 758. *ter. respondit*: « In vita et actionibus V. S. D. nihil unquam mihi innotuit, quod tamquam excessus hujusmodi designari possit. »

(Ex Processu Ordinario)

II. Testis *juxta* 22. *interr. fol.* 152. « Mortificationis tum externae, tum internae Servi Dei per duos annos tot continue quasi ante oculos habui documenta, ut testari possim, propriam in omnibus rebus abnegationem habitualem ipsi fuisse virtutem. Observare quidem quis poterat, quandoque enim, affectu aliquo jamjam movendum, sola oculorum in coelum elevatione perfectam animi restituisse quietem. »

§ 25. *In rebus omnibus seipsum abnegavit, et affectus compescuit.*

II. Testis *juxta* 18. *Interr. fol.* 139. *ter.* « Cum Patre Sabelli, obstinate, inobedienter et infensissime sese gerente (Servus Dei) sola usus est patientia, sed non potuit, quin quandoque profundum, quem de hoc agendi ejus modo sentiret, dolorem exprimeret. »

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 208. *ter.* « Servus Dei brevi tantum somno utens et hora quarta matutina ordinarie surgens, peractis orationibus et sacra meditatione in ecclesiam se contulit. Cum autem in suburbium ad Patres Armenos (Mechitaristas) mearet (quod semel vel bis in hebdomade, hyeme quoque fiebat) et charitas ad audiendas pauperum confessiones et panem sub pallio ipsis portandum eum eo ire urgeret, Servus Dei saepe: « *Hodie*, inquit, *occupatus eram in suburbio, priusquam fabri ferrarii et claustrarii malleo pulsare inciperent.* » Nunquam eum vidi portare tegmen ad arcendum imbrem, nec hyeme nec aestate. Ut paucis dicam: Omnibus in rebus valde erat mortificatus, secum ipso rigidus admodum et severus, cum aliis valde mitis et benignus, prout semper sanctorum virorum mos erat. Praeter externam mortificationem Servus Dei semper exercebat internam. Natura valde vivax et irritabilis, ita tamen sibi ipsi dominari et sese cohibere novit, ut etiam in difficillimis circumstantiis, aequaminus omnino remaneret. « *Vide*, inquit ad me quodam die, *gratias Deo refero omnibus diebus, quod hanc vivacitatem et irritabilitatem in me reliquerit; hoc enim humilitatem conservat, et a superbia me praeservat.* » Hujus virtutis exemplum sit sequens: Servus Dei die quodam mihi aliquid notans correctionem fecit, quam pro naturali mea sensibilitate nimis vivacem fuisse reputabam. Discedens ab eo in cellam me recepi, sed duobus vel tribus post momentis Ven. Servus Dei cubiculum meum ingrediens, et pagellam cum cantico in manu portans cantare coepit, me his allocutus verbis: « *Nosti ne hoc canticum? veni et canta mecum:* Nunc Mariam salutabo, et ad ejus pedes procumbam. » Istud factum, Sanctorum exemplis simile, Christi mansuetudinem imitantium, summo me affecit rubore. »

§ 26. *Brevissimo somno quiescebat.*

§ 27. *Tegmine non utebatur ad imbrem arcendum.*

§ 28. *Probatur facto, quomodo irae motus cohibuerit.*

§ 29.
Nec temporis injuria, nec infirmitas a charitatis operibus eum retinebant.

VII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 245. « Nulla temporis injuria, nec ipsa infirmitas a sacerdotalibus officiis exercendis et aliis operibus charitatis peragendis retinere eum valebat. Sic quotidie summo mane, quovis frigore et intemperie non obstante, in Mechitaristarum ecclesiam in suburbio positam se contulit, ubi sacramenta administraret. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 148. *ter.* « . . . (S. D.) exercens officia sua etiam instante mortis periculo, vehementibus febribus et excessivo haemorrhoidis fluxu ipsi creato. Attestor suprema ejus vitae hyeme viam, quam ab habitatione sua usque in Ursulinae ecclesiae sacristiam meaverat, per continuum sanguineum vestigium saepius me cognovisse. »

§ 30.
Ciliciis, flagellis, aliisque instrumentis poenitentiae carnem edomuit.

Rursus I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 109. *ter.* « Quotiescumque frequentabam ipsius ecclesiam, etiam summo mane, ibidem inveni Servum Dei, in sacristia confessiones excipientem. Cilicia, flagella aliaque id genus poenitentiae instrumenta eum applicasse, pro certo habeo, nemini enim poenitentiae commendabat opera, quae ipse non perficeret, ac juvenibus verum mortificationes suscipiendi desiderium instillasse dici potest. Dolorosa quoque lineamenta vultus, alioquin sereni et placati, sicuti certi motus aperte prodebant, quae poenitentiae adhiberet instrumenta. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 152. « Corpus affligere praxis illi continua, quin tamen molestia et onus externe se proderet. »

§ 31.
Contra pluviam non se defendebat.

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 425. *respondit:* « Scio etiam (quod Vindobonae omnibus erat notum) Servum Dei primo mane, nec obstante pessima tempestate, singulis hebdomadis in ecclesiam Armenorum (Mechitaristarum) se contulisse, confessiones exceptum distributumque cibos pauperibus sub pallio ab ipso asportatos; pari modo nunquam eum adhibuisse tegmen ad avertendam pluviam, imo ne pileum quidem portasse, verbo, ego eum semper habui hominem summae mortificationis. »

§ 32.
Externae mortificationis laudator enixius suadebat internam.

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 595. « De exercitio operum mortificationis externae cum ordinariis poenitentiae instrumentis, quod ejus attinet personam, certi nihil novi, scio autem, eum talia exercitia nonnullis poenitentibus id petentibus permisisse, et regulas Congregationis haec exercitia congregatis non solum permittere, sed etiam praescribere certis diebus, unde supponere me posse reor, hunc poenitentiae instrumentorum usum alienum ei non fuisse. Coeterum saepius ipse dixit, hujus externae mortificationis exercitium nec absolute necessarium esse, et facilius etiam, dum interna propriae voluntatis et naturalis ad superbiam inclinationis mortificatio ad christianas virtutes obtinendas absolute sit necessaria et etiam multo difficilior. »

Rursus XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 595. *ter.* « Haec ejus interna abnegatio praecipue tunc in eo elucebat, cum datis occasionibus animo suo vivaci et irritabili vim infer-

ret. Ejusmodi majores animi commotiones, quae praesertim per zelum alioqui pium et indignationem quamdam mensuram convenientem facile excedunt, Patri Hofbauer felicis recordationis occasionem praebebant, eximia sui ipsius abnegatione et moderatione illico restituendi animi tranquillitatem. Testis fui quondam ejusmodi majoris commotionis, postquam pro tenera, qua excelluit conscientia forte timente, ne admisisset humanam imperfectionem, alta cum contritione dixit: « Sum homo nequam. »

§ 33. *Si ira se commotum sentiebat, se humiliabat.*

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 208. « Praeter mortificationes a me hucusque adductas etiam alias multo rigidiores egit poenitentias, nempe disciplinam, nec raro cilicium, quod lumbos cingebat, observavi. »

§ 34. *Flagellis et cilicio corpus afflictavit.*

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 214. « Ejus plures reliquias usque in hanc diem conservavi, nempe disciplinam, cilicium et manuscriptum. »

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 441. « Admodum ingeniosus et sollicitus erat in arripiendis quibusvis se abnegandi et mortificandi occasionibus. Tametsi indole esset valde irritabili, tale tamen suimet ipsius imperium acquisierat, ut nulla quantumvis magna injuria aut offensa externam ejus dulcem tranquillitatem aut internae pacis significationem perturbare unquam posset. Quod praeprimis apparuit, cum Viudobonae ejus habitatio ac scripta de mandato judicum perquirerentur, prout etiam, cum concionandi prohibitione illi data, quin moventibus verbis valediceret auditoribus, aliud non diceret nisi: « Proxima Dominica nulla erat concio. « Quae sui ipsius abnegatio summam produxit admirationem auditorum, totam ecclesiam implentium. »

VI. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 223. *ter. respondit*: « Cum quatuor Sacerdotibus et nonnullis studentibus Tabore discedens Trybergium se contulit. Iter per pedes factum est, totam diem pluebat: ad cutem madefacti ac tribus vel quatuor leucis adhuc distantes a Trybergio, nec diversorium invenientes, primam, quae se obtulit, rusticam villam ingressi sumus. Pater Hofbauer pro coena bonum jusculum et in horreo stramina pro lecto praeparari jussit. Vestes madidae vespere depositae madidae mane assumptae, sed Servi Dei exemplum quamcumque querelam et impatientiam suffocabat in omnium animis. »

§ 35. *Suis Congregatis eximium exemplum mortificationis fuit.*

Num. 16.
De heroica humilitate.

DE HEROICA HUMILITATE V. S. D.

ARTICULUS I.

Honorem Dei unice quaerens a laudibus abhorruit.

(Ex Processu Apostolico)

§ 1.
Nec familiaribus dixit, se munus Vicarii generalis gerere.

VII. Testis *juxta* 26. *Interr. fol.* 301. *ter. respondit*: « Solum post obitum Ven. Servi Dei per P. Martinum Stark audivi, ipsum Vicarium generalem pro regionibus septentrionalibus Europae fuisse. »

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 314. *ter. respondit*: « Humilitatem quoque Ven. Servus Dei in gradu heroico habebat. Nunquam, quantum aliis et mihi notum est, de se et de rebus ad se pertinentibus locutus est, nisi id honor Dei aut aedificatio proximi requirebat. Omnem laudem penitus a se rejiciebat, saepius, uti ipsa audivi, dicens: *Infantes tantum et stulti laudantur.* »

§ 2.
Omnem laudem a se rejiciebat.

« Quicumque eum noverat attestari debet, Ven. Servum Dei mundi divitias et honores penitus despexisse. Saepe dixit, sibi laudes et vituperia omnino aequalia esse. »

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 359. *respondit*: « In conversationibus et colloquiis Ven. Servus Dei magis facundus quam taciturnus erat: nunquam vero gloriosa de se dixit, sed semper erat humilis, et tota ejus persona cordis humilitatem prae se ferebat. »

§ 3.
Nunquam gloriosa de se dixit.

Et *juxta* 38. *Interr. fol.* 369. *ter.*: « Ven. S. D. mortis suae desiderium habuisse, ex eo patet, quod jam ante, cum audiret, sibi Congregationi suae praesidendum fore, effatus est, se mori desiderare, antequam talis honor ipsi contingeret. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 411. *ter. respondit*: « Quicumque V. S. D. vidit, vel cum eo locutus est, ejus agendi ratione demissa, sincera, recta et humili aedificatus, et in admirationem raptus est . . . Si quid in ejus laudem diceretur, statim respondit, « *Apage laudem: haec solis datur pueris et stultis* ». Aliquando mihi narravit: « Nonnulli prostrati vestigia pedum meorum deosculati sunt, et ter totidem stercus extulerunt, ut in me conjicerent. Isti quo nimis me honorarunt, hi eo plus me dehonoraverunt ». Quodcumque bonum operatus est, id Deo et auxilio divinae gratiae acceptum retulit. »

§ 4.
Honorem Dei unice quaerebat.

Et *fol.* 412. *ter.* « In omnibus, quae V. S. D. operatus est, non suam sed Dei gloriam quaerebat. « *Omnia in honorem Dei mei, ad ejus laudem et gloriam augendam,* » haec erant verba quae quasi continue ore suo ruminabat, et tamquam normam actionum certe etiam in corde gerebat. De se ipso et de rebus ad eum spectantibus non loquebatur, nisi ut Deo honor tribueretur ». *Ego* enim (dixit) *nihil facere possum;*

quod bonum facio, Deus, cujus malum instrumentum sum, per me facit ». Cupiebat, sicut dixit, ut omnes eum adjuvarent gratias agendo pro beneficiis a Deo acceptis, utque ex iis, quae in vita sua expertus fuerat, alii aedificarentur. *Quoties Deo gratias agimus* (dixit), *novas gratias petimus.* »

§ 5. *Se malum instrumentum in manu Dei esse dixit.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 164. *respondit*: « V. S. D. plene persuasum erat, Congregationem Vindobonae excitandam fore, eamque persuasionem etiam Patri Madlener manifestavit dicens: Huc usque (en ejus verba) nonnisi persecutiones, opprobria et ludibria passus sum: haec omnia mutabuntur: congratulabuntur mihi, et laudes dicent. Atque haec effugere vellem. Unde Deum precor, ut antea moriar.»

Et *fol.* 184. « Argumentum humilitatis est ejus desiderium, ut mori posset, antequam Congregatio Vindobonae institueretur, ut honores et gratulationes, quae eum manebant, effugeret. Solebat dicere: « *Soli stulti et infantes laudantur.* »

§ 6. *Ut honores fugeret mori desiderabat.*

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 237. *respondit*: « Quantum V. S. D. humanas dignitates et honores parvi penderit, patet etiam ex hoc facto, quod scilicet honorem a Rege Poloniae ordinis decoratione ipsi factum omnes celaret, ita ut solum casu, occasionis illius jam dictae inquisitionis, innotesceret. »

§ 7. *Honores acceptos omnes celavit.*

X. Testis (Emus Cardinalis Rauscher) *fol.* 451. *ter.* « Humilitas in verbis, factis vultuque elucebat. Quod Servus Dei Congregatione SSmi Redemptoris in Austriam admissa dixerit: « *Magnus me manet honor, nunc vellem mori,* » paulo post ejus obitum mihi relatum est. »

§ 8. *Ex tota persona humilitas elucebat.*

Et *infra*: « De virtutum documentis, quae venerandus vir a pueris fere dedit, et innumeris laboribus apostolicis, quos antequam eum noverim, sustinuit, ex ipsius ore nihil didici: nam in humilitate fundatus de se ipso loqui abstinuit, quantum potuit. »

§ 9. *Confirmantur dicta* §§ 3. *et* 6.

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 756. *ter. respondit*: « Cum Imperator Franciscus permitteret, ut Congregatio in Austriam introduceretur, timuit ne pro tantis suis tribulationibus et laboribus consolationem et honores reciperet. Honores effugere desiderans mori cupivit. »

(Ex Processu Ordinario)

XII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 327. *ter.* « Ejus ... erat ... humilitas admirabilis. »

Et *infra juxta* 38. *Interr. fol.* 330. « Hoc solum addendum mihi superest, Servum Dei a quacumque laude tali modo abhorruisse, ut injurias honoribus praeferret. »

§ 10. *A laudibus et honoribus abhorrebat.*

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 110. *ter.* « Laudi cujuscumque generis impervius erat, dicere solitus (quod ipse ego audivi): « *Infantes et stulti laudantur* ». Suis tribuebat peccatis, cum in exequendis summi momenti operibus exsurgerent impedimenta. Non gloriabatur, nisi in fidei suae

gratia. Ad mensam eum ministrasse, jam edixi. Ex ejus ore etiam audivi haec verba: « *Assuetus sum contumeliis et laudibus. Nunc autem magnus me manet honor* (scilicet admissio Congregationis in ditione Austriaca) *nunc cupio dissolvi.* » Paucisque post diebus animam Deo reddidit. »

II. Testis *juxta* 8. *Interr. fol.* 138. « Cum Patris Hofbauer tum verba tum vitam attente et accurate observaverim, nihilque in eo nisi humilitatem, benignitatem et ardentem omnes homines salvandi zelum invenire potuerim, nonnisi pergratum mihi esse debet, si hoc meum judicium personale ab universali et Apostolica Ecclesia fuerit confirmatum. »

§ 11. *Nihil in eo apparuit humilitati contrarium.*

Et *juxta* 22. *Interr. fol.* 152. *ter.* « Si insolitum quid vel egisset vel dixisset, nunquam admirationis motus inde exortos delere omisit, aliquid specie tenus leve vel ridiculum subito faciens. Ita exempli gratia memini, eum aliquando, quum de Congregatione fieret sermo, prophetice esse effatum: « *Me vivo nihil fiet; me demortuo monasteria erigentur in abundantia* ». Quo dicto super uno pede se vertens circulum descripsit, quasi indicans: Sicut stultus locutus sum. »

§ 12. *Stultus et abjectus comparere amabat.*

Et *juxta* 25. *Interr. fol.* 156. *ter.* « Eum de omnibus donis et operibus suis, immensum certe producentibus fructum, nullum fecisse verbum, vel soli Deo dedisse honorem, certa scientia et fide possum testari. »

§ 13. *Nihil boni sibi laudi vertebat.*

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 441. *respondit* : « Laudis cujuscumque infensissimus erat inimicus, dicere solitus cum S. Martyre Ignatio « *Qui me laudat, me flagellat* ». Honoris insignia, quantum poterat, a se removere quaerebat. Lubentissime personis simplicibus ex infimo coetu est usus. Conspicuas et divites familias visitare (quod facere saepe rogabatur) tunc solum inducebatur, quum aliqua anima lucranda esset Deo. Verum est, Servum Dei, cum Imperator Franciscus benigno et propitio affectu illum prosequi tandem inciperet, dissolvi cupivisse, ne ex amata sua et abscondita abjectione protraheretur. »

XXIV. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 499. Pater Hofbauer, simul ac familiaritatem cum eo contraxi, sacerdos valde pius et fervorosus mihi videbatur. Ejus benignitas, humanitas, viva fides, zelus gloriae Dei ac simul modestia, humilitas et paupertas eximia me movebant. Totus Patris Hofbauer habitus adeo me afficiebat, ut nullum unquam in me exsurgeret dubium, quin omnibus suis obligationibus religiosissime satisfecisset. »

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 520. *respondit*: « Humilitatis ejus documentum imprimis hoc est, quod ab eximiis cujusvis ordinis personis saepissime visitatus, nunquam tamen hac de re loqueretur. »

§ 14. *Egregia effata V. S. Dei humilitatis amorem significantia.*

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 255. *ter. respondit*: « Laudes et honores ferre non poterat: « *Praefero pati*, inquit, *hoc enim modo coelum mereri possumus. Nunc honoribus afficere me volunt, sed malo mori, quam istos recipere honores.* »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 596. *respondit* : « Adducere debeo, ad hominum laudem ejus animum ita fuisse hebetem, ut minime moveretur, eumque ideo saepissime dixisse: « Pueri et stulti laudantur. »

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 297. *ter. respondit* : « Erat humillimus. *Omnia in honorem Dei mei :* ejus erat sententia, quam tota sua vita comprobabat. Laudem quamcumque adeo abhorrebat, ut, quod ipsa ego audivi, diceret: « *Infantes et stulti laudantur.* »

§ 15. *Confirmantur dicta* §. 4.

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 125. *ter. respondit*: « De se non loquebatur, tantoque minus de rebus, quae honori sibi esse potuissent. Abhorruisse eum a quacumque laude dicentem: « *Pueri et stulti laudantur* » semper audivi ab iis, qui optime eum noverant. Ex eodem fonte etiam hausi, Servum Dei invitum visitasse hominum illustrium domos, et si eo mearet, id ea plerumque intentione fecisse, ut pro caris suis pauperibus tsipem reciperet; ab iisdem etiam audivi, Servum Dei haud raro dicere solitum, laudem et vituperium sibi idem esse.»

§ 16. *Domos potentium aegre visitabat.*

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 545. *ter. respondit*: « Nunquam loquebatur, quae sibi honori essent; in summa, de se ipso nihil dicebat. »

Et *paulo post* « Persecutiones Congregationis pro sua humilitate suis tribuebat peccatis. »

§ 17. *Persecutiones, quas patiebatur, suis peccatis tribuebat.*

ARTICULUS II.

Cum pauperibus conversari, munia humilia exercere, ab aliis humiliari, et se ipsum humiliare amabat.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 21. *Interr. fol.* 184. *respondit* : « Argumentum evidens humilitatis V. S. D. est, quod cum esset Vicarius generalis Congregationis suae vilissima tamen officia exerceret. Sic exempli gratia Varsaviae orphanos propriis manibus pediculis purgabat, Vindobonae cibos ad infirmos in suburbia portabat, sibi ipsi cibos coquebat, cum adhuc prope ecclesiam Italicam habitaret, imo ut Pater Czech narravit, Babenhusii integrae communitati cibos parabat. Ejus vestitus, habitatio, modus loquendi et quidquid in eo observabas, profundissimam manifestavit humilitatem. »

§ 18. *Quamvis Vicarius generalis, tamen vilissima officia exercuit.*

III. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 241. *respondit* : (Varsaviae) « V. S. D. eleemosynam pro pauperibus suis petiit. »

VII. Testis *juxta* 24. *Interr. fol.* 301. *respondit:* « Ibi (Varsaviae) ait, plurima erat occupatio; mihi ipsi saepius in curandis et purgandis infantulis alios juvare contigit. »

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 315. « Summopere aedificabat humilitate, qua cum aliis agendo utebatur. Non solum cum hominibus infimae conditionis demissus et charitate plenus

§ 19. *In deliciis habuit, cum pauperibus conversari.*

erat, si cum iis colloqueretur, sed etiam magnae ei deliciae erant, cum ignobilibus et pauperibus conversari. »

§ 20. *Vestes sibi ipsi resarcivit.*

Et *fol.* 315. *ter.* « Aliquando eum lacera tibialia et vestimenta propria manu resarcientem inveni. »

§ 21. *Coqui officium assumpsit.*

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol* 411. *ter. respondit*: « In conventu Babenhausen hunc spiritum humilitatis monstravit, officium coqui, ut ipse nobis dixit, exercens; et si quid in ejus laudem diceretur, statim respondit: « *Apage laudem, haec solis datur pueris et stultis.* »

§ 22. *De injuriis non est conquestus.*

§ 23. *Umbram timens peccati humiliter Deum deprecatus est.*

Et *fol.* 412. « Certum argumentum profundae humilitatis V. S. D. hoc est,, quod de injuriis, persecutionibus et calumniis ipsi inflictis, numquam conquestus est; sed omnia hujusmodi cum summa animi tranquillitate pertulit. Supra modum admirata sum profundam V. S. D. humilitatem audiens, ipsum timere, ne forsitan in audiendis confessionibus culpas committat. Aliquando enim cubiculum ad audiendas confessiones destinatum ingrediens ipsum brachiis extensis orantem inveni. Cum statim recedere vellem, ipse me revocavit dicens: « Veni, veni! *Miserere* tantum recitavi; nam forsitan audiendo confessiones peccata committo. »

§ 24. *Etsi Vicarius gen. tamen Sacerdotibus junenibus ad altare servivit.*

Et *fol.* 413. « Tam humilis erat V. S. D. ut sacerdotibus juvenibus ad altare servire non dubitaret. »

I. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 689. *ter. respondit*: « Pauperibus et egenis V. S. D. plurima beneficia exhibuit. Narratum mihi est, V. S. D. summo mane, saepe jam hora quarta pane aliisque rebus onustum ad ecclesiam processisse, et quod apportabat inter illos, qui eum expectabant, distribuisse. »

§ 25. *Eleemosynas pro pauperibus collegit.*

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 756. *ter. respondit*: Quod ad humilitatem V. S. D. spectat, sequens factum referre possum. Cum aliquando Varsaviae pro pauperibus orphanis eleemosynas colligeret, quidam eum in faciem conspuit; sed V. S. D. vultum abstergens dixit: « Hoc erat pro me, jam da mihi aliquid pro pauperibus meis infantulis, » Haec humilitas illum hominem rudem ita dearmavit et confudit, ut ei largam eleemosynam daret. »

§ 26. *Actus heroicus in ultima infirmitate.*

Fol. 757. « Cum P. Madlener paucis diebus ante obitum V. Servi Dei ad infirmi lectum staret, V. S. D. apprehensa ejus manu eaque ad pectus deducta dixit: « *Care Madlener, mecum magna arcana sepeliuntur: ea quidem tibi revelarem, sed tacere non potes.* » Illorum verborum sensum ita interpretabantur quod videlicet V. S. D. Patri Madlener libenter revelationes durante vita a Deo acceptas communicasset, sed ex humilitate eas moriens revelare noluit, quia timuit, ne P. Madlener revelationes ipsi honorificas propalaret. Igitur morti proximus adhuc laudem., et honorem timuit, et nec post obitum laudari voluit. Quae hic deposui, ex ore P. Madlener audivi. »

(Ex Processu Ordinario)

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 110. *ter. respondit*: « Pauperum et abjectorum hominum commercium potius, quam divitum et potentum quaesivit. *Pauperes ipse quaerebat, ipsum quaerebant potentes.* In sacra concione ab eo audivisse mihi videor haec verba: « *O si per totam vitam divinae respondissem gratiae, quot bona Deus per me esset operatus.* » § 27. *Pauperes quaesivit.*

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 152. *respondit*: « Humilitas ejus vultui totique agendi modo erat impressa. Vilissima fratris laici munia obire nullus omnino illi labor . . . Orationes in principio Missae ante gradus altaris dicendas extraordinaria semper recitabat cum compunctione, tamquam indignum, qui celebraret, se reputans. Si juniorum sacerdotum quis solemnem coram exposito Sacramento Missam cantaret, ipse tanta cum humilitate assistebat et devotione, quasi subdiaconus juvenis esset, quo factum est, ut summopere aedificarentur adstantes . . . . . Scio, eum non raro a viris et familiis conspicuis magna alioquin ipsum veneratione prosequentibus, sensibili modo fuisse offensum, cum ab aliis sacerdotibus favore tunc gaudentibus amoveretur, et deinde nulla habita ratione postponeretur. Ego curiosus tunc juvenis his in occasionibus acuto eum observavi oculo, exempli gratia ad mensam Principis hungarici, quin tamen ullam aequanimitatis mutationem in eo advertere possem. » § 28. *Humilitas ad altare elucet.* § 29. *Aequo ferebat animo aliis posthaberi.*

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 209. « Etiam humilitatem Servus Dei quavis data exercebat occasione. Humilis erat in omnibus sermonibus, humilis in omnibus motibus, humilis in vestitu; ad mensam nobis ministrabat, in media ecclesia genu flexo jacebat inter medios pauperes; culinae et fornacum curam Babenhusii per aliquod tempus in se suscepit, honores contempsit saeculi, et fastum et superbiam.» § 30. *Cum pauperibus commiscebatur, atque vilia obibat officia.*

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 441. « Humilitas cordis vera et sincera Servo Dei inerat in gradu vere heroico, penetrans, condecorans et transfigurans, quidquid dicebat et agebat; omnia in eo solida, nihil fucatum . . . . Lubentissime personis simplicibus ex infimo coetu est usus. Conspicuas et divites familias visitare (quod facere saepe rogabatur) tunc solum inducebatur, cum aliqua anima lucranda esset Deo. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 596. *respondit*: « Peculiare quidem factum ejus demonstrans humilitatem non recordor, sed quanti fecerit hanc virtutem, quam fundamentum et conservatricem omnium reliquarum compellabat virtutum, ex multis ejus dictis notum est mihi; ejus quoque humilitas, simplicitas ac modestia praecipue enitebat, ubicumque comparebat, et in omnibus occasionibus. Neminem loquentem unquam interpellavit, ipse aliquid esse nunquam sibi videbatur. » § 31. *Sibi nihil esse videbatur.*

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 297. *ter. respondit*: « Ad ejus humilitatem et paupertatem probandam adducere possum, ipsum tibialia sua refecisse, quin eum puderet hunc continuare laborem, etiamsi quis eum adiret: « *Sacerdotem*, inquit, *et rerum domesticarum suarum oportet esse peritum.* »

XXIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 491. *ter. respondit*: « Quod humilitatem attinet christianam, speciale ejus argumentum deposuit in epistola data Cüstrino ex ergastulo de die vigesima octava Junii anni 1808. ad Principem Archiepiscopum Gnesnensem. In ea haec adducit verba: *In his omnibus Dei est voluntas; ipse a nobis sit benedictus; ipse hoc permisit, quia, prout esse debuimus, non fuimus.* »

§ 32. *Confirmantur dicta* § 17.

XXXI. Testis *juxta* 30. *Interr. fol.* 637. *ter. respondit*: « Patris Hofbauer manum saepe sum osculatus ac ipse genam meam vellicans dixit: « Esto bonus. » Adhuc eum conspicio spiritui meo praesentem, et audio ejus caram vocem dulciter sonantem. Quilibet Patris Hofbauer adventus dictis dominis in domo probabiliter semper antea innotuit, ipso enim veniente Consiliarius aulicus Müller et dominus de Klinkowström, pictor et magister artis graphicae jam constitutus cum tribus patribus ordinarie in vestibulo congregati genu flectebant unus post alterum ante Patrem Hofbauer, crucis signum super eis faciente et benedicente eis. Quod mirum mihi est visum; cogitabam enim, (nec aliud hucusque videram) nisi quod coram solo SS. Sacramento flecterentur genua, et quod praeterquam de altari solus Archiepiscopus impertiretur benedictionem. Sed observavi nihilominus, Patrem Hofbauer hanc spontaneam ovationem, quoties veniret sibi factam ex sincera certe veneratione et amore, eodem fere excepisse modo, quo forte pater a filiis suis eam excipit, simplicissime et absque ostentatione, cum ad eam vix attenderet. Externus Patris Hofbauer habitus ovationi ei factae quasi contradicebat. Ejus vestitus potius simplex, imo (prout dici posset) miserabilis, semper tamen mundus, ex panno attrito obscuri cerulei coloris, ejus grossa calceamenta cum crassis soleis, corpus aliquantulum proclinatum, pileus detritus margine lato instructus, insuper ejus vultus semper serenus et summe benevolus, candidus, lenis risus, et vox mollis et dulcis tantum certe abfuit, ut auctoritatem parerent, ut hominem humilem proderent. »

§ 33. *Significationibus maximi obsequii minime efferebatur.*

§ 34. *Externus cultus cum interna humilitate conveniebat.*

Et *infra fol.* 638. *ter.* « De hoc miror, quod in isto venerabili viro (haud obstante apparente ejus ignobilitate, simplicitate) benevolo leni risu et voce dulciter sonante quaedam prodiret gravitas. »

LIII. Testis in fine examinis *fol.* 815. *ter.* « Deponere adhuc possum, Patrem Clementem Mariam Hofbauer paucis cibis magnum virorum cibasse numerum, et pro quolibet, qui ipsum adibat, semper aliquid habuisse praeparatum. Defunctus Professor Silbert saepius testis oculatus fuisse dicitur, cum Pater Hofbauer ex perparvo vasculo multas, et qui-

§35. *Opera miraculosa celat.*

dem omnino sufficientes distribueret portiones. Silbert hoc amicis suis narrasse et addidisse fertur, Patrem Hofbauer colloquiis suis hospites suos ita attentos tenendi fuisse peritum, ut miraculum ciborum augmenti omnino non observarent. »

ARTICULUS III.

Ven. S. D. monitis suis effecit, ut et alii humilitatem amarent.

(Ex Processu Apostolico)

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 315. *respondit*: « Saepe, uti ipsa audivi, concionando verba repetivit: » *Qui verbum Dei non audit corde humili, ipsi fabula videtur.* » Etiam in sacro tribunali saepissime virtutem humilitatis commendavit, dicere solitus, ut ipsa audivi: « *Humilitas radix est omnis virtutis.* »

§ 36. *Egregia effata V. S. D.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 359. *respondit*: « De humilitate frequenter locutus est, eamque nobis caram facere quaerebat. Tum in pulpito, tum in sacro tribunali nonnunquam dixit: « *Fratres mei, estote humiles, alioquin verbum Dei fabula vobis videbitur.* » Haec verba ex intima persuasione prolata adeo commovebant, ut quisque facile eorum recordaretur, et data occasione exercitio humilitatis operam impenderet. Saepe dixit: « *Estote humiles, tum Deus tempore visitationis vos exaltabit.* »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 412. *respondit*: « Saepe saepius nos monuit, ut in sancta humilitate nos exerceamus, dicere solitus: « *Estote humiles, alioquin verbum Dei fabula vobis videtur.* » Mihi dixit: « *Humilitatis valde studiosa esto, et semper persuasum tibi sit, neminem tibi injuriam facere, tunc omnem contemptum ex amore Dei libenter perferes.* »

(Ex Processu Ordinario)

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 441. *respondit:* « *Humilitas est veritas*, saepe cum S. Theresia dicebat: *Humiliter loqui et agere bonum est, sed tunc demum, quando fit in veritate; dicit enim Scriptura: Est, qui nequiter se humiliat, interiora ejus autem plena sunt dolo. Certissimum signum et medium, veram attingendi humilitatem, id est, ut humiliationes cum patientia, amore et demum cum laetitia accipias et portes.* » Magno cum fervore ac tanta cum teneritudine, ut bene quisque intelligeret, quam sincere ipse ea de re sentiret, per extensum et iterato S. Augustini explicabat verba: « *Humilitas est mater, nutrix, educatrix, comes et perfectio omnium caeterarum virtutum. Etiam splendidissima opera absque valore sunt, nisi ex humilitate sint progenita ac ab ea conser-*

§ 37. *Humilitatis studium in aliis commonendis prodebat.*

§ 38. *A Deo petebat, ut ipsum humiliaret.*

vata. » Oratio jaculatoria praedilecta sexcenties ab eo repetita, et a me audita haec erat: « *O Deus! humilia me, et exalta te.* » Humilitatem etiam ordinarie compellabat compendium doctrinae Christi, appellans Jesu verba: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Tales doctrinae erant argumentum continuum spiritualium colloquiorum vespertinorum cum discipulis suis, ac tanto cum ardore fuerunt prolatae, ut non solum omnium animos indelebili affectu moverent, sed etiam aperte monstrarent quantopere ipse Dei Famulus his veritatibus esset imbutus. Saepissime etiam dicere solebat: « *Humilitas non est, nisi animus serviendi, anima enim, quae proprii amoris omnino expers, nihil aliud desiderat et quaerit, nisi semper et in omnibus esse subjectam, servire, alios adjuvare, laetificare, ista vere est humilis.* » His verbis (inscius quidem) suam ipsius designavit imaginem. Talis ipse erat. »

§ 39. *Alia pulchra effata.*

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 255. *ter. respondit*: « Monialibus nobis saepe dixit: « *Idem est laudari vel vituperari; quod sumus coram Deo, hoc valemus.* » Ea verba: « *Estote humiles, alioquin verbum Dei fabula vobis videtur. Quo humilior monialis, eo major est coram Deo*: » repetitis vicibus nobis dixit monialibus. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 596. *respondit*: « Si quis de noxiis aliorum hominum sermonibus conquereretur, vel iisdem aliquid ponderis tribuere videretur, dicere solebat: *Quid sunt hominum verba, nisi pertransiens aëris concussio?* » vel « *Post quadraginta annos alii vivunt homines in mundo, nullusque eorum, quae antea fuerunt dicta, cogitabit.* »

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 297. *ter. respondit*: « Poenitentes quoque suos ad summam semper incitabat humilitatem: « *Estote humiles,* semper monebat, *alioquin verbum Dei fabula vobis videtur.* »

XVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 386. *ter. respondit.* « Servum Dei humilitatis virtutem non solum ipsum magno in gradu exercuisse, sed et eos, quorum moderationem spiritualem susceperat, ad magnum perfectionis gradum in eadem perduxisse, propria attestari possum experientia. Appello ideo adductam jam initio Mariam Rizy, educatricem Comitissarum Gileis, quae ipsa mihi aperuit, se priusquam nacta esset sortem confitendi Servo Dei, humilitatis spiritu haud quaquam fuisse animatam; eam autem virtutem postea a Servo Dei instillatam caram jucundamque sibi fuisse, imo causam conversionis suae ad vitam in sensu catholico piam. Vere testari possum, eam in exercitio hujus virtutis et omnium conjunctarum christianarum perfectionum lucidum dedisse exemplum. »

§ 40. *Hanc virtutem humilitatis iis, quos dirigebat, instillavit.*

§ 41. *Suos in humilitate exercebat.*

II. Testis *juxta* 18. *Interr. fol.* 139. *ter. respondit*: « Cum Patre Stark, tunc juvene, paterne et benigne agebat; sed et ascetico cum rigore, saepe eum publice humiliando, ut ju-

venilem ejus sanaret vanitatem; quem petere ex puteo aquam, lac aliasve res jubebat, quod Vindobonenses his rebus haud assueti quodammodo aegre ferebant. Elegantiam in habitu externo ei non indulsit. »

DE HEROICA PAUPERTATE V. S. D.

Num. 17. *De heroica paupertate.*

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 184. *respondit*: « Jure merito Pater Hofbauer dicere potuisset: Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea. Paupertas ei a juventute obtigerat, sed eam etiam ab infantia amavit; buccellas de proprio victu subtractas pauperibus dispensavit, et semper pauper et pauperum amicus vivebat. Aviditatem et avaritiam odio habuit, dicere solitus: « *Facilius inveniri decem poenitentes Magdalenas, quam unum poenitentem Zachaeum.* » Cum Religiosus esset, votum paupertatis strictissime servavit, suisque subditis ne minimum quidem permisit, quod quacumque ratione paupertati esset contrarium. »

§ 1. *In paupertate semper vivebat.*

§ 2. *Pulchrum effatum Ven. S. D.*

§ 3. *Religiosam paupertatem ipse servavit, et ab aliis servandam curavit.*

« Sic exempli gratia Patrem Stark reprehendit, cum in ejus pallio ligamentum sericum ad vinciendum videret, nec ipse quoque, cum faucium doloribus laboraret, focale sericum, quod offerebant, accepit, quia regula membris Congregationis SSmi Redemptoris usum serici prohibet. Vestem religiosam semper portabat, sed usu valde detritam. Aestate, sicut alii sacerdotes saeculares, vestem levioris lanae et vilioris pretii portabat, cum ei saepe aestuante calore multi infirmi in dissitis suburbiis visitandi essent. Ejus cubiculum pauperrima supellectili erat instructum, nec ullam praebuit commoditatem. »

§ 4. *Vestem religiosam pauperem portabat.*

IV. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 254. *respondit*: « Quodam die calidissimo, cum tyrones deambulatum deducendi res desideratas omni cum sollicitudine praepararent, fervens Hofbauer id silenter diutius ferre haud valens, Magistrum adiit dicens: « Reverende Pater, ecce quomodo hic sto, unico indusio, una veste, unico pari braccis, pileo et baculo iter feci quadringentarum leucarum sanitatis detrimentum haud passus, et hic loci pro deambulatione duarum leucarum tantae sunt semper faciendae praeparationes! » Ex eo tempore omnes tyrones zelum V. S. D. timebant, qui omnibus in rebus erat exemplo. »

§ 5. *Itinerando paupertatem coluit.*

Et *juxta* 25. *Interr. fol.* 253. *ter.* « Hofbauer et Kuntzmann Varsaviam profecti subito monasticam vitam degere coeperunt, quamvis post adventum omnes eorum opes ad tres thaleros essent reductae, qui paulo post erant consumpti. Kuntzmann herbas tantum coquendi antea peritus, coquus factus est, et confecit ligneum cochlear parum supellectilis culinariae a bonis hominibus commodans. »

§ 6. *Absque argento fundationem domus Varsaviae incepit.*

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 315. *respondit*: « Modo

severissimo virtutem exercebat paupertatis. Exemplum hujusmodi ipsa experta sum. Cum V. S. D. aliquando faucium doloribus vehementer laboraret, mater mea focale sericum nigri coloris ei obtulit, sed V. S. D. id non accepit dicens: « Pauperi Redemptoristae non licet res sericas portare. Quod si mihi focale ex panno dabis, grato animo accipiam. » In suis itineribus, et in tota vita paupertatem in sensu strictissimo exercebat. Aliquando eum lacera tibialia et vestimenta propria manu resarcientem inveni. »

§ 7. *Religiosam paupertatem rigorose servabat.*

§ 8. *Laceras vestes ipse resarsit.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 359. *ter. respondit.* « Quantum paupertatem amaret, ex eo monstravit, quod regulariter habitum detritum et resartum indueret. Septem illis annis, quibus apud nos fuit, una tantum vice, et quidem in magna quadam festivitate Ecclesiae, eum novum habitum portantem vidimus. De hoc adeo admiratae sumus, ut una ad alteram diceret: « O miraculum! o miraculum! noster pater spiritualis hodie novo habitu indutus est. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 413. *respondit*: « Ex toto aspectu V. S. D. virtus paupertatis, qua animatus erat, elucebat. Pauperrime erat vestitus, simplicissima supellex cubiculi. Vere de eo dici poterat: penitus semetipsum exinanivit. Erga alios liberalissimus fuit, quantum scilicet beneficiis aliorum liberalitatem exercere potuit; aliisque et praecipue nobis monialibus paupertatis amorem instillavit. Quod monialis habet (dixit), tantum commodatum est. Jesus solus ejus thesaurus est. »

§ 9. *Pauper erat supellex cubiculi.*

X. Testis (Eñus Cardinalis Rauscher) *fol.* 451. « Paupertatis amorem vestitus et supellex commonstrabant. »

Et *fol.* 452. « Luce ejus in dies magis coram hominibus lucente, denique vir humilis et pauper eximiam etiam saecularium virorum aestimationem collegit, atque ad animos sursum tollendos plurimum valuit. »

I. Testis ex Officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 692. *respondit*: Paupertas V. S. D. plane eximia fuit, elucebat ex ejus persona, vestitu valde paupere, supellectili, in qua nihil inveniebas, quod erat superfluum. Adhuc in cadavere V. S. D. tibialia, quibus vivus usus fuerat, parvis corii frustulis reparata conspiciebantur. Noverat V. S. D. amorem paupertatis vocationi convenientis aliis quoque instillare, sicut in patruo meo contigit, qui vestes elegantes plurimi faciebat. Idem nunc sacerdos Congñis SSñi Redemptoris Bruxellis est. »

§ 10. *Aliis quoque amorem paupertatis instillavit.*

II. Testis ex Officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 757. *ter. respondit*: « Cum audivisset, in Capitulo generali anno 1802. Nuceriae Paganorum habito aliquas mitigationes quoad paupertatem fuisse introductas, Superiori generali verbis minime obscuris expressit, quantum id sibi displiceret, simul animadvertens, inde ruinam Congñis secuturam esse. Quamvis jam plura circa exercitium paupertatis ex parte V. S. D. deposui, addendum tamen mihi est, ipsum vestem valde pauperem

§ 11. *Mitigationes Regulae quoad paupertatem non admisit.*

tulisse, et iter faciendo ordinarie collectis eleemosynis victum sibi procurasse: inde evenit, ut aliquando per totum diem cibo careret. Cum aliquando P. Stark tum adhuc juvenis cum V. S. D. iter faceret, de fame conquestus est; sed P. Hofbauer non habens, unde cibos procuraret, consolatus est juvenem monens, ut in divina providentia fiduciam reponeret, ipsam enim non permissuram esse, ut servi Dei cibis carerent. Fortiter V. S. D. institit, ut paupertas in Congñe servaretur. Sic aliquando, cum P. Stark mantello suo ligamentum sericum assutum haberet, V. S. D. id severe reprehendit. Et focale sericum, de quo jam supra verbum feci, recusavit, quia rem sericam adhibere Regula prohibet.

§ 12. *Paupertatis incommoda sustinuit, sine pecunia itinerando.*

§ 13. *Confirmatur dictum* §. 3.

(Ex Processu Ordinario)

VI. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 222. *ter. respondit*: « Demum apud nostros in monte Thabor feliciter advenimus. Nemo amplius inopiae toleratae meminit. Et quid demum erat mons Thabor? Castellum ruinosum cum quatuor vel quinque cubiculis habitabilibus, quae insuper fulciri debebant. Omnes clericos sub tecto ecclesiae dormire oportebat, et studentes in turri separata sine foribus et fenestris, quam mediantibus scalis tantum ascendere poterant. Prout habitatio, ita et reliqua omnia misera et vilia erant. Quibus Servus Dei haud territus, et communitatis inopiae participans exemplo suo omnes animabat et salutaribus verbis hortatus tantum effecit, ut omnis inopiae obliti felices nos reputaremus, sub oculis et obedientia Superioris adeo sancti vivere. »

§ 14. *Miserrimam domum inhabitans, socios solabatur.*

Et *juxta* 22. *Interr. fol.* 234. *ter. respondit*: « In paupertate et mortificatione exercenda omnes superabat. »

XXIV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 502. *respondit*: « Paupertatis virtutem ex amore Dei exercebat. Ejus habitatio minimo etiam carebat ornatu, supellex adeo erat simplex, quemadmodum pauperrimae tantum familiae eam habent, et ejus etiam vestitus potius tritus (quo loco adverto, eum semper portasse vestem religionis suae). Nonnullas vitae commoditates facile sibi poterat procurare, cum a divitibus dona nummaria valde conspicua saepius acciperet, sed paupertatem amans pecuniam in eleemosynas erogavit. »

§ 15. *Vindobonae etiam domum inornatam habebat.*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 426. *respondit*: « Sacerdos, qui decorem servare tenetur, simpliciori et pauperiori modo nec vivere nec vestiri potest, quam Pater Hofbauer, et paupertatis amorem, quo ipse erat repletus, discipulis quoque instillare curabat, prout isti mihi dixerunt. »

§ 16. *Paupertatis studium discipulis inspirabat.*

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 412. *ter. respondit*: « Fidelitas vere heroica et constans in observandis consiliis evangelicis, et sacris votis religiosis eluxit praesertim: 1. Quoad sanctam paupertatem. Oh! quasi impossibile est, ut quis pau-

perior sit, quam ipse fuit de facto et cum amore! Paupertatem vocabat primam beatitudinem, viam a Christo Domino nobis monstratam a praesepio per totam vitam usque ad totalem denudationem in cruce, et depositionem in alieno sepulchro. »

Et *juxta* 21. *Interr. fol.* 440. *ter.* « Nec in ultimo suo morbo lectulum admisit meliorem. »

§ 17. *Exigebat, ut haec virtus a suis subditis servaretur.*

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 545. *ter. respondit*: « A Rm̃o P. Passerat ejus successore audivi, Patrem Hofbauer felicis memoriae virtutem et votum paupertatis secundum regulam perfectissime observasse, ejusque observationi per subditos suos eximio rigore invigilasse, cum ne minimum quidem unquam permisisse, quod regulari observantiae damno esse potuisset. Paupertatem vero cum charitate erga confratres suos conjunxit. In omnibus angustiis et necessitatibus, quaecumque re indigerent, hilari animo eis dedit. »

§ 18. *Pallium longo usu detritum induebat.*

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 596. *respondit*: « Religiosa paupertas Patris Hofbauer elucebat in simplici supellectili cubiculi, et ipsa habitatione, albo tantum inducta; deinde in veste religiosa, munda quidem, sed e communi et ordinaria materia confecta. Pileo vel tegmine ad pluviam arcendam nunquam usus est, et pallium hyemale e panno ordinario cerulei coloris et antiquatae formae longo usu erat detritum. Quondam invisens eum respexi vestem talarem propria reficere manu, et alia vice occupatum in affigendo linco patagio recenter loto, ut inviseret hominem altioris conditionis. »

§ 19. *In aede angusta, et ignobili morabatur, supellex misera, qua instruebatur, describitur.*

V. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 209. *ter. respondit*: « Sanctam paupertatem Servus Dei exacte observabat, et quasi matrem eam adamabat: quidquid erat in eo et circa eum, huic perfecte consonum erat virtuti. Domus, cujus secundam contignationem uti monialium confessarius inhabitabat, perparva, vetusta et ignobilis erat; unum solum cubiculum Patris Hofbauer formabat habitaculum; cubiculum parvum adjacens diversis asservandis utensilibus inserviebat. In cubiculo duo erant vetusta scrinia vestiaria, parva mensa e ligno communi, bisellium antiquatum, aliquot sedilia, lectus, scabellum cum crucifixo et imagine B. Mariae Virginis, horologium stabile nullius valoris, nonnullae imagines parieti affixae, vetustae quidem sed devotae. Isto cubiculo Servus Dei utebatur pro recipiendis hospitibus, pro collocutorio cum hominibus cujusvis gradus; hoc erat dormitorium, refectorium et oratorium domesticum; ibi oratio, meditatio, et examen particulare peragebatur, et cum Litaniis B. Mariae Virginis claudebatur. Quidquid habebat, paupertatem, simplicitatem et vetustatem prae se ferebat. Ipse pauper erat in vestitu, calcei oleo tantum uncti, nec horologium, nec chirothecas, nec tempore hyemali superpedalia gestabat. Pauper etiam in cibis deteriora semper quaerebat. Hoc animatus spiritu hic Servus Dei semper vive-

bat; sic eum vidi et observavi quotidie per plures annos. Quidquid de Servi Dei virtutibus deposui, propria nititur mea observatione et experientia, nec unquam nec ullibi in defuncto Servo Dei aliquid vidi vel specie tenus contrarium virtutibus theologalibus aut moralibus. »

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 256. *respondit*: « Ejus amor paupertatis apparuit in misero vestitu, in simplicissima cubiculi suppellectili, in qualitate lecti, ab eo, quo pauperes servi utuntur, nihil differentis. Haec omnia scio de visu proprio, cum ante ingressum meum in religionem servitia in ejus habitatione saepe ei praestarem. »

§ 20. *Textilia serica vel pretiosioria aversabatur.*

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 297. *ter. respondit*: « Ex amore paupertatis Congregationis suae sacerdotem die quodam vituperavit, quod pallio assutas gestaret fascias sericas, et iterum alium, qui pro cingulo in Congregatione usitato, succintorio utebatur ex pilis camelinis in fabrica confecto. Quodam die, cum Pater Hofbauer faucium doloribus graviter laboraret, et mater mea, ejus commiserata, focale sericum nigri coloris illi emeret, illud respuens dixit: « *Cara mea, Redemptoristam sericum haud decet focale; si laneum nigri coloris offerre complaceat, illud libenter accipiam.* »

§ 21. *Extra Congregationem degere coactus nihil lautius sibi indulsit.*

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 520. *ter. respondit*: « Tantum abfuit, ut extra Congregationem vivere coactus aliquam libertatem sibi indulgeret, (quod quidem facile efficere poterat multorum divitum amicorum et fautorum ope) ut reapse esset pauperior, quam in domo Congregationis bene ordinata sibi licuisset, in qua ejus amori paupertatis, et omnimodae terrestrium rerum privationi frenum fuisset injectum, nec ipse eidem tantopere potuisset indulgere. In litteris a Patre Hübl tum proprio tum nomine P. Hofbauer datis Varsavia ad tunc temporis Rectorem Majorem P. Blasucci de die septima Martii anni 1807. legi, quae sequuntur: « Accessit deinde constitutio ultimi Capituli generalis sub oculos nostros, in qua cum horrore legimus permissionem, ut apud Rectores existat cassa depositaria pecuniarum individuorum. Hoc statutum hucusque in Congregatione nostra, saltem in Statu Pontificio et hic extra Italiam inauditum, quod paupertatis voto adeo est nocivum, moerorem superaddidit moerori, quia est ictus feralis, qui suo tempore totum in ruinas aget institutum, quippe per quam constitutionem porta late panditur innumeris abusibus et ordinis boni perturbationibus. »

§ 22. *Improbavit consilia volentium aliquid contra paupertatem in Statuta Congregationis inducere.*

§ 23. *Sua paupertate admirationem ciebat.*

Idem Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 513. *respondit*: « Iste Archidux (Maximilianus Atestinus) Patrum nostrorum uni narravit, se a Patre Hofbauer sese invisente optime fuisse affectum, idque praesertim visa ejus extrema paupertate; Archidux enim, coram quo comparebat, advertit, tibialia prospicere ex perforatis calceamentis. »

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 110. *ter. respondit*; « Vestitu incedebat pauperrimo, etiam cum esset Vicarius generalis

utens vestibus attritis. Victo contentus erat vilissimo. Suos etiam alumnos mortificandi peritissimus erat; cum, exempli gratia aliquando panem mucidum juri bono misceret, magno affectus fuit gaudio, discipulis illud comedentibus; summi enim aestimabat paupertatem, nec minimam rem culpabiliter perdi volebat. Cum pauperibus libenter versatus est, sicut unus ex ipsis. »

§ 24. *Gaudebat paupertatis actus a discipulis suis fieri.*

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 152. *ter. respondit*: « Paupertatis votum quod attinet, de ejus observatione eatenus deponere nequeo, quatenus occasione carebam, eam in conventus regularis videndi ordine. Absque dubio autem eam observavit paupertatem, quae pari procedebat passu cum ipsius humilitate et misericordia. Ejus vestes mundae quidem erant, sed pauperiores. Pallium caerulei coloris, quod super habitu gestabat, Varsavia Vindobonam migrasse aperte monstrabat. Quandoque subridens avellebat limbum panni, quo praetextus erat habitus, quique dissolutus partim dependebat, dicere solitus: « *Oh egregium Vicarium generalem!* » (Che bel Vicario generale!) Si quid reservabat, solis pauperibus erat destinatum, quos ubique in suburbiis noverat. »

§ 25. *Indumentum S. D. vetus et attritum.*

Num. 18. *De heroica castitate.*

DE HEROICA CASTITATE

ARTICULUS I.

V. S. D. omnibus mediis ad servandam castitatem usus est, aliisque fuit magister et protector puritatis.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 185. *respondit*: « Quod ad castitatem spectat, certe V. S. D. eam in gradu heroico servasse dicendus est; nam si quis adeo orationi deditus est, sicut Pater Hofbauer, et tam tenera devotione erga SSmum Sacramentum, et B. Matrem Dei aestuat; si quis mortificationem corporis et imprimis modestiam oculorum tam constanter et diligenter exercet, sicut V. S. D.; tunc quoad virtutem castitatis in eo ne minimum quidem dubium admitti potest, sicut revera nemo hac de re unquam dubitavit. »

§ 1. *Ad servandam castitatem oratione, mortificatione etc. usus est.*

II. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 222. *ter. respondit*: «Ad miratus sum in eo magnam vigilantiam ad tuendam puritatem cordis. »

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 359. *ter. respondit*: « Cum mulieribus conversando omnem familiaritatem vitavit, et gravis potius, quam officiosus fuit. Hunc quoque servavit morem, ut quantum posset, earum faciem non intueretur; unde credo, ipsum nullam religiosam ex facie, sed ex voce

§ 2. *Mulieres non cognovit ex facie, sed ex voce.*

cognovisse. Certe nec summe rigorosus observator in ejus conversatione cum mulieribus quidquam invenire poterat, quod cum regulis modestiae et puritatis non perfectissime concordasset. »

§ 3. *Matrimonium oblatum recusarit.*

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 413. *respondit*: « Quilibet in V. S. D. summam modestiam observare poterat. Oculos semper demissos habebat. Conversando cum mulieribus modestus, et quoad puritatem valde cautus erat. »

Et *juxta* 16. *Interr. fol.* 378. *ter. respondit*: « Certum est Vindobonae matrimonium ipsi fuisse oblatum: invitatus est, ut filiam pistoris ad pirum ferreum in matrimonium duceret: sed hanc invitationem rejecit. Hoc scio ex relatione consanguineorum ejusdem in arte pistoria magistri. »

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 758. *respondit*: « V. S. D. omnibus mediis, quae a magistris vitae spiritualis ad servandam castitatem praescribuntur, modo eminenti usus est, videlicet oratione, spiritus collectione, devotione SSmi Sacramenti, et Bmae Virginis, summa temperantia quoad cibum et potum, modestia oculorum, quos semper demissos et cum mulieribus loquendo fere clausos tenuit. Hoc audivi a P. Doll, saepius jam memorato, quo magistro novitiorum usus sum, qui saepius mihi dixit, non potuisse sciri, quales oculos haberet. Otium abhorruit; si oratione non erat occupatus, tempus audiendis confessionibus, visitandis infirmis et moribundis applicavit. Tempore vespertino a juvenibus ipsum in habitatione sua invisentibus circumdatus erat, quibus monita valde salutaria dedit. »

§ 4. *Cum mulieribus loquendo oculos fere clausos tenebat.*

I. Et Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 692. *ter. respondit*: « Scio ex propria experientia, et ex ore aliorum, quos melius indicare nescio, ipsum continuum studium adhibuisse, ut juvenibus utriusque sexus amorem et aestimationem castitatis alte infunderet. »

§ 5. *Juvenibus amorem castitatis instillarit.*

Et *fol.* 693. « Ex toto ejus habitu elucebat modestia particularis: tonus vocis semper moderatus, et motus valde temperati erant; oculos demissos et loquendo ordinarie clausos tenebat. »

VII. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 316. *ter. respondit*: « Factum mirabile afferre possum. Dominus Fridericus de Klinkowstroem, juvenis officialis militiae adscriptus, et tunc acatholicus, aliquando in terra quadam extera (locum tamen indicare non possum) in laeta societate inveniebatur; cumque horis vespertinis cibis et poculis haud pepercissent, in fine mulier petulans introducta est. Quae cum conclave ingrederetur, juvenis Fridericus de Klinkowstroem post eam virum venerandum sacerdotali veste indutum vidit, et hoc aspectu attonitus statim societatem reliquit. Pluribus annis ex eo elapsis, cum dominus de Klinkowstroem Vindobonae moraretur, amicus eum in ecclesiam Italicam conduxit, in qua eo momento V. S. D. ad altare fungebatur. Sed quantum obstupuit, cum in V. S. D. eumdem virum cognosceret,

§ 6. *Mirabili apparitione, dum viveret, juvenem a periculo incontinentiae liberavit.*

qui ei adhuc juveni comparuerat, et a peccato praeservaverat. Divina gratia commotus eodem momento consilium fidei catholicae amplectendae cepit, quod propositum postea executus est. Paulo post etiam ejus mulier, nec non tres hujus sorores in manus V. S. D. fidem catholicam professae sunt. Una ex hisce sororibus erat mulier Antonii de Pilat, Consiliarii gubernii, aliae duae sorores Ordinem Visitationis B. M. V. in Gleink in Austria superiori ingressae sunt, et earum minor natu, Maria Paulina adhuc vivit. Hanc familiam per V. S. D. novi; facti vero cognitionem habui per filium dicti Friderici, dominum Clementem de Klinkowstroem caesareum regium officialem. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 7. *Sollicitus fuit de custodienda castitate.*

XXI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 474. *ter. respondit* « Eximia erat humilitas et mirabilis mortificatio. Quidquid habebat, erat pauperrimum, vestitus et supellex; extreme sollicitus erat in custodienda virtute castitatis. »

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 443. *respondit:* « Castitatem tamquam pupillam oculi vitae sacerdotalis et apostolicae adamabat, omniaque adhibuit media, ut eam in perfecta servaret integritate. Quorum mediorum praecipua haec sunt: Austerae ejus mortificationes, jugis divinae praesentiae memoria, indefessi ejus labores, fuga cujusvis commoditatis aut mollitiei in cibo, habitatione, vestitu, et somno; ejus deinde devotio in sacrosancto Sacrificio Missae et communione, amor et fiducia in Deipara, et demum cautus et verecundus modus agendi cum personis alterius sexus. Qua in re erat acerbus, nunquam mollis, nec ferebat, ut tales personae multum loquerentur, sed quam celerrime poterat eas expedivit. In omnibus concionibus suis et exhortationibus in impudicitiae vitium maxime invehebatur, quod plurimos gehennae candidatos adducere ajebat. Omnes confratres suos religiosos et discipulos monuit et custodivit in hac praesertim re, saepe repetens: « *Omnes pias foeminas commenda Deo* ». Sensus suos, speciatim oculos, adeo custodivit, ut eos semper fere semiclausos teneret. »

§ 8. *Verecunde cum mulieribus agebat.*

§ 9. *In concionibus monitisque privatis odium contra impuritatem prodidit.*

XIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 425. *ter.* « Narrari audivi, Servo Dei Vindobonae honorificas nuptias oblatas fuisse, ipse vero illa oblatione rejecta iter Romam instituit.»

Et *infra fol.* 426. « Nec minimum quidem in eo unquam est deprehensum, quod suspicionis umbram dare potuisset castitatis virtuti. Cum mulieribus erat brevis, vigilans, et tamen inaffectatus: oculi fere semper erant clausi, et habitus exterior prodebat semper internam ejus animi collectionem, et cum Deo conversationem. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 596. *ter.* « In externo suo sese gerendi modo Pater Hofbauer generatim magnam prae se tulit modestiam. Aliquoties cum eo familias invisi, in

quibus aderant etiam foeminae provectae actate quas tamen ille haudquaquam aspiciebat. Quaelibet major familiaritas in colloquio vel in conversatione cum personis alterius sexus prorsus aliena erat ab eo, et etiam cum iis, quae tamquam patrem spiritualem praecipue eum venerabantur, cautus et brevis erat. Poenitentibus suis commendabat, ut castitatis virtutem summa cum sollicitudine conservarent, asserens, solam cujusvis occasionis fugam pericula posse removere huic virtuti imminentia. Saepe induxit pium patriarcham Job, qui, prout edisserebat, homo sub lege naturae constitutus, foedus pepigerat cum oculis, ne cogitaret de virgine. »

§ 10. *Foeminas non intuebatur, nec familiariter cum iis agebat.*

I. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 111. « Praeoptata illi erat conversatio cum viris: cum altero sexu brevis et strenua, quamvis paterna sermocinatio, dicere solito: *Mulieres sanctitatis tum demum sunt capaces, cum quod in eis est femineum, absterserint; omnes sanctae virgines et mulieres spiritum habuerunt virilem. Omnes mulieres, quae muliebria non exuerunt, taedio mihi sunt* ». Hisce principiis etiam juvenibus magnum castitatis amorem instillare voluit, quibus orationem simul et vigilantiam in conversatione commendabat. »

§ 11. *V. S. D. cum mulieribus colloquens brevis et gravis.*

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 153. « Quoad castitatis virtutem dubium in contrarium nunquam in me poterat exoriri, cum Pater Hofbauer, quando eum cognoscebam, sexagesimum sextum quasi attigerat annum. Scio autem, eum hanc virtutem summi fecisse, eamque tamquam conditionem absolutam fidei et vitae christianae omnibus enixe commendasse juvenibus. Ac ipsa ejus puritas piam et absolutam honestarum mulierum et virginum conciliabat illi fiduciam. »

§ 12. *Sine castitate nec fidem nec vitam christianam servari posse censebat.*

Et *fol. eodem ter.* « Fabularum Romanensium lectionem aegre ferebat, nec non eroticarum poëseon, et generatim avertere satagebat juventutem a periculosis amicitiis, quod feliciter plerumque obtinuit. »

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 234. « Quoad ejus castitatem hoc solum testari possum, Servum Dei cum personis alterius sexus nullum habuisse usum nisi omnino necessarium, et in casu necessitatis id fiebat tanta cum modestia et cautela, ut oculos aut omnino demitteret aut inter colloquium in aliam verteret partem. De caetero quam brevissime poterat, ista absolvebat colloquia. »

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 256. « Semiclausos tenebat oculos, et in toto suo agendi modo talem decentiam et gravitatem praeseferebat, ut quicumque eum videret solummodo, ad venerationem moveretur. »

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 546. *ter.* « Ejus persona angelico splendebat nitore; ejus aspectus ad puritatem provocabat; omnia adhibebat media ad puritatem conservandam: devotionem erga SS. Sacramentum et S. Deiparam, orationem mentalem et vocalem, modestiam oculorum (quos fere non aperiebat, ego nunquam quasi vidi ejus oculos penitus apertos) temperantiam in cibis et abstinentiam fere

§ 13. *Aspectus Servi Dei, amorem castitatis inspirabat.*

totalem a vino. Me amplexans divini amoris sensus in me eliciebat. »

XII. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 330. « Hoc solum addendum mihi superest, Servum Dei a quacumque laude tali modo abhorruisse, ut injurias honoribus praeferret, eumque animi puritatem externe etiam monstrasse eo, quod cum mulieribus nonnisi oculis semiclausis esset collocutus. »

XIV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 366. *ter.* « Castitatem ejus quod attinet, hoc sum expertus. Testis fui quondam, qua acerba brevitate procederet erga quandam foeminam. Venit quippe ad eum quaedam persona. Pater Hofbauer ipse aperuit clathros habitationis, et cum fores cubiculi apertas relinqueret, personam istam audivi dicere, Pater Hofbauer unum ex junioribus sacerdotibus suis ad aegrotam mulierem in suburbio mittere dignetur. Subito Pater Hofbauer respondit: « Sacerdotes *juvenes* pro te non habeo, » et clausis clathris, cubiculum intravit. Absque dubio bonas habebat rationes ita loquendi. »

§ 14. *Juvenes sacerdotes nolebat cum mulieribus versari.*

XV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 377. « Propria experientia scio, ex Servi Dei vultu, verbis totoque vitae tenore perfectam verecundiam, sacerdotalem decorem et modestiam spirasse; eumque cum mulieribus sic egisse, ut non solum durior et brevis esset, sed et ab aspectu earum abstineret. Nunquam in Servo Dei aliquid deprehendi, quod virtutum christianarum alicui fuisset contrarium. »

§ 15. *Ab earum adspectu abstinebat.*

XXIV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 502. « Castitatis etiam virtus propria illi erat. Tamquam rem particularem ex propria etiam observatione confirmare possum, eum cum mulieribus colloquentem oculos semper demisisse. Per totum illud tempus, quo cum Patre Hofbauer eram familiaris, peccaminosi aliquid aut praefatis virtutibus contrarium in eo nunquam observavi. »

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 521. *ter.* « Castitatem quod spectat, Pater Hofbauer ad id praesertim attendisse videtur, ne de peccatis turpibus interrogando ad alia nisi absolute necessaria sese extenderet, et quod confessionis integritatem attinet, ut sese restringeret ad necessaria. Juniores sacerdotes commonere solebat de periculis in conversatione cum mulieribus, dicens: « *Mulieres semper sunt mulieres, et donec quidquid est foemineum, non deterserint, uti S. Theresia et aliae sanctae mulieres, semper sunt periculosae.* »

§ 16. *De turpibus peccatis loquens nonnisi necessaria verba proferebat.*

XLIV. Testis *juxta* 26. *Interr. fol.* 710. « Quidam Fridericus de Klinkowström, Director Instituti puerorum, ipse mihi narravit, se miraculoso Patris Hofbauer interventui debere salvationem ex maguo periculo peccati. Ipse mihi haec retulit: « Juvenis interfui quondam cuidam coetui vespertino. Indulsimus cibo et vino, et ad finem scortum arcessivimus. Pone eam ingredientem vidi venerabilem virum, veste sacerdotali indutum et elevata manu mihi minantem.

§ 17. *Confirmatur dictum* §. 6.

Quo aspectu attonitus illico dereliqui coetum. Pluribus post annis Vindobonae commorans ecclesiam aliquam quondam adii catholicam, ibique vidi sacerdotem, quem subito eumdem esse agnoscebam, qui in praefato coetu mihi apparuerat. Ista apparitio adeo vehementer me affecerat, ut vestitum, quo sacerdos apparens erat indutus, vivaci adhuc memoria retinerem. Et eadem erat vestis sacerdotalis, qua nunc indutus Pater Hofbauer stabat ad altare. Divina tactus gratia eodem momento constitui fidem catholicam profiteri, usque eo enim eram protestanticus. » Praeterea deponere possum, eumdem Klinkowström de Patre Hofbauer saepissime mihi fecisse verba, et in specie ejus salutarem auctoritatem, quam in familiam ipsius exercuit, extulisse. »

ARTICULUS II.

Vocationem religiosam summopere aestimavit, ac plurimos ad vitam religiosam induxit.

(Ex Processu Apostolico)

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 354. *respondit* : « Quid dicam de illo sublimi gaudio, quo perfusus est, si qua anima statum religiosum amplectens totam se Deo offerebat: tunc tantum erat gaudium cordis, ut in ecstasim raptus, infantibus innocentibus similis, qui gaudium exprimere nesciunt, manibus plauderet. Aliquando interrogata fui, cur Ven. Servus Dei occasione vestitionis cujusdam adolescentulae, animi sui affectus pulchra solidaque allocutione, quam omnes expectavimus, non manifestasset. Juxta intimam meam persuasionem respondi: Gaudium facultatem loquendi ei ademit. »

§ 18. *Summo gaudio affectus est, si quis statum religiosum eligeret.*

Fol. 359. Cum ego mundum relinquerem, certe Ven. Servus Dei magno gaudio afficiebatur, et tamen in mea vestitione pauca tantum verba fecit. Ex facie ejus legere poteras, quali gaudio ejus cor moveretur, cum anima mundum relinqueret, ut Deum solum in haereditatem haberet. »

I. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 158. *respondit* : « Ven. S. D. paulatim magnum numerum studentium Universitatis, prae caeteris multos jurisprudentiae et etiam medicinae et Theologiae studiosos circa se colligebat, e quibus postea saltem viginti septem Congregationem ingressi sunt. Magnetis instar paterna sua charitate eos attraxit, et ut fideliter ipsi adhaererent effecit. Quilibet apud eum felicem se se sentiebat. Quamvis de Congregatione, ejusque institutionibus nihil cum iis colloqueretur, saltem eo tempore, quo nondum exploratum habebat, an sedem figere posset in Austria, tamen sensim sensimque amorem status religiosi et studium perfectionis iis indidit. »

§ 19. *Plurimi ex ejus discipulis statum religiosum elegerunt.*

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 413. *respondit*: « Summo studio

§ 20. *Egregia monita Ven. S. D. circa virginitatis pretium.*

V. S. D. animas e saeculo retrahere, et in monasteria deducere satagebat. Monialibus summam modestiam et virginitatis studium inculcabat ». *Animae vero virgineae* (dixit) *sorores sunt SS. Angelorum.* « Saepe de magno pretio virginitatis, et de ejus majori dignitate prae statu conjugali praedicavit. De vocatione ad statum religiosum loquens totus inflammatus fuit. Ad hunc statum vocari, (dixit) esse gratiam plane eximiam, et probavit in hoc puncto voluntati Dei clare recognitae obediendum esse, nullo respectu habito ad parentes et propinquos; adduxit exemplum Jesu Christi, qui puer duodennis in templo remansit, quin Mariae et Joseph verbum diceret, et ad interrogationem Matris: « Fili, quid fecisti nobis sic? » brevibus verbis respondit: « Nesciebatis, quia in his, quae patris mei sunt, oportet me esse? » Quanti V. S. D. virginitatem et praecipue statum religiosum aestimaret, quamque vim orationi virginum attribueret, patet ex sermone, quem in vestitione duarum Choristarum et duarum sororum conversarum fecit. « Oportet (dixit) sorores Mariam et Martham, orationem et laborem in se conjungant. Dominus Lazarum a mortuis resuscitavit, quia Mariam et Martham amavit: ita virgines religiosae Christi sponsae, precibus et lacrymis mortuos, id est peccatores, ad vitam gratiae resuscitent oportet. Dominus enim, qui sponsas suas amat, ferventes earum orationes certe exaudiet. Apud ipsos paganos Romanos virgines ita aestimatae erant, ut rei ad mortem condemnati vitae parceretur, si illae pro eo deprecabantur. Quanto magis preces virginis, quae Domino vitam suam consecravit, apud coelestem sponsum valebunt. »

§ 21. *Varsaviae piam unionem virginum erexit.*

§ 22. *Ex his multae religionem ingressae sunt.*

I. Testis ex officio *juxta* 24. *Interr. fol.* 678. *respondit*: « Auctore P. Hofbauer plures uniones ad pios fines se formaverant, inter quas unam hic nomino, scilicet unionem adolescentularum cujuscumque conditionis, quae egregia institutio quoad mores et pietatem optimos fructus produxit. Post expulsionem Patrum extincta hac pia unione plures virgines, quae ei adscriptae fuerant, in varias communitates religiosas Poloniae et Lithuaniae ingressae sunt, eisque summae aedificationi fuerunt. »

§ 23. *Puritatem cordis semper servavit.*

Et *fol.* 680. « Cuidam suorum amicorum valedicens P. Hofbauer hoc ultimum verbum dixit: « *Puritatem cordis et rectitudinem intentionis diligenter conserva* ». Haec verba V. S. D. apprime omnia exprimunt, quae ipse in intimis animae suae gerebat. »

§ 24. *Virgines religiosas tamquam sponsas Christi reverebatur.*

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 692. *ter.* « Multos ad vitam religiosam induxit, utque eam eligere possent consilio et opere eis adstitit. Soror una hujus conventus paucis abhinc annis defuncta mihi narravit, V. S. D. dixisse, se nunquam conventum monialium pertransire, quin pileolum bis levaret: primo in honorem SSmi Sacramenti altaris, deinde ex reverentia erga sponsas Jesu Christi in conventu degentes. Eidem etiam

sorori dixit: « Moribunda demum cognosces, quanta sit gratia ad statum religiosum vocationis, cui comparatus nihil est omnis fastus mundanus »; et addere possum, veritatem hujus effati felicissime comprobatam fuisse; ista enim soror vere pia et intime cum Deo conjuncta obiit. »

§ 25. *Plurimos juvenes Congregationi suae lucratus est.*

II. Testis ex officio *juxta* 28. *Interr. fol* 744. *ter. respondit* : « Summi momenti erant labores V. S. D. ex eo, quod tot juvenes suae Congregationi, cujus propagationem semper prae oculis habuit, effinxerit. »

VII. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 303. *ter. respondit:* « V. S. D. multos eorum, qui sermonibus suis ad agnitionem Dei perducti, vel in sancta fide confirmati fuerant, amicitia sibi devinxit. Semper societatem horum discipulorum circum se colligere solebat, ex quibus nonnulli ab eo inducti sunt, ut mundo penitus renuntiarent, et Deo totos se darent; exempli gratia Pater Madlener, Springer, Held, Putz, Unkhrechtsberg, Brigl, Cosmacek, Veit et alii.»

(Ex Processu Ordinario)

§ 26. *V. S. D. juvenes circa se congregat, et ex omni civium ordine asseclas habet.*

XXVI. Testis *juxta* 20. *Interr. fol.* 538. *respondit*: « Ego ipse testis fui, quomodo Vindobonae juvenum turba circa P. Hofbauer tamquam Patrem sese colligeret; ego ipse pertinebam ad hanc turbam. Cum paulo post obitum Servi Dei Imperator Franciscus I. eorum indicem postularet, qui Congregationi fundandae nomen essent daturi, triginta circiter juvenes sua nomina exhibuerunt, jurisconsulti, officiales, docti, doctores philosophiae et medicinae. Patris Hofbauer ea erat ratio, ut nullum persuasione vel directa monitione ad amplexandam moveret Congregationem. Prout divina providentia omnia suaviter disponit, ita etiam ipse suaviter tantum trahere volebat. Ita etiam mecum egit, invitans me, ut intervenirem professioni in conventu Ursulinarum, et post eam solemnitatem secum manducarem. Ea occasione mihi dixit: « Tu quoque Deo temet consecrare debes: « quasi diceret, etiam me mundo debere renuntiare. Tunc munere fungebar in aulicorum aedilium consilio. Pauca ista verba valde me movebant, idque postea effecerunt, ut Congregationi nomen darem. »

XXX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 641. *respondit* : « Quam strenue Servus Dei in id incumberet, ut alios ad castitatis virtutem amandam et conservandam adduceret, jam patet ex iis, quae supra adduxi, quomodo nempe juvenibus et viris Rosarii recitationem commendaret, ut a peccati tentationibus sese praeservarent; et quo felici successu multas lucratus fuisset animas, evidentissime probavit nobilis juvenum turba, quorum conscientiae moderator ad vitae usque finem ipse fuit, quique, eo demortuo, SSmi Redemptoris Congnem amplexati castitatis emisere votum. »

Et *juxta* 22. *Interr. fol.* 614. *ter.* « Sororum mearum unà,

§ 27. *Servi Dei monita de custodienda castitate.*

Catharina nomine, anno 1819. ingrediente institutum domicellarum anglicarum, quas vocant, Servus Dei in litteris commendatitiis de die 29. Augusti anni 1819. datis ad tunc temporis Superiorem felicis memoriae Comitissam Julian de Mailath, inter alia scripsit, quae sequuntur: « Alias recommendationes bona domicella Catharina (Freyberger) ipsa secum afferet propria sua persona. Hoc solum desidero, ut in ea innocentia et pietate, in qua fuit educata, et a matris suae latere in tuam (Comitissae Mailath) piam ingreditur communitatem, jugiter crescat, et nunc virgo Deo dicata vocationis sublimis perfectionem primum in se ipsa comprobet, et tunc eodem eam fervore eosdem sensus aliis teneris sui sexus animis infundat, ut alias etiam ad Deum adducat, quemadmodum semetipsam holocaustum Deo obtulit. » Ex hoc quoque singulari casu patet, quantum Servo Dei fuerit cordi, ut innocentiae et virginitatis virtus ab aliis etiam conservaretur, quantumque in quavis occasione sategerit, ut proximi conservaret castitatem. »

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 256. *respondit*: « Servum Dei honestas recusasse nuptias, cum ei unica pistoris filia offerretur in matrimonium, ejus sacerdotes narrarunt. Peculiari spiritus ardore virginalem exaltavit statum, ejusque prae matrimoniali statu excellentiam praedicabat. »

§ 28. *De pretio virginitatis loquens lacrymas ab audientibus eliciebat.*

XVI. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 388. « Propria experientia confirmare hic possum, eum verbum Dei simplicissimo quidem, sed adeo commoventi praedicasse modo, ut fructus extraordinarius dicendus, et peculiari Dei benedictioni sit attribuendus. Cujus rei saepius testis ipse fui, audiens ejus conciones, et praeprimis cum in ecclesia monialium Salesianarum concionem haberet pomeridianam. Paulo ante sermonem lectis iis, quae in catechismo Romano de consiliis evangelicis dicuntur, hac de re tam commoventi, populari, persuadenti et penetranti dixit modo, ut Moniales assistentes continere nequirent lacrymas. »

Num. 19. De obedientia et perseverantia.

DE OBEDIENTIA ET PERSEVERANTIA V. S. D.

ARTICULUS I.

Auctoritati civili et ecclesiasticae promptam exhibuit obedientiam, et obligationem obediendi severe inculcavit.

(Ex Processu Apostolico)

§ 1. *Ab infantia erat obediens.*

II. Testis ex officio *juxta* 31. *Interr. fol.* 758. *ter. respondit*: Tota vita V. S. D. erat continuum exercitium obedientiae. Infans parentibus obediebat, postea tamquam religiosus superioribus suis, et sic etiam superioribus ecclesiasticis, imo

etiam magistratibus saecularibus obedientiam praestitit, ubi conscientia id permitteret. »

VII. Testis *juxta* 10. *Interr. fol.* 298. *respondit*: « De matre sua semper cum magna veneratione loquebatur, et tum in sacro tribunali, tum in pulpito impense hortabatur, ut filii quartum praeceptum decalogi observarent, et parentibus venerationem et obedientiam exhiberent. »

Juxta 31. *Interr. fol.* 306. *ter. respondit*: « Exactissime et religiosissime omnes leges Ecclesiae observavit. Saepius concionando dixit: « *Qui Ecclesiam non vult habere matrem, nec Deum vult habere patrem.* »

§ 2. *Leges Ecclesiae exactissime observabat.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 345. *respondit:* « Ex ejus viva fide provenit illa tenera studiosa voluntas erga Ecclesiam catholicam, et filialis pietas erga Sanctum Patrem, Christi Vicarium. Dicere solebat: « Qui Sanctum Patrem non honorat, nec etiam matrem nostram, Ecclesiam honorat; qui mandatis Sancti Patris non obedit, est filius inobediens S. Ecclesiae; qui pro parentibus suis non precatur, est filius perversus, et qui non precatur pro Sancto Patre, malus est christianus. »

§ 3. *Filiali pietate Summum Pontificem prosecutus est.*

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 414. *respondit*: « Virtutem obedientiae Ven. Servus Dei sub quovis respectu probavit. Jam puer in id intendebat, ut nihil faceret, quod matri displiceret. Hoc desumpsi ex ejus verbis mihi factis, cum de inobedientia filiorum hujus aevi loqueretur. Nobis monialibus commendavit, ut semper pro Sancto Patre preces funderemus. Magnam etiam reverentiam habebat erga Sancti Patris Repraesentantem, Nuntium Apostolicum, qui saepe in nostra ecclesia sacram Missam celebravit, et in conclusione quadraginta horarum comprecationis fungebatur. »

§ 4. *Nuntios Apostolicos tamquam repraesentantes Papae venerabatur.*

Fol. 415. Tempore gravis persecutionis anno 1816. Ven. Servo Dei praedicare interdictum fuerat, quae res sacerdotem animarum zelo ardentem graviter affligebat, sed jussis se se subjecit, et prohibuit, ne ad concionem campanâ signum daretur. Cum vero nihilominus tota ecclesia gente plena esset, quae Ven. Servi Dei concionem audire gestiebat, pulpitum ascendit, et lecto Evangelio haec tantum verba protulit: « Hodie non possum praedicare; nam obedientiam exercere debeo, sed in sancta Missa Spiritum Sanctum precabor, ut hic praesentibus dicat, quae ego praedicare voluissem; » ad quae verba adstantes lacrymas profuderunt. Prohibitio concionandi perbrevi postea, duobus (ni fallor) diebus elapsis revocata est; imo dictum est ei, liberum ipsi esse praedicare, quando et quomodo vellet. Ven. S. D. non solum ipse leges Ecclesiae exactissime observavit (quod de se patet) sed alios quoque ad observantiam eandem legum Ecclesiae verbis paternis et gravibus inducere studuit. »

§ 5. *In difficillimis etiam obedivit.*

§ 6. *Sanctos uti exempla obedientiae exhibuit.*

Fol. 417. « In concionibus Sanctos, et maxime eos, quorum laus est in S. Scriptura, uti exempla obedientiae proponere amavit. Sic aliquando obedientiam Abrahae, cui Deus man-

daverat, ut filium suum Isaac offerret, descripsit: « Ejus cor, inquit, propter hoc mandatum gravissimum dolorem concepit, attamen obedivit, et jussis non obstitit. Si igitur Dominus multa minora a nobis petit, nonne libenter et cum gaudio obediemus? » Aliquando viros monuit, ut exemplum Abrahae sibi sequendum proponerent, qui mandatum Dei omnes, etiam mulierem celavit, ut ejus dolori et angustiis parceret et obedientiam difficiliorem non redderet. »

Juxta 33. *Interr. fol.* 419. *ter.* « Facile videre poteras Ven. Servum Dei omnes virtutes in gradu heroico exercuisse. Dicere volo, ipsum virtutes in perfectiori gradu exercere non potuisse, nam in quibuscumque circumstantiis, ubique et constanter eas exercuit. Cum facilitate, imo cum gaudio eas exercuit, quamvis in conditionibus difficilibus positus fuisset. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 7. *Ecclesiasticis et civilibus praesidibus obediens fuit, ubi non obstarent divinae leges.*

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 439. « Servus Dei saepissime locutus est de iis verbis Christi: « Date, quae sunt Dei, Deo, et quae sunt Caesaris, Caesari. » Ipse quoque hanc observavit regulam, non solum perfecte obediendo superioribus suis religiosis, sed etiam prompte, et quin sibi ipsi parceret, sese submittendo omnibus mandatis legitimorum magistratuum tum ecclesiasticorum, tum civilium. »

Et paulo post. « Eadem promptitudine omnibus etiam civilibus magistratibus obedivit in omnibus iis, quae Dei mandatis non erant opposita. »

Et *juxta* 23. *Interr. fol.* 449. *ter. respondit*: « Etiam in rebus parvis vigilantia ejus et fidelitas erat vere heroica. Hic virtutum ejus et operum gradus heroicus non solum usque ad vitae finem perduravit, sed in eo ipso ad perfectionis apicem pervenit. Eum unquam declinasse ab ista dominante heroica mente et vi operandi, non observavi. »

Idem juxta 22. *Interr. Proc. fol.* 443. *ter. respondit*: « In summa tum ego tum omnes, qui intime eum noverant, in Patre Clemente Hofbauer perfectum sacerdotem et religiosum semper et omnibus in rebus observavimus. Eum in omnibus orationibus, laboribus, et aerumnis exemplum solummodo Christi et Sanctorum ante oculos et in corde habuisse, clare patebat. Nunquam ne cum oculatissima quidem observatione aliquid deprehendi virtutibus christianis contrarium. Mea Patris Hofbauer virtutum cognitio, qualem hic deposui, desumpta est ex triennali familiaritate cum eo habita. »

Idem Testis juxta 32. *Interr. fol.* 453. *respondit*: « Ipse continue medici mandatis exactissime est obsecutus. Regulas Instituti sui per totam vitam ipsi tam caras, usque ad ultimum etiam vitae halitum exactissime observavit. »

Testis I. *juxta* 21. *Interr. fol.* 100. *ter.* « Pro Ecclesiae praeceptis verum subiit martyrium, et imprimis pro observa-

tione praeceptorum Ecclesiae zelum contra eos ostendit, qui leviter dicerent: « Quid refert, non est nisi Ecclesiae praeceptum? » Jejunia ecclesiastica stricte observabat, sicut et in adimplendis legibus divinis nulli erat secundus. »

§ 8. *Pro observantia legum Ecclesiae summum zelum monstrabat.*

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 593. « Sed et proximorum cuilibet secundum monitum Apostoli Pater Hofbauer, quod illi debebatur, dedit: tributum, honorem, obsequium. Hoc etiam quod attinet, nec ab inimicis illi quidquam obiiciebatur. Pater Hofbauer cum tot hominibus auctoritate et dignitate conspicuis, relatione et usu conjunctus, pro diversis his gradibus sublimioribus impulsus erat videre, quomodo sese gereret, ut debitum cuilibet redderet honorem. Communis et constans aestimatio et veneratio, qua isti ipsi homines erga Patrem Hofbauer erant affecti, certo est argumento, eum quoad honorem ipsis debitum nunquam deliquisse. In demonstrando etiam grato animo erga omnes, in promovendis beneficis et humanis suis finibus aliquo modo se adjuvantes, sollicitus erat, et ego aderam, cum aliquando subditorum uni correctionem daret ob neglectum grati animi debitum erga amicum conspicuum. Nequaquam recordor, Servum Dei aliquem molestasse postulando vel petendo temporale auxilium, etiamsi persuasionem haberet plenam de alterius promptitudine. »

XXVI. Testis *juxta* 23. *Interr. fol.* 547. *respondit*: « In conscientia persuasum habeo, Patrem Hofbauer fel. mem. fuisse instrumentum apostolicum, a Deo per intercessionem S. Alphonsi immediate directum, ideoque etiam a Deo speciali modo omnibus virtutibus ad vocationem extraordinariam ejus instructum. Nunquam in Servo Dei verbum vel factum observavi, quod contra heroicum virtutum gradum posset adduci. »

§ 9. *Honorem et obsequium iis, quibus debetur, praestitit.*

ARTICULUS II.

Obedientiam religiosam V. S. D. commendavit et ipse servavit usque in finem.

(Ex Processu Apostolico)

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 414. *ter. respondit*: « Gravibus verbis nos moniales monuit, ut obedientiam praestaremus, et in exemplum Dominum qui usque ad mortem obediens factus est, proposuit dicens: « *Obediendum est usque ad mortem, potius mori expedit, quam esse inobedientem*: « Quodam die interrogavit, quae esset optima novitia? et nemine respondente ipse reposuit: « Optima novitia est, quae humiliter obediendo contenta est, si ea tamquam scopa ad verrendum utantur, et postea iterum eam in angulum remittant ». Saepe monuit: « Nolite esse pertinaces, sed obedite. » In id valde incubuit, ut ordo diurnus exacte observaretur: » Qui ordinem servat diurnum, inquit, Dei voluntatem observat. »

§ 10. *Usque ad mortem obediendum esse docuit.*

§ 11. *Pulchra effata V. S. D.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 350. *respondit*: « Cum aliquando V. S. D. mihi injungeret, ut pro conversione peccatoris unum « Ave Maria dicerem, hoc mihi nimis parum videbatur, unde me obtuli, ut hunc in finem pluria « Ave Maria » recitarem. Sed V. S. D. dulciter respondit: « *Personae quae per votum obedientiae propriam voluntatem Deo obtulerunt, cum fructu majori orant, quam saeculares.* »

§ 12. *Maluit exulare quam contra vota religiosa agere.*

I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 185. *respondit*: « Circa heroicam obedientiam V. S. D. jam supra de justitia loquendo, meam sententiam dixi. Optimum argumentum obedientiae erga regulam et vota religiosa exhibuit, cum ei in inquisitione jam relata alterutrum proponeretur ut aut Congregationi renuntiaret, aut patriam derelinqueret. Quamvis V. S. D. tunc jam annum sexagesimum octavum ageret, et valetudine infirma laboraret, tamen continuo sine haesitatione respondit, malle se in Americam emigrare, quam votis suis deesse. Litterae etiam, quas ad Superiorem generalem Neapolim dedit, et iter Neapolim institutum monstrant, se Superioribus suis semper obedivisse. »

§ 13. *Superiori suo generali semper obedivit.*

II. Testis ex officio *juxta* 30. *Interr. fol.* 746. *respondit*: « Quaecumque de V. S. D. audivi, indicant, ipsum praecepta Dei et Ecclesiae, nec non omnes obligationes sui status et vocationis adamussim observasse. Quid V. S. D. quoad obligationes religionis adimplendas senserit, patet ex literis de anno 1807. in Archivio generali Romae servato, (sive in Archivio Neapolitano) cujus pars ita sonat: « Possum cum gaudio asseverare, quod multum adhaesionis observem in omnibus fratribus meis erga Institutum; nam quemadmodum ego ipse in hoc mundo nihil aeque diligo, quam Congregationem meam, ita etiam nihil magis in corda fratrum meorum infundere curo, quam amorem erga Congregationem, et existimationem erga eorum vocationem, et ita operante Domino paratos invenio, ut quilibet, uno solum non excepto, determinatus sit, vitae suae sacrificium facere, quam minimum quid admittere, quod Cougñi detrimentum esse possit. »

§ 14. *Nihil in mundo adeo dilexit quam Congregationem suam.*

§ 15. *Eundem amorem Congregatis instillavit.*

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 758. *respondit*: « Aliquando cum Pater Stark mantello suo ligamentum sericum assutum haberet, V. S. D. id severe reprehendit. Et focale sericum, de quo jam supra verbum feci, recusavit, quia rem sericam adhibere Regula prohibet. »

§ 16. *Abusus contra Regulam non admisit.*

(Ex Processu Ordinario)

I. Testis *juxta* 18. *Interr. fol.* 96 *ter.* « Vindobonae morans duos tantum secum habuit Patres, Joannem Sabelli et Martinum Stark, et nihilominus summo zelo vigilavit, ut regula stricte observaretur. Ipse ego vidi et audivi, quomodo hic vir . . . zelo observandae regulae inflammatus fuerit. »

Et *juxta* 22. *Interrog. fol.* 111. *respondit* « Servi Dei obe-

dientia luce clarius patet ex epistolis, quae supersunt, ad Superiorem generalem directis. Sub obedientia semper vixit. »

§ 17. *Regulas Congregationis suae religiose servavit.*

XXVI. Testis *juxta* 18. *Interr. fol.* 536. *ter.* « Scio ex ore Patris Passerat, Patrem Hofbauer a primariis regulae capitibus stetisse firmissime, et nunquam aliquid fecisse absque consensu Superioris sui religiosi et Nuntiorum Apostolicorum. Eo duce prodierunt etiam viri, uti Pater Passerat, Pater Podgorski, Frater Emmanuel, Frater Mathias, qui quidem omnes sanctam degerunt vitam. »

§ 18. *Nihil egit sine superiorum consensu.*

Et *juxta* 22. *Interr. fol.* 546. *ter.* « Obedientiam quod attinet, eam exhibuit erga Superiores Congregationis continuo cum eis commercio, non obstantibus periculis ob leges civiles tunc imminentibus.»

§ 19. *Etiam cum gravi periculo illis obtemperavit.*

Et *juxta* 22. *Interr. fol.* 547. *ter.* « Omnibus notum est, Servum Dei non solum contradictiones, sed apertas passum esse persecutiones, imprimis ab Ecclesiae inimicis, quorum eo tempore multi et exacerbati fuere. Istis ejus zelus pro fide catholica, observantia erga Sanctam Sedem, introductio Congñis, visibilis ejus successus in resuscitanda fide catholica et vita odio erant. Factum est pariter notum, eum Vindobonae speciali inquisitioni fuisse obnoxium, ea praesertim de causa, quod cum Superioribus Congñis relationem habebat, eique renuntiare nolebat pro judicum voluntate, et nisi divina providentia, corda hominum dirigens, Imperatoris Francisci Majestatis cor in ejus vertisset favorem, ille (Pater Hofbauer) Vindobonam et Austriam derelinquere fuisset coactus. »

XVII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 443. *ter. respondit*: « De obedientia saepe ex intimo corde dicere solebat: « *O quam facile, quam suave est obedire, sed quam difficile praecipere. Obedientia securim mittit ad radicem, perfectam securitatem praebet per omnes vias. Obediens errare nequit, etiamsi erret Superior.* »

§ 20. *Suavis illi erat obedientia: suis subditis fuit in exemplum.*

VI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 234. *respondit*: « Servus Dei obedientiam humilem et exactam praesertim regulis Congñis praestabat, quas et ipse religiosissime observabat et exacte observandas curabat a subditis, quos non solum verbis, sed multo magis suo exemplo incitabat, ita ut vere dicere potuisset: « *Exemplum do vobis, ut, quemadmodum me videtis facere, ita et vos faciatis.* » Primus semper erat ad exercitia quotidiana, praesertim ad meditationem matutinam in qua nobis suum spiritum, suum erga Jesum et Mariam amorem, venerationem Congñis et fervorem in exercendis virtutibus instillare satagebat. »

Et infra *eodem fol. ter.* « Defectus corripiebat cum gravitate, charitate, et mansuetudine; severius autem eos contra obedientiam. »

§ 21. *Peccata contra obedientiam severe arguebat.*

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 597. *respondit*: « Cum Pater Hofbauer praeses esset Congñis Sacerdotum, quos ego novi, vix nactus sum occasionem obedientiae virtutem in eo ob-

servandi, quatenus in voto adimplendo consistit; hoc solum recordor, audivisse me tum ab ipso, tum a defuncto P. Stark, ejusdem Congñis... P. Hofbauer perfecta animi submissione adimplesse mandata generalis Congñis Superioris Nuceriae Paganorum anno 1819. hoc munere fungentis, qui Patrem Sabelli Vindobona avocabat; quantumvis Pater Hofbauer ista avocatione valde afficeretur, quae quidem etiam simul causa erat ultimae ejus persecutionis Vindobonae, imo ipsius ejus mortis, cum ille a solo Patre Stark adjutus multis laboribus perficiendis esset impar. »

§ 22. *Rectoris generalis mandatis vel cum gravi incommodo est obsequutus.*

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 520. *ter.* « Quo amore et studio votis suis observandis fuerit addictus, ex fidelitate patet, qua ea ad vitae usque finem adimplebat, ita ut etiam urgentissimis circumstantiis induci non posset, ut eorum dispensationem peteret, quamvis omnes extra Italiam domus essent suppressae, nec ipse bellicosis illis temporibus in Italiam posset proficisci, ubi caeteroquin Congñis Collegia in regno neapolitano, et in provinciis Romanis eatenus a Gallis erant suppressa, quatenus novitios recipere amplius non possent, nec pro re nata spes affulsit, prout res jacebat fore ut Servo Dei vivente mutarentur conditiones in meliorem statum. »

§ 23. *Confirmantur dicta* §§ 5, 12, 13.

Et *infra fol.* 522. « Amorem erga suam Congñem Servus Dei tum facto ostendit, cum regiminis nomine optio ei daretur, ut aut Congñi suae renuntiaret, aut senex civitatem Vindobonensem et ditionem Austriacam desereret, illico enim posterius elegit. »

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 318. « Pater Martinus Stark narravit nobis, auctoritatem civilem Servo Dei optionem dedisse deserendi aut Congñem aut Austriam. Pater Hofbauer, quod per se patet, haud dubitavit deserere Imperium, et vocationi suae servare fidem. »

Num. 20. *De donis supernaturalibus.*

DE DONIS SUPERNATURALIBUS

ARTICULUS I.

De dono discretionis spirituum, ac scrutationis cordium.

(Ex Processu Apostolico)

§ 1. *In directione animarum discretione eminebat.*

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 312. *ter. respondit:* « V. S. D. non solum donum perscrutandi corda possidebat, sed etiam excellebat habilitate, animas, quae ejus directioni se dederunt, juxta cujusque indolem et necessitatem cum gravitate vel suavitate, aut sicut oportebat dirigendi. Hoc scio ex propria experientia et ex relatione omnium, qui apud V. S. D. opem spiritualem quaerebant, et mecum de rebus conscientiae locuti sunt.»

Et *juxta* 35. *Interr. fol.* 316. *respondit*: « Jam dixi, hominum corda perscrutari ei proprium fuisse, et in argumentum rei ex ore sociorum V. S. D. sequens factum afferre possum. Aliquando, uti saepe, et maxime aestate horis vespertinis facere solebat, cum discipulis suis ad fluvium Viennam, ubi major solitudo erat, deambulabat. Tum observabat virum transeuntem, et cognovit, illum aliquam rem corde revolvere, quia tam tristis et penitus perturbatus aspiciebatur. Dixit inde V. S. D. discipulis suis, ut aliquantulum retro manerent, et tardiore pede sequerentur; ipse vero prope illum virum accedens eum comiter salutavit, et oblato tabacco humaniter interrogavit, cur tam tristis incederet. Tum vir consilium se in aquam dejiciendi ei aperuit. V. S. D. tanta charitate eum admonuit, ut hic plane conversus a malo consilio recederet, et apud V. S. D. confessionem generalem perageret. Inter illos juvenes, qui V. S. D. comitabantur, erant, quantum memini, Madlener, Springer, Reiss et alii, quorum nomina hoc momento non recordor. Omnes isti jam defuncti sunt. »

§ 2. *Corda perscrutabatur; quod facto probatur.*

§ 3. *Virum a desperatione salvat.*

VIII. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 363. *respondit*: « Ven. S. D. gratiam quoque habuit, qua hominum corda admirabili lumine penetrabat. Cum quodam die cum socio juxta Danubium deambularet, repente socium reliquit, et celeri passu ad foeminam, quam antea, quantum scio, non noverat, et quae nunc gressus suos ad flumen dirigebat, approperavit. Nomen familiae hujus foeminae ignoro: nomen in baptismate ei datum erat Barbara, et mulier Consiliarii gubernii Anders ejus soror erat. Cum eo tempore debitum publicum reduceretur, ista persona octoginta fere millia florenorum modo haereditate acquisita, perdidit, et ex ditissima facta est pauperrima. Sacculi ideis imbuta, ideoque malo ferendo impar, juxta perversum mentis cogitatum, miseriam suam projiciendo se in Danubium terminare voluit. Sed infelici passu nondum facto Ven. Servus Dei eam attigerat, et suaviter consolando ad meliorem frugem eam reduxit. Ex eo tempore ipsi benefactor et dux spiritualis permansit, non solum vitam temporalem, sed etiam animam salvavit. Nam eo duce abhinc vitam valde bonam et mortificatam duxit. Post conversionem eadem per aliquod tempus notabile in conventu nostro in voluntaria paupertate et exercitiis pietatis vixit, et in hisce sacris propositis usque ad mortem perseveravit. Ejus soror, uxor consiliarii gubernii, saepius ei dixit: « Quare in tanta paupertate vivis? Veni ad nos, et de omnibus te providebimus. » Ipsa vero respondere solebat: « Meliora novi, et haec sequor. » Quae hic deposui, ex ore dictae foeminae accepi. »

§ 4. *Item foeminam.*

§ 5. *Quam ad veram pietatem deduxit.*

Aliud documentum, quomodo Ven. Servus Dei corda penetrabat, sequens est factum: Ven. Servus Dei saepius mihi gaudium suum communicare dignatus est, quod discipuli ei parabant. Aliquando novum inter ejus discipulos vidi,

§ 6. *Exemplum, qua perspicacia corda penetrabat, affertur.*

qui inter Missam coram Sanctissimo exposito celebratam, et ad benedictionem pomeridianam ad altare in cornu Evangelii genuflexus cantica Ecclesiae perbelle cantabat. Sumpsi igitur libertatem congratulandi Ven. Servo Dei de novo discipulo. Sed quantum obstupui audiens responsum: « Hunc non retineo, » et cum hoc diceret, suavitas et sancta gravitas ex ejus facie resplenduit. Cumque meam admirationem adverteret, addidit: « Intuere eum! animum inquietum in vultu et actionibus prodit. » Ven. Servus Dei recte judicavit: juvenis inconstans paulo post sanctam fidem, quam brevi ante Romae per sacrum baptismum receperat, dereliquit. Nomen ipsi Wolf erat, eum jam mortuum esse dicunt. »

II. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 224. *respondit*: « Recordor, ipsos (discipulos V. S. D.) dixisse, Ven. Servum Dei donum praesertim perscrutandi corda possidere. »

IX. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 421. *ter.* « Ven. S. D. certe donis supernaturalibus ornatus erat; idest a Deo gratiam accepit, in salutem animarum et utilitatem S. Ecclesiae extraordinaria operandi. »

§ 7. *Mens V. S. D. a Spiritu S. illuminata fuit.*

Fol. 422. « Certum est, V. S. D. donum habuisse tali modo in cordibus hominum legendi, uti solum particulari illuminatione Spiritus Sancti fieri potest. In sacra confessione facile videbas, secreta cordis ipsi esse aperta. Erat in conventu nostro candidata, cui multae tentationes contra vocationem religiosam superandae erant. Quodam die jam firmum consilium ceperat abeundi ex conventu. Tum Ven. Servus Dei prope ad eam accedens dixit. « *Francisca,* (sic vocabatur) *maneas in conventu, ad id tu vocata es a Domino.* » Erat valde stupefacta ex eo, quod Ven. Servus Dei consilium suum, quod nemini communicaverat, sciret. Admonitio Ven. Servi Dei rem decidit: omnia dubia candidatae evanuerant: mansit in conventu et hodie adhuc in eo vivit. Annos octoginta tres nata est, et memoriae satis debilis, nunc ei nomen est Regina. »

§ 8. *Probatur exemplo Novitiae.*

« Foemina quaedam dives ruina pecuniaria, quam Austria subiit, quasi totam fortunam perdidit; cumque secundum principia mundi viveret, dolorem propter egestatem conceptum sustinere non potuit; unde consilium cepit, praecipitandi se in Danubium et vitam terminandi. Jam ad ripam Danubii progressa erat, malum consilium executura, cum Ven. Servum Dei conspiceret prope accedentem et dicentem; « *Noli mortem tibi consciscere, et aeternam beatitudinem perdere.* » Haec verba animam infelicis foeminae ita penetrarunt, ut ad meliores sensus reversa et vere contrita peccata sua confiteretur, conscientiam suam mundaret, et vitam christianam, pietatis studio decoram, inciperet. »

§ 9. *Confirmatur dictum §§ 4. et 5.*

Ven. S. D. illam personam minime noverat, et solum ex superna illuminatione in illius corde funestum consilium mortem sibi inferendi legebat. Eadem foemina postea in nostro

conventu vixit, et vitam valde aedificantem duxit, et ex ipsius ore ego et aliae religiosae percepimus, quae modo deposui. »

I. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 190. *ter. respondit* : « Cum V. S. D., ut jam superius dixi, semper ab officio publicae securitatis observaretur, quodam vespere, cum discipuli plures apud eum essent, duo viri tamquam viatores peregrini ipsum invisere cupientes introducti sunt. Cum unus horum multa et varia loqueretur, et monstraret se multa itinera fecisse, multa regna et oppida vidisse, et multos viros celebres cognovisse, alter virum simplicem fingebat. Sed Pater Hofbauer statim eos perspexit, quod etiam animadvertisse videntur, nam post breve tempus abierunt. Postquam egressi fuerant, dixit Ven. Servus Dei: « Isti domini non sunt viatores externi; Vindobonae habitant, et indicabat, ambos officio secreto securitatis publicae addictos esse. Nec amplius redierunt. »

§ 10. *Animi intentiones cognovit.*

I. Testis ex officio *juxta* 35. *Interr. fol.* 693. *ter. respondit:* Utique credo, V. Servum Dei donis supernaturalibus ornatum fuisse, et in argumentum hujus rei depono quod sequitur. Una ex nostris consororibus Theresia Gonzaga Scharfenberger, hodie Superiorissa conventus nostri in Gleink in Austria superiori, cum adhuc in saeculo viveret, Patris Hofbauer poenitens, quodam die in concione audita primos sensit vocationis religiosae stimulos, et Ursulinarum Congr. ingredi decrevit. Cujus pater cum expressis verbis ediceret, se nunquam per totam vitam suum assensum praestiturum, illa conscientiae se satisfecisse reputavit. Sed quamvis interna inquietudo inde non tolleretur, tamen confessarium haec certamina interna celabat. Magno inde stupore perculsa est, cum P. Hofbauer, audita confessione, ei diceret: « *Salesianum Institutum amplecti debes: ego ipse, ut recipiaris, rogabo.* » Haec verba audiens cognovit, V. Servum Dei cor ipsius penetrasse. Sed haec verba erant verba pacis animae, quae omne certamen internum extinxerunt, et altissimam pacem attulerunt. Paulo post ordinem Visitationis Mariae ingressa, nunc jam supra quinquaginta annos in imperturbata tranquillitate Deo deservit, grata semper retinens memoria, Patris Hofbauer oculum penetrantem et clarum verbum, post Deum, gratiam vocationis et internae pacis sibi procurasse. »

§ 11. *Alio exemplo monstratur, ipsum interiora cordis perspexisse.*

II. Testis ex officio *juxta* 35. *Interr. fol.* 760. *ter.* « Corda perscrutatus est: hoc nominatim Ursulinae, aliaeque personae, quae ejus directioni spirituali se submiserant, asserebant. »

§ 12. *Confirmantur dicta* § 2. *et alias.*

X. Testis (Emus Cardinalis Rauscher) *fol.* 451. *ter.* « Ven. Servo Dei adhuc superstite audivi dicentes, futura eum praevidere, nec non cordium abdita perscrutari. »

(Ex Processu Ordinario)

I. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 116. « Donum discretionis spi-

Et *fol.* 191. *ter.* « Cum summa autem certitudine Ven. Servus Dei pluribus personis mortem suam vicinam, et propagationem Congregationis post mortem secuturam praedixit. Nunquam audivi, Ven. Servum Dei de donis supernaturalibus a Deo ipsi concessis esse locutum, certe nunquam in propriam laudem. »

§ 17. *Suam mortem et propagationem Congregationis praedixit.*

VII. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 317. *ter. respondit* : « Venerabili S. D. etiam gratiam concessam fuisse modo extraordinario cognoscendi res futuras, pariter ex ore praedicti Clementis de Klinkowstroem confirmare possum. Cum aliquando Ven. S. D. in domum Friderici de Klinkowstroem veniret, ejus mulier lacrymans ei obviam venit et dixit, unum ex infantibus graviter infirmare, et morti jam esse proximum. Ven. S. Dei ad infantem deductus matrem consolabatur hisce verbis: « *Nihil est* ; *parvulus hoc vespere famem habebit, et manducabit.* » Tum infanti benedixit leviter genam ejus percutiens; uti praedixit, factum est adamussim, et puer tunc moribundus adhuc vivit. »

§ 18. *Praedicit, infantem moribundum sanitatem brevi recuperaturum.*

VIII. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 364. *ter. respondit* : « V. S. D, donum habuisse prospiciendi in futurum et res praevidendi, quae calculo humano cognosci haud possunt, ex sequentibus patebit. Tempore Novitiatus semper infirma fui, et propterea angustiata, ne me dimitterent. Aperui Ven. S. D. angustiam meam, et ipse me consolatus est dicens : « *Professionem emittes, sana eris, et multis, quae nunc genas roseas habent, superstes eris.* » Paulo ante professionem iterum infirmabar, eique angustiam circa professionem manifestavi. Respondit : « *Tamen vota emittes, et cum ad annum vigesimum octavum perveneris, sana eris : imo tu vetus scatula fies* » (in dialecto austriaco pro matercula aetate provecta). Sed ego cogitavi, hoc nihil me juvabit, nam opus est, ut cum annum vigesimum quartum agam, videlicet post terminatum Novitiatum, sanata sim. Revera conventus, cum de mea admissione ad vota ageretur, declaravit, me non posse admitti, cum semper infirmer. Cum vero Superiorissa hoc V. S. D. annuntiaret: « *Ah* ! , inquit, *admitte eam ad vota : sana erit, longam vitam aget, et Communitati multa servitia reddet.* » Ad hoc verbum statim admissa sum; sciebant enim judicio V. S. D. coëlitus illuminato firmiter fidendum esse. Quod praedixit, exacte adimpletum est. Cum annum vigesimum octavum agerem, bona valetudo mihi restituta est : nunc annos septuaginta sex nata sum, et annum quinquagesimum secundum professionis meae ago.»

§ 19. *Testi longam vitam praedixit.*

Et *fol.* 367. *ter.* « Ad probandum, V. S. D. gratia Dei opitulante res futuras habuisse perspectas, adhuc adducere possum, ipsum quoad propagationem Congregationis suae saepe, et quidem paulo ante obitum haec memorabilia verba enuntiasse.:« *Oportet prius moriar; tunc demum Congregatio diffundetur; tunc apud Deum plus pro meis facere potero, quam hic vitam agendo.* » Haec verba ipsa ego ex ejus ore au-

§ 20. *Confirmantur dicta* § 17.

§ 24. *Alia praedictio confirmatur eventu.*

Et *juxta* 35. *Interr. fol.* 694. « Materterae meae defunctae Ludovicae de Klinkowstroem filium graviter aegrotantem morti vicinum ratae et valde afflictae dixit V. S. D. « *Esto quieta; tibi nulla moritur proles.*» Et factum est ita; omnes quinque filii, qui tunc vivebant, hodie adhuc vivunt; mater ipsa eodem die, quo sextum genuerat, simul cum illo mortua est anno post obitum P. Hofbauer.»

§ 25. *Confirmantur dicta* §§ 17. *et* 20.

II. Testis ex officio *juxta* 35. *Interr. fol.* 760. *ter. respondit*: « Sic etiam pluribus personis, uti duabus Biringer, sorori Thaddaeae mortem sui ipsius proximam praedixit, cum adhuc sacrum ministerium exerceret. »

§ 26. *Tristem exitum juveni Jahn praedixit.*

Propagationem suae quoque Congregationis praedixit hisce verbis « *Post mortem meam satis domorum habebitis*: « Cum adhuc in conventu Praemonstratensium Bruck commoraretur, Joanni Jahn, qui postea biblicorum studiorum professor factus est, haec dixit: « *Plus ores oportet, alias res tuae malum habebunt exitum*: » Quam juste V. S. D. judicaverit, ex eo patet, quod ille Professor Jahn doctrinis suis anticatholicis triste sibi nomen comparavit. »

§ 27. *De proxima suppressione domus Varsaviensis commonefactus.*

« Ante suppressionem domus Varsaviensis, et quidem proprie paucis diebus ante illam V. S. D. coram Sanctissimo preces fundebat; cumque ad verba pervenisset: « Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea, exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus, » V. S. D. subitaneo tremore in omnibus membris percussus est: cumque ea de re secum cogitaret, eumdem tremorem iterum persensit. Tum intellexit, magnam tribulationem sibi imminere. Humiliavit se coram Deo, in manus Domini se committens, ac revera paulo post certior factus est, signatum jam esse decretum expulsionis, et omnes ejectum iri. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 28. *Arcana cordium dignosceus, prospiciebat quid timendum vel sperandum de variis hominibus esset.*

II. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 156. *ter. respondit*: « Mihi eo tempore Theologiae studio aegre incumbenti aliquoties praedixit, concionantem me multos habiturum auditores, sed « *timeo solummodo superbiam* » inquit. Persuasum deinde mihi est, Servum Dei prophetico oculo futura nonnulla vidisse, et multa quibusdam praedixisse tum consolationis tum admonitionis ergo, facta vero ea de re adducere nequeo. Ad alios de me dixit: « *Membrum Congregationis perutile erit, dummodo agere cum eo scient.* » Haec Patris Hofbauer effata ea esse credo, quae omnino superant ordinariam conjecturam et naturalem sagacitatem. »

§ 29. *Mortem suam praedicit.*

Et *juxta* 32. *Interr. fol.* 165. « Mortem suam eum praevidisse, et etiam praedixisse, ex repetita pluries assertione deduci potest, se nempe Congregationis suae propagationis non fore superstitem, quod verbum tunc etiam repetebat, cum de religiosa domo Vindobonae aperienda nullum superesset dubium, et revera obiit ante hujus Vindobonensis domus fundationem. »

Et *juxta* 22. *Int. fol.* 152. *ter.* « Si insolitum quid vel egisset vel dixisset, nunquam admirationis motus inde exortos delere omisit, aliquid specie tenus leve vel ridiculum subito faciens. Ita exempli gratia memini, eum aliquando, quum de Congregatione fieret sermo, prophetice esse effatum: « *Me vivo nihil fiet, me demortuo monasteria erigentur in abundantia.* » Quo dicto super uno pede se vertens circulum descripsit, quasi indicans: Sicut stultus locutus sum. »

§ 30. *Quae post ejus mortem essent eventura prospexit.*

Et *juxta* 25. *Interr. fol.* 156. *ter.* « De Congregationis propagatione post suam demum mortem secutura Servus Dei pluries me praesente est loquutus. »

VII. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 247. « Saepe ex Servi Dei ore haec audivi verba: *Prius mori debeo, et tunc demum Congregatio mea propagabitur.* »

§ 31. *Congregationis suae introductionem in Austriacam ditionem praenuntiat.*

VIII. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 257. *ter.* « Confirmare possum, Servum Dei saepe edixisse: « *Admissio Congregationis in ditionem Austriacam tamdiu a Sua Majestate non subsignabitur, donec ego defunctus ad Deum pervenerim.* » Et revera mortuus est una hora ante relativi decreti subsignationem. »

X. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 301. « Saepe etiam a Patre Hofbauer audivi verba haec omni cum firmitate prolata: « *Congregatio mea in Austria introducetur et inter diversas nationes diffundetur, sed nonnisi post meum obitum.* » Et factum est ita. Ista verba erant prophetia, ad litteram adimpleta. »

XI. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 319. « Saepius etiam narrari audivimus, fore ut Congregatio SSmi Redemptoris mox etiam Vindobonae introduceretur. Summa affectae hac de re laetitia Patrem Hofbauer adeuntes interrogavimus, an verum esset, Vindobonam proximo jam tempore hujus Congregationis esse fruituram fortuna. Ad omnes ejusmodi interrogationes Pater Hofbauer respondit: « *Nequaquam, quamdiu vivo ego, sed post meam demum mortem.* »

§ 32. *Et ejusdem propagationem ac diffusionem in diversis populis.*

XIX. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 431. « Testari possum, Servum Dei praedixisse Congregationis SSmi Redemptoris post mortem suam propagationem et diffusionem in diversis populis. »

XVIII. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 450. *ter.* « Donum scrutationis cordium supra jam memoravi. Ejus mens supernaturali lumine futura prospiciens in multis casibus eluxit, praesertim autem bene recordor, eum Congregationis suae propagationem post mortem suam secuturam (prout et accidit) clare praenuntiasse. Singula verba memoriâ sunt elapsa. »

XXIX. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 600. *ter.* « Hoc solum adhuc noto, Patrem Hofbauer ante ultimum suum morbum iterum atque iterum edisseruisse: « *Me demortuo multae Congregationis domus erigentur et subsistent.* »

XVI. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 388. *ter.* « Ex relatione Mariae Rizy saepius jam adductae deponere possum, quae certe huc spectant. Ipsa nondum absoluta educatione Co-

mitissarum Gileis, ut in religionem susciperetur, petere statuerat. Servus Dei, quem hoc in negotio consuluerat, id dissuadens dixit, eam finita educatione praefata nec obstante aetate religionem ingressuram; et revera post plures annos (ni fallor anno 1831.) in Congregationem Monialium SSmi Redemptoris recepta fuit, cujus fundationem eo tempore, quo Servus Dei praefatam fecerat praedictionem (quod anno 1819. fuerit) nemo suspicari poterat, idque eo minus, cum ne sacerdotum quidem de SS. Redemptore nominatorum Congregationis fundandae spes affulgeret. »

§ 33. *Confirmatur dictum* § 21.

Rursus XIX. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 431. *ter.* « Narrari audivi, Servum Dei foeminam diversis ex causis in nullo monasterio receptam his consolatum esse verbis: « *Pluribus elapsis annis religionem ingredieris, nec aetas tibi impedimento erit.* » Reapse pluribus post annis in Congregationem Monialium SS. Redemptoris Vindobonae recenter erectam suscepta fuit, quamvis nemo, quo tempore Servus Dei hoc praedixit, posset suspicari, fore, ut talis unquam suscitaretur Congregatio. Hanc praedictionem a Patre Hofbauer factam ferunt Benedictae Rizy, quae conscientiae expiandae causa ad me venit in Retz, cum esset adhuc educatrix in familia Gileis in Schrattenthal. Postea eam saepe vidi, cum esset Monialis SS. Redemptoris in Monasterio ad Rennweg Vindobonae, et suppresso Monasterio Steinensi, in quo diu fuerat Superior, Eggenburgium venit ibique ante duodecim circiter annos mortua est. »

Rursus II. Testis *juxta* 26. *fol.* 157. « Mirabilium in proprio sensu operum, quae Servi Dei meritis immediate tribuere possem, unum tantummodo valeo referre, cujus quod meminerim, unicus ego testis fui. Quodam nempe mane in domo domini de Klinkowström me versante ejusdem infantulus (cujus nomen indicare nescio) graviter infirmabatur. Puer unius fere anni frigidus et pallidus, oculis quasi caligantibus jacebat in brachiis matris ex transverso, capite pedibusque hinc inde pendentibus. Ingresso Patri Hofbauer obviam tulit mater lacrymans infantulum. Cujus genam leviter ille percutiens: « *Nihil est*, inquit, *hoc vespere infans appetet cibum*, » quod et revera accidit. Ipsum morbum scientifice definire nequeo, quum eo tempore nollem agere medicum contra medicum domesticum Doctorem Vivenot seniorem. Nec omittenda ea est circumstantia, quod nempe tum domini de Klinkowström uxor, tum hujus soror, uxor domini de Pilat, spectatissimae pietatis erant foeminae. Quanto tempore infans antea jam aegrotaverit, nescio. »

§ 34. *Confirmatur dictum* § 18.

VIII. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 253. *ter.* « A Patre Martino Stark omnes moniales noverant, quod sequitur: Iter faciente Martino Stark cum Patre Hofbauer, cum deficiente pecunia coena quoque deficeret necessaria, illeque conquereretur, Servus Dei eum consolatus promisit lautam coenam, et eamdem repetiit promissionem, cum Martinus Stark promissi

eum commoneret: quod in diversorio nullo modo adimpleri videbatur, cum nihil ibi nisi parum straminis pro lecto recipere possent. In eodem diversorio duo viri chartis ludentes, lite exorta, conviciis atque blasphemiis inter se contenderunt. Servus Dei a lecto stramineo se eripiens, iratos placavit pacemque restituit. Alter virorum non solum resipuit, sed gratum erga Servum Dei se exhibens comiter invitavit eum, ut cum Martino Stark suae participaret coenae. Tunc Servus Dei socio: « *Videsne*, inquit, *Martine, Deum non derelinquere servos suos.* »

§ 35. *Esurienti socio lautam coenam praenuntiat, etsi uterque opibus esset destitutus.*

VIII. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 262. « Cum Pater Hofbauer morti proximus esset, conventus nostri serva, ejusdem ac sacerdotum ejus servitio destinata, ad moribundi lectulum stans flevit amare, quam Pater Hofbauer consolatus: « *Maria Anna* (inquit) *noli flere, perbrevi enim ad me venies.* » Et ista persona plena tunc valetudine fruens, nec ullum infirmitatis vestigium ostendens, post paucos (nisi fallor octo) dies mortua est. »

§ 36. *Piae foeminae vicinam mortem vaticinatur.*

Et *juxta* 25. *Interr. fol.* 256. *ter.* « Opinio viguit multum diffusa cui et ego adhaereo, Patrem Hofbauer donum habuisse non solum scrutandi hominum corda, sed etiam res futuras praenuntiandi, ita ut ipso duce ad eas quis sese praeparare posset. Ipsa ego experta sum, praemonitiones ab eo mihi factas per totam vitam meam fuisse adimpletas, de quibus cum res conscientiae et sortem meam in conventu respicerent, uberius deponere conscientia vetat.

§ 37. *Aliae V. S. D. praeditiones impletae.*

I. Testis *ad art.* 122. *fol.* 122. *ter.* « Ni fallor res mea hic agitur. Anxie enim aliquando de salute aeterna me sollicitum Pater Hofbauer his consolatus est verbis: « *Ingredieris Congregationem et animae tuae salus in securo erit* ». Et eodem momento solatio perfusus et de salute tranquillus fui. Nec minus verum est, me introducendae Congregationi Vindobonae quantum potui operam impendisse. »

§ 38. *Patri Madlener ingressum in Congregationem praedixit.*

XXV. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 524. « Pater Hofbauer narravit personae adhuc Vindobonae viventi, virgini N. Biringer prout mihi relatum est (a quo nescio), se modo supernaturali de S. Fundatoris obitu habuisse notitiam. Cum enim Varsaviae versaretur cum Patre Hübl, quondam inopinato fortem audiverunt ictum in cubiculo, quo audito Pater Hofbauer ad Patrem Hübl: « Nunc certe, inquit, Fundator noster sanctus Alphonsus mortuus est ». Pater Hofbauer accuratissime notavit diem et horam, qua ictum audiverant. Accepto postea nuntio obitus S. Alphonsi, mortis tempus apprime congruit cum ea monitione, quam acceperant mediante ictu. «

§ 39. *Varsaviae commorans S. Alphonsi obitum divinitus agnovit.*

ARTICULUS III.

Singulari sapientia et scientia divinitus infusa V. S. D. decoratus fuit.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 187. *respondit*: « Persuasum mihi esse profiteor, V. Servum Dei etiam donis supernaturalibus fuisse ornatum. Prudentia extraordinaria praeditus fuit, ita ut credendum sit, sapientiam supernaturalem ipsi desuper communicatam fuisse. In juventute sua per breve tempus studiis vacaverat, postea vero per longum tempus pistoris artem exercuerat, et vitam eremiticam duxerat, ita ut paucae illae cognitiones quas juvenis acquisiverat, deperire deberent. Studia quoque philosophiae et theologiae brevissimo tempore absolvit, et cum sacerdotio initiatus valde semper occuparetur, nescitur, ubi illam profundam scientiam sibi comparaverit, quam homines in eo admirabantur. Doctissimis viris ipsi quaestiones et dubia proponentibus rectissime respondere noverat. Hujus rei unum exemplum adduco. Tempus erat, quo Michael Sailer, tum Professor Landishuti, postea Episcopus Ratisbonensis, summa auctoritate apud Clerum Germaniae gaudebat. Si quis literaturam in pretio habebat, non solum libros Sailerii in armario, sed etiam ejus imaginem ante se in cubiculo studiorum affixam habebat. Qui Sailerii libros non noverat, tamquam idiota reputabatur, qui vero eum viderat, aut etiam alloquutus fuerat, beatus praedicabatur. Eo tempore etiam Petrus Furerius Ackermann, doctus et humilis Professor in Universitate Vindobonensi, Sailerii opera sibi comparavit. Sed post breve tempus quaedam in iis inveniebat, quae ipsi suspecta videbantur. Cum vero proprio judicio non fideret, V. S. D. adiit, ejusque judicium exquisivit. Cum autem ab eo audiret, Sailerii opera non sibi videri libera saltem ab omni aura heterodoxiae, statim omnes Sailerii libros ex sua bibliotheca removit. Tantum apud viros doctos sui aevi judicium V. S. D. valebat. »

§ 40. *Scientia profunda ornatus fuit, quamvis per breve tempus studiis incubuisset.*

§ 41. *A doctissimis viris ejus judicium exquirebatur.*

« Si ipsi aliquod scriptum praelegebatur, aut si alicujus libri assertiones ei communicabantur, ejusque judicium expostulabatur, omni dissertatione praetermissa extemplo paucis verbis indicavit, quod non esset omnino catholicum jocando addere solitus: « *Nasus mihi est catholicus.* » Hoc joco eum lumen Fidei superius sibi datum abscondere voluisse manifestum est. »

§ 42. *Paucis verbis de valore librorum recte judicavit.*

I. Testis ex officio *juxta* 24. *Interr. fol.* 679. *ter. respondit*: Clara, qua pollebat intelligentia, lumine supernaturali illuminata summopere ad dirigenda gravissima negotia capacem eum fecit, maxime vero ad ea, quae praeter plurimam prudentiam interiorem sanctitatem requirunt. »

§ 43. *Divinitus illuminatus gravissimas res optime gerebat.*

Et *juxta* 28. *Interr. fol.* 686. « Comparuit sicut homo a Deo illuminatus. Perspicere poteras, ipsum semper cum Deo intime esse conjunctum, et quasi ex sublimiori regione mundi sensa sua recipere. Credo, sanctos ita hominum conspectibus se exhibuisse. »

§ 44. *Confirmatur dictum* § 40.

II. Testis ex officio *juxta* 35. *Interr. fol.* 760. « Admirabilis fuit sapientia et scientia Ven. Servi Dei, quae certe scientiam mere humanam superabat. Cum per breve tantum tempus et satis irregulariter studiis vacasset, antequam sacerdotio initiaretur, et postea tamquam Missionarius nimium occuparetur, tum ut Congregationem regeret, tum itinerando, vel confessiones audiendo, omnes stupebant et admirabantur, cum eum tanta exactitudine theologica, et tanta facilitate concionantem audirent. Viri eo tempore inter theologos et philosophos doctissimi, uti Zaengerle et Ziegler, quorum prior Episcopus Seccoviensis, alter vero Linciensis factus est, Professor Ackermann, Zacharias Werner, Fridericus de Schlegel, dominus de Schlosser etc. etc. altam opinionem de sapientia et scientia Ven. Servi Dei habuerunt. »

§ 45. *Viri doctrina eminentes de ejus scientia altam opinionem habuerunt.*

« Emus Cardinalis Rauscher etiam ejus concionibus intervenit, et principaliora capita scriptis notavit. Zacharias Werner adeo sapientiam Ven. Servi Dei aestimabat, ut cum tempore aestivo rus habitatum iret, poenitentes ad Ven. Servum Dei mitteret, dicendo: « *Vale, nam si semel apud Patrem Hofbauer fueris, ad me miserum non redibis.* »

(Ex Processu Ordinario)

§ 46. *Scientiae infusae documenta dedit.*

I. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 114. *ter.* « Sermo illi tum in pulpito et confessionali, tum in conversatione adeo simplex et omnis artis expers, (quamvis virum proderet in theologia bene fundatum) ut quam in fidem et vitam tum doctorum tum rudium hominum exercebat, mirabiliter vis se manifestaret. *Argumenta dedit scientiae infusae,* nec temere asseritur, successus sermonum Servi Dei non ex humano loquendi modo, sed ex speciali gratia Dei provenisse. »

« Paucis verbis heterodoxos saepe ad amplectendam veram religionem, peccatores ad poenitentiam, pios ad majorem induxit fervorem. »

§ 47. *Paucis verbis heterodoxos et peccatores convertit.*

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 148. « Res literarias, poëticas, doctas hypotheses, dogmaticas speculationes aut doctrinas mysticas mirabili celeritate et acie dijudicabat. Ejusmodi veros aut putativos scientiae fructus *cum scientia supernaturaliter obtenta* se conferre, non poterat dissimulare. »

XXIX. Testis *juxta* 15. *Interr. fol.* 580. *ter.* « Nescio quidem, quo in loco studiis vacabat theologicis, sed Pater Hofbauer in omnibus disciplinis theologicis solide erat instructus. Ego et amici mei saepe obstupuimus ob amplas ejus cognitiones et modum, quo difficiles theologicas quaestiones nullo negotio solvere valebat. »

ARTICULUS IV.

Simplici sermone, vel solo aspectu admirabiles conversiones effecit.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 188. *respondit*: « Vere admirabiles conversiones peccatorum, incredulorum et haereticorum concionibus suis effecit. Allioli, Praepositus Cathedralis Augustanae, cum brevi abhinc tempore de Ven. Servo Dei, quem ille Praepositus bene noverat, sermo esset, sacerdoti cuidam dixit: « *Pater Hofbauer ipse miraculum fuit, ejus conciones quantumvis simplicissimae stupendos sane effectus produxerunt.* »

§ 48. *Concionibus simplicibus admirabiles produxit effectus.*

Et *fol.* 190. « Jam supra dixi Ven. Servum Dei saepe paucis verbis Protestantes induxisse, ut fidem catholicam amplecterentur. Imo solus aspectus Ven. Servi Dei in pluribus recta via digressis, et a Deo alienatis tantum effectum produxit, ut in ejus praesentia nec stare possent. Sic quidam actor comicus theatri imperialis, nomine Baumann sive Beckmann saepe domum domini Pilat adiit; quotiescumque vero etiam Ven. Servus Dei eo veniebat, comicus statim discedebat. Cum idem saepe contingeret, Pilat eum interrogavit, quare statim abiret quando Pater Hofbauer veniret. Et Beckmann respondit: Est haec causa particularis: si diutius in praesentia hujus sacerdotis maneo, sentio, quasi res, quae meae deliciae sunt, derelinquere, apud eum confessionem peragere, et converti deberem; sed haec mihi non arrident. Dicit autem libera Baronessa Rieger eumdem comicum se se tamen superasse, apud Patrem Hofbauer confessionem peregisse, et revera esse conversum. »

§ 49. *Solus aspectus animas commovit, convertitque.*

XVIII. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 615. « Forsitan huc spectat, quae ex ore supradicti Schmidt referre possum. Erat ille, sicut mihi confessus est, in juventute sua satis levis. Quodam die magis ex consuetudine, quam ut sacro assisteret, in ecclesiam Ursulinarum se contulit, et primo quidem in inferiore parte ecclesiae consistens, plane inverecundus oculos circumferebat, postea vero, cum duas adolescentulas in parte superiore ecclesiae conspexisset, ad eas se protrusit. Sed ecce comparuit V. S. D. SS. Sacramentum portans, infirmo illud delaturus. Cum prope me venisset (sic ille narravit) oculos penetrantes, et timore me perstringentes in me conjecit. In me reversus peccatum meum cognovi, et apud eum confessionem peracturus eum adivi: inde vitam christianam ducere incepi. Schmidt hoc factum initium suae conversionis et salutis animae dixit: hodie est vir probus, bonus christianus. »

III. Testis *juxta* 28. *Interr. fol.* 234. *ter. respondit*: « Ejus sim-

§ 50. *Divinitus ei donum convertendi animas concessum erat.*

plices conciones effectus valde admirabiles produxerunt, iisdem enim viri eruditione eminentes conversi sunt, exempli gratia, Pictor Veit, Fridericus de Schlosser cum uxore sua, quibus patrem meum adnumerare mihi liceat, qui Ven. Servo Dei usque ad obitum confessario usus est. Cum zelo infatigabili, et immenso fructu Ven. Servus Dei audiendis confessionibus incubuit. »

Et *juxta* 35. *Interr. fol.* 242. *ter. respondit*: « Juxta meam persuasionem effectus mirabiles concionum, quae simplices et omni ornatu destitutae erant, inter dona particularia supernaturalia, quibus Ven. Servus Dei ornatus fuit, numerandi sunt. »

§ 51. *Ejus sermo igni ardenti et gladio transfigenti comparatur.*

IV. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 258. *ter. respondit*: « Bene recordor verbum Ven. Servi Dei concionantis permagna vi corda penetrasse. Simile fuit flammae ignis subito corda accendentis, vel gladio animam transfigenti, et utique mihi persuasum est, effectus sermonum Ven. Servi Dei particulari gratia tantum Spiritus Sancti explicari posse. »

VII. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 316. *respondit*: « Ven. S. D. sacra industria tum in pulpito, tum in sacro tribunali, tam extraordinariis effectibus coronata fuit, ut recte dicendum sit, particularem gratiam Spiritus Sancti ei adstitisse. »

VIII. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 362. *respondit*: « Quantum scio, Ven. Servus Dei etiam donis extraordinariis ornatus fuit. Quod ad ejus conciones spectat, verbum Dei stylo simplici, familiari, sine omni verborum pompa (hanc enim summopere oderat) enuntiavit. Ex ejus modo concionandi clare videbas ipsum non suum honorem, sed gloriam Dei et salutem proximi quaerere. Sed locutus est cum virtute et vigore, et aliquando quodam sacro ardore accensus. Ejus verba, quae omnia de corde veniebant, corda quoque audientium penetrabant. Qui ejus conciones audiebat, operationi divinae gratiae resistere non poterat, et libenter faciebat, quod proposuit et monuit. Eo loquente magna fuit quies inter auditores qui erant numerosissimi. Cum summa attentione excipiebant ejus verba. Saepe auditores ita commoti sunt, ut fletum et singultum continere non possent, et quod majus est, tantam vim et benedictionem Deus verbis Servi sui concessit, ut numerosae et extraordinariae conversiones sequerentur. »

§ 52. *Ipsum audientes divinae gratiae resistere non poterant.*

« Negari non poterat, istas conversiones fructus esse gratiae Spiritus Sancti, qui modo extraordinario Ven. Servum suum in pulpito illuminabat et ornabat. »

IX. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 421. *ter. respondit*: « Ven. S. D. certe donis supernaturalibus ornatus erat, idest a Deo gratiam accepit in salutem animarum et utilitatem S. Ecclesiae extraordinaria operandi. Ven. Servus Dei annuntiando veritates divinas, oratione simplicissima usus est, et tamen effectus extraordinarios produxit. Ejus verba erant scintillae inflammatae, quae omnium corda incendebant; erant

gladius animam transfigens. Auditores saepe copiosas lacrymas effundebant, et innumerae conversiones ad fidem et vitam catholicam sequebantur. Paucis verbis haereticos saepe ad veram religionem, peccatores ad poenitentiam, pios ad majorem zelum perduxit. Ejus verbis gravibus et persuasione plenis cessit omne dubium, tentationes sunt repulsae, omnis animi dolor sanatus est; id quod ipsa saepius experta sum. Omnino persuasum mihi est, hos fructus instructionum Ven. Servi Dei tunc tantum recte explicari, si pro certo tenes, gratiam extraordinariam Spiritus Sancti ejus verbis adstitisse. » § 53. *Saepe lacrymas fundebant.*

II. Testis ex officio *juxta* 28. *Interr. fol.* 733. *ter. respondit*: « Omnes, eo qui tempore V. S. D. noverant, et ejus labores propriis oculis videbant, de ejus extraordinaria sacra industria, ac de miraculosis conversionibus, sive in pulpito, sive in sacro tribunali, et ad lectum infirmorum, nec non familiari conversatione cum studiosis Universitatis et juvenibus Officialibus, eum in habitatione sua inviscentibus, obtentis enarrando non satiabantur. » § 54. *Miraculosas conversiones operabatur.*

(Ex Processu Ordinario)

I. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 114. *ter. respondit*: « Paucis verbis heterodoxos saepe ad amplectendam veram religionem, peccatores ad poenitentiam, pios ad majorem induxit fervorem. »

II. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 155. *ter.* « Quod attinet vim sermonis supra jam memoravi, conciones Servi Dei simplices, absque studio, sed summae fuisse efficaciae in auditores. » § 55. *Paucis verbis heterodoxos convertit ad fidem, peccatores ad poenitentiam.*

Et *infra fol.* 156. « Quod in sacro tribunali, sive etiam in quotidiana loquebatur conversatione, plerumque ita erat simplex, ut inter illud et effectus productos nulla esse videretur comparatio, et alius nihil omnino profecisset. Quando vespere madefactus et defatigatus a meatibus suis domum rediens atque cubiculum juvenibus plenum inveniens more solito subridens exclamabat: « *Egregii vero homines! Egregia nimirum gens?* » omnes tanto affecti erant gaudio, quasi honorificentissimo titulo eos fuisset alloquutus. Peculiaribus tamen datis occasionibus, verbis suis solemni elocutione robur nervumque addere valebat, » § 56. *Simplicissima verba magnos produxerunt effectus.*

V. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 196. *ter.* « Vidi Servum Dei saepissime inflammatum divino spiritu in pulpito et ejus audivi concionem, quae ita attrahebat fideles, ut ecclesia iis impleretur. Homines docti haud raro ad magnam ecclesiae portam stantes obstupescebant de simplicitate, auctoritate, et virtute verbi in ore Servi Dei. Admirabantur facilitatem, qua instruebat, convincebat et movebat, et cognoverunt eum tum S. Scripturae, tum SS. Patrum amplam habuisse cognitionem. » § 57. *Sermo ejus virtute plenus animos attrahebat.*

VI. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 235. *ter* « De ejus modo con-

§ 58. *Sapientiae et scientiae infusae donum in V. Dei Famulo eluxit.*

cionandi ut testis oculatus jam deposui nempe successum, quem habebat, nulla in relatione fuisse cum simplicitate sermonis, eumque nonnisi ex peculiari S. Spiritus auxilio posse explicari. Obligatum ergo me sentio meam persuasionem propria experientia et depositionibus jam factis innixam referre, Servum Dei coelesti sapientia a Deo fuisse ornatum. »

XVI. Testis *juxta* 25. *Interr. fol.* 388. « Propria experientia confirmare hic possum, eum verbum Dei simplicissimo quidem, sed adeo commoventi praedicasse modo, ut fructus extraordinarius dicendus, et peculiari Dei benedictioni sit attribuendus. Cujus rei saepius testis ipse fui, audiens ejus conciones, et praeprimis cum in ecclesia monialium Salesianarum concionem haberet pomeridianam. Paulo ante sermonem lectis iis, quae in catechismo Romano de consiliis evangelicis dicuntur, hac de re tam commoventi, populari, persuadenti et penetranti dixit modo, ut Moniales assistentes continere nequirent lacrymas. »

§ 59. *Lacrymas ab audientibus concionando eliciebat.*

XVII. Testis *juxta* 19. *Interr. fol.* 394. « In sacro tribunali indefessus erat, et maximo successu de sursum cumulatus; ejus agendi ratio valde paterna, mitis, fiduciam excitans, verbo animos lucrans saluti. »

XXIX. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 587. *ter.* « Adducere mihi liceat duos casus, quibus ego quidem testis non interfui, qui vero eo tempore contigerunt, quo Patrem Hofbauer jam noveram, quosque ab ipsis oculatis audivi testibus. Horum prior virum respicit graviter aegrotantem, qui saepius quodvis recusaverat auxilium spirituale, et fortiter fuerat aversatus. Pater Hofbauer a foemina pia ejusdem familiae de aegroti mente informatus et enixe rogatus, ut aegrum inviseret, hoc facere constituit, recitans pro more in via rosarium. Exhortationis ejus fructus mira sequebatur celeritate et fortuna. Paulo post aeger e vita discessit, verae contritionis et submissionis editis signis. »

§ 60. *Obstinatum alterius animum mira facilitate flectit.*

ARTICULUS V.

De mirabili luce circa V. S. D. diffusa, et de dono lacrymarum.

(Ex Processu Apostolico)

IV. Testis *juxta* 31. *Interrog. fol.* 257. *ter. respondit* : « Quodam die post concionem eum vidi celebrare Missam. Adstitit tamquam Sanctus summa reverentia perfusus, et ardenti amore transfiguratus, ita ut hoc aspectu penitus abreptus oculos ab eo avertere non possem: et hodie adhuc quoties hanc ecclesiam ingredior, illius aspectus, et magnae meae commotionis bene memini. »

§ 61. *Ad altare divino amore transfiguratus comparuit.*

VII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 306. *respondit* : « Manifestavit etiam V. S. D. ardentem charitatem et devotionem in

adoratione SS. Sacramenti altaris; maxime vero cum ante Sacramentum expositum genuflexus oraret, tota persona quasi transfigurata comparebat. »

§ 62. *De passione Dñi loquens in altos singultus prorupit.*

Fol. 310. *ter.* « Scio etiam ex propria experientia, V. S. D. nunquam de passione Jesu Christi loqui potuisse, quin in altos singultus prorumperet. »

§ 63. *Sacramentum manibus tenens Seraphico amore flagrabat.*

VIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 346. *respondit*: « Ad instar Seraphini ardebat ejus facies, et resplendebat jubilo, cum Dominum in SS. Sacramento manibus tenebat. »

IX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 385. *respondit*: « Qui V. S. D. sacram Missam dicentem aut benedictionem cum SS. Sacramento dantem conspiciebat, ejus devotione penitus rapiebatur et commovebatur. Ejus facies ita transfigurata comparebat, ut videres, ipsum cum Deo suo conversari. Plures sorores, praesertim sacristiae curam habentes mihi narraverunt se saepe observasse V. S. D. inter sacrificium Missae et in sacrae Communionis administratione lacrymas fudisse. »

§ 64. *Missam celebrans vel Communionem dans lacrymas fundebat.*

I. Testis ex officio *juxta* 24. *Interr. fol.* 678. *ter. respondit*: « Quodam die, postquam Missam in capella infirmorum celebrasset, dum gratias ageret, quasi extra se raptus videbatur. Suspirabat, et lacrymae abundantes ab oculis decurrebant: nec unum verbum ab eo obtinere poteras. Elapso demum nonnullo tempore quasi ex profundo somno evigilans cum tono summi doloris exclamavit: » *O infelix Polonia, quanta mala tibi imminent! quae crimina te subvertent: in sanguine natas.* »

§ 65. *Post Missam gratias agens extra se rapiebatur.*

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 688. *respondit*: « Optime memoria teneo, V. S. D. vespere, (fuit, credo, in Lilienfeld) cum omnes ad mensam collecti essemus, pulcherrimum canticum in honorem Deiparae incepisse. Cantabat oculis clausis, ex amore Deiparae quasi in ecstasim raptus, et mentes nostras ad aliquos versus maxime praestantes advertit. Ita vero canticum incepit:

§ 66. *In ecstasim raptus laudes Deiparae cantabat.*

» Montes et colles gaudete,
» Canite omnes, magni et parvi,
» Spargite lilia et rosas
» Castae Mariae Virgini.

Quaelibet stropha hoc finiebat modo:

» Canite et gaudete cum jubilo et sonitu! misericors Mater te salutamus omnes. »

Et *juxta* 28. *Interr. fol.* 696. *respondit*: « Quoddam lumen super ejus vultum effusum resplendere cernebas. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 67. *Luce circumfusus videbatur.*

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 514. *respondit*: « Philippus Veit, pictor Moguntiae adhuc vivens, Vindobonae noverat Servum Dei P. Hofbauer, qui cum ejus matre, uxore de Schlegel familiari consuetudine utebatur. Iste (referente mihi ejus filia, moniali foemina Alphonsa de paupere Infante Jesu

Aquisgrani) quondam ecclesiam Ursulinarum ingressus, Servum Dei clara luce circumfusum viderat; num hoc in pulpito, an ad altare contigerit, indicare nescio, sicut nec alias circumstantias. »

XXVI. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 539. *ter.* « In sacro suggestu ille, tamquam nuntius ex altero mundo, supernaturali luce circumfusus semper mihi apparebat. »

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 142. *ter.* « Ejus desiderium, uniendi se Christo, clare poterat observari; haud raro enim lux quaedam super oculis et facie ejus se diffudit, iis solis visibilis, qui bene eum noverant et amabant, quorum ad viginti saltem ascendebat numerus. »

Et *fol.* 152. *respondit*: « In solo pulpito ardori suo quandoque laxabat frena: tunc autem et vultus quasi rutilabat. »

ARTICULUS VI.

Coelestibus apparitionibus recreari meruit, et ipse adhuc vivus absenti apparuit.

(Ex Processu Apostolico)

§ 68. *Vivens absenti apparuit eumque a peccati periculo liberavit.*

I. Testis *juxta* 36. *Interr. fol.* 196. « Miraculum adducere possum, quo Deus adhuc vivum servum suum ad aliorum utilitatem glorificavit. Credo ex proprio ore domini de Klinkowstroem audivisse, quod ei in quadam civitate, nescio an Hamburgi, an alio in loco contigit. Cum hic adhuc juvenis et acatholicus esset, quodam die cum aliquibus juvenibus petulantibus coetui vespertino interfuit. Postquam cibis et vino indultum erat, ad finem scortum accersitum est. Quod cum ingrederetur, Klinkowstroem ad fenestram stans post scortum vidit figuram venerabilis sacerdotis, pluviali induti, quae minando eum conspexit. Quo aspectu profunde commotus Klinkowstroem societatem dereliquit. Pluribus post annis dominum Klinkowstroem Vindobonae commorantem ejus amicus Fridericus de Schlegel in ecclesiam italicam conduxit, ubi V. S. D. modo benedictionem Sacramentalem dedit. At statim in figura et ex pluviali eam apparitionem recognovit, quam in illo coetu serotino viderat, et ita a gratia Dei se commotum sentiebat, ut consilium amplectendi fidem catholicam iniret, id quod post aliquod tempus etiam perfecit. De aliis gratiis, quibus V. S. D. ornatus fuit, uti de dono fidei, scientiae et sapientiae, discretionis spirituum, perscrutationis cordium, prophetiae, quas facere potui depositiones jam feci, iisque nihil addendum mihi superest. »

Concordat I. Testis ex officio *juxta art.* 126. *fol.* 710. *ter.*

(Ex Processu Ordinario)

XXVI. Testis *juxta* 26. *Interr. fol.* 548. *respondit*: « Audivi

B. Virginem ei apparuisse, quam singulari omnino prosequebatur veneratione.» § 69. *Apparitione B. Mariae V. recreatus est.*

LIII. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 813. « Paulo ante Patris Hofbauer obitum, (ita ille mihi narravit) quodam die et quidem ante meridiem stabam ad sacrum tribunal Patris Hofbauer in Ursulinarum ecclesia, cum repente viderem turbam virginum in vestibus albis. Vestes cinctae erant floreis sertis, et florea serta eae etiam in manibus portabant. Serta manibus vibrantes et sese librantes, quasi saltarent, praetervehebantur ante tribunal Patris Hofbauer, et versus illas ita praetereuntes Pater Hofbauer ex confessionali sese proclinans bis continuo dixit: « *Jam venio* » et perbrevi postea Pater Hofbauer obiit. Ille porro adhuc edixit, turbam virginum, quae inter se omnes pari excellebant modo, ab ecclesiae porta provenisse, ad Servum Dei nihil dixisse, subito iterum evanuisse, ac se propriis suis corporalibus oculis eas vidisse .... Sciscitanti mihi, an, quod viderat, confessario suo Patri Hofbauer non patefecisset, respondit: Utique illi hoc dixi, sed responsum ab eo hoc tuli: « *Sile et tace* ».... Viro illi plane persuasum erat, apparitionem eam fuisse coelestem et Patrem Hofbauer ea ipsa ad iter in coelum invitatum, ac eo modo propinquae mortis fuisse commonitum. »

§ 70. *Turba sanctarum virginum visa est ante exedram in qua V. S. D. confessiones excipiebat.*

XXII. Testis *juxta* 37. *Interr. fol.* 486. « Heri duae Moniales tertii Ordinis S. Francisci de Matzleinsdorf in domum Congregationis SSmi Redemptoris ad Scalas Marianas venerant, quarum senior, ni fallor, nomine Margaretha, simplici valde et fide digna specie prout et vitae genus postulat, effata est, se etiam virum novisse simplicissimum et pium, Patris Hofbauer poenitentem eumque pium virum Patre Hofbauer jam defuncto edixisse, quanto dolore affectus fuisset ob confessarii sui Patris Hofbauer pii sacerdotis jacturam. Ipse mihi narravit, se quondam prope confessionale Patris Hofbauer stetisse, ubi plures aderant adhuc poenitentes, ibique vidisse turbam virginum, quae albis vestibus indutae et florum coronis ornatae ante Patris Hofbauer confessionale praetervolabant, quasi in aëre pendentes, ac Patrem Hofbauer ex confessionali sese proclinantem dixisse : « *Venio venio!* » et paullo post obiit Pater Hofbauer; an et alii ex adstantibus hanc viderint apparitionem, vir pius indicare nescivit. »

DE MIRACULIS IN VITA

ARTICULUS I.

De mira ciborum multiplicatione.

(Ex Processu Apostolico.)

Num. 21. *De miraculis in vita.*

I. Testis *juxta* 36. *Interr. fol.* 194. *respondit*: « Persuasionem meam enuntio, per Ven. Servum Dei tempore suae vitae miracula esse facta. »

§ 1.
Inter hospites, quot venerant, tot ciborum portiones dispensavit.

Eodem fol. ter. « Miraculum per Ven. S. D. in vita factum afferre possum multiplicationem ciborum. Pater Pfab sacercerdos Congregationis nostrae, circa hanc materiam sequentia narrat:

Mense Martio anni 1865. Comitissam Sophiam Zychy, natam Szecheny graviter infirmam, quae jam sacramenta morientium receperat, et post aliquas hebdomadas de facto obiit, visitavit. Primo eum propter gravem infirmitatem recipere noluit. Cum vero imaginem Ven. Servi Dei aegrotanti perferendam et se annuntiandum fecisset, quod veniret in Causa Ven. Servi Dei, statim admissus est, et Comitissa memoria Patris Hofbauer, qui familiae Szecheny amicus intimus fuerat, et patrem hydropisi laborantem qualibet hebdomada bis visitavit et consolatus est, valde exhilarata est. Narravit, se cum sorore (quae postea Comiti Bathyani nupsit, nosocomium erexit, sorores charitatis introduxit, et ipsa post obitum viri soror charitatis facta est in Pinkafeld in Hungaria) semper ejus concionibus adstitisse, et per multos annos confessarium eum habuisse, imo ab eo in religione christiana se esse instructas. Addidit, se cum sorore saepius in ejus habitationem venisse, ut de statu valetudinis patris referrent, ac saepius testes fuisse, ipsum mirabiliter cibos augmentasse. Ad prandium (ait) semper plures studentes invitavit, inter quos cibos, qui ipsi ex conventu Ursulinarum transmittebantur, dispensavit. Sed quanta admiratione affectae sumus, videntes, duas portiones, quas acceperat, tantis sufficere, maxime quia quisque bonam portionem recepit. Advenit studiosus, et Hofbauer eum interrogavit; « Num edisti jam? » Eoque negante Ven. Servus Dei dixit Patri Stark: « Martine, da mihi catillum, » et deinde ei ex vase, in quo nihil amplius superesse poterat, iterum plenam portionem dedit. Venit alius juvenis, et Pater Hofbauer eum mensae assidere jussit, a Patre Stark alium catillum petiit, et portionem ei dedit. Venit tertius et P. Hofbauer ei dixit: « *Certe nihil adhuc edisti! Martine, da mihi catillum,* » et eodem modo iterum eum adimplevit. Ut paucis dicam; quicumque venit, quantum ad satietatem sufficiebat, recepit, et secundum numerum hospitum cibos multiplicavit. Ita cum lacrymis bona mulier narravit, et valde consolabatur spe, fore ut qui aliquando ejus catechista et confessarius fuerat, honore altarium dignus haberetur. »

§ 2.
Ex vase vacuo cibos distribuit.

VII. Testis *juxta* 36. *Interr. fol.* 318. *respondit:* « De hac re ex relationibus discipulorum Ven. Servi Dei, Madlener et Springer, qui ambo jam defuncti sunt, sequentia dicere possum. Ven. Servus Dei saepe paucis cibis plurimas personas saturavit. Saepius credebant, nihil amplius esse in vasis, ex quibus cibos dispensabat, et si in fine dispensationis ciborum adhuc quidam veniebat, tamen Ven. Servus Dei dixit: « *Sedeas, adhuc tu habebis quidquam.* » Et cum admiratione praesentium ita fuit, sicut Ven. Servus Dei dixerat.

Affirmandum est, Ven. Servi Dei summum gaudium fuisse, si multa inter alios dividere posset; cum ipse parco cibo contentus esset, et parum id quod edebat, stando et ambulando sumebat, dum alii mensae assiderent. »

VIII. Testis *juxta* 36. *Interr. fol.* 368. *respondit*: « Saepius quidem audivi, per Ven. Servum Dei panem cibosque miraculose fuisse auctos. De hac re tamquam testis oculata nihil quod deponam habeo, indicare tamen possum, Choristam nostri conventus, Franciscam Plaschka, quae pluries dixit, se propriis oculis observasse, Ven. Servum Dei cibos modo miraculoso augmentasse. Hic mihi addere liceat, dictam Choristam senio (annos septuaginta quinque nata est) et infirmitate ita mente esse debilitatam, ut examini vix subjici possit. »

§ 3. *Idem a pluribus testibus confirmatur.*

IX. Testis *juxta* 36. *Interr. fol.* 426. *ter. respondit*: « Pius christianus et scriptor, nomine Silbert, qui plura opera devota ex gallico idiomate in germanicum transtulit, mihi dixit, Ven. Servum Dei donum cibos augendi possidere; se ipsum (Silbert) cibum ita mirabiliter auctum manducasse. Etiam sacerdotes, uti exempli gratia Leopoldus Horny, Aloysius Neubauer, ambo jam defuncti, nobis monialibus de similibus ciborum miraculosis augmentis narraverunt, sed particularia ad rem spectantia nescio. »

X. Testis (Emus Cardinalis Rauscher) *fol.* 451. *ter.* « Relatum mihi est, quod cibis ipsi apponi solitis, nonnunquam tot homines aleret, ut iis absque miraculo sufficere plane non possent. »

§ 4. *Donum augendi cibos permanenter V. S. D. concessum erat.*

I. Testis ex officio *juxta* 36. *Interr. fol.* 694. *ter. respondit*: « Saepe audivi, Ven. Servo Dei donum augendi cibos permanenter concessum fuisse, et dicere debeo, mihi de rebus in infantia saepe visis maturius reflectenti istam assertionem confirmandam videri. Saepe enim vidisse recordor, multos hospites ad ejus mensam simul assedisse, inter quos ex paucis, qui habebantur, cibis continue distribuit. »

II. Testis ex officio *juxta* 36. *Interr. fol.* 765. « De miraculo ciborum auctorum nominatim Mater Francisca, soror Chorista Ursulinarum Vindobonae mihi narravit. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 5. *Mira panis multiplicatio describitur.*

III. Testis *juxta* 26. *Interr. fol.* 176. *ter. respondit*: « Erat (ni fallor) anno 1819. (hoc enim anno vespertinas uniones in Patris Hofbauer habitatione saepius frequentavi) cum moniales ea hora, uti solebant, pro ipso et Patre Stark transmitterent cibos. Ipse Pater Hofbauer, felicis recordationis, parum manducabat et nonnisi deambulando. Dum comedebat Pater Stark, quidquid supererat Pater Hofbauer adstantibus distribuit. Supra mensam jacebat panis, de quo Pater Hofbauer pauperibus studentibus ibi praesentibus, et etiam opificum sociis mercenariis interrogatis, an panem jam ha-

buissent, magnam portionem abscidit deditque. Eodem modo permultos praesentes interrogavit et responso accepto, se nihil adhuc recepisse, iterum partem haud parvam pro interrogato abscidit, quamvis quasi consumptus jam esset panis. Nihilominus parva tantum reliquia in ejus manibus remanente, pluries adhuc de eadem partem prioribus portionibus aequalem abscidit, et quod dedit et quod remansit, ejusdem semper erat magnitudinis. Observare hoc potui, cum Pater Hofbauer facta distributione, id quod supererat, in mensa semper reponeret. Panis trium librarum pondus habere potuerat, de quo manducaverunt quindecim vel sexdecim personae, quarum quaelibet haud parvam obtinuit partem. Residuum panis, de quo memoratas portiones saepius absciderat, adeo erat parvum, ut de mea quidem opinione absque miraculoso augmento ne unam quidem talem portionem inde abscindere posset, quales ipse distribuerat. Praeter me, hanc rem cum stupore observantem, nemo quod seiam mirabile hoc factum advertit, sed permulti, quibus verba de hoc feci, inter alios fratres mei, edixerunt, se Patrem Hofbauer talia operandi reputare capacem. Servum Dei, felicis recordationis, pani benedixisse non vidi, pari modo nec ullum verbum a Patre Hofbauer audivi hoc factum respiciens. »

§ 6. *Alia ciborum multiplicatio prodigiosa.*

VIII. Testis *juxta* 26. *Interr. fol.* 257. *ter.* « Cum essem hujus conventus candidata, et P. Joanni Sabelli apud confessarium P. Hofbauer habitanti verba facere deberem, in hujus veni habitationem. Tempus erat prandii, et Pater Hofbauer me invitavit, ut cum ipsis manducarem, quod summo stupore me affecit, cum foeminas ad prandium invitare non soleret. Cibi asportati fuerunt duabus sufficientes personis. Jusculum cum pastillis (tagliatelli), piscis assatus cum acetariis viridibus et cibus e farina confectus, quem in specie indicare nescio. Piscis duo erant frustula, et apposita est etiam ampulla vini, quae continebat forte sex scyphos vini rubri. Mensae assederunt quinque vel sex personae, ipse, prout solebat, benedixit cibis, priusquam eos distribueret, singulis aequalem dabat portionem, tum piscis tum caeterorum ciborum, omnes, quod acceperant manducantes saturati sunt. Maxime vero stupebam, quod saepius ex scutellis distribueret, quamvis in eis nihil amplius conspicerem, et tamen in singulis discis (piatti) tantas ciborum observarem portiones, quantas pro mea opinione scutella capere omnino non potuisset, ex qua erant desumptae. Hoc reputavi miraculosum ciborum augmentum, hancque meam persuasionem etiam monialibus indicavi, et eam opinionem ad hanc usque retinui horam. P. Hofbauer frustula piscis non divisit, sed de novo semper in scutellam manum mittens singulis praesentibus integrum dedit frustulum. Hanc distributionem sola manu, et nullo adhibito instrumento escario fecit. Omnes mensae accumbentes silentium servarunt, so-

lusque Pater Sabelli nonnulla ad me dixit verba animantia, cum de invitatione penitus essem perturbata. An caeteri commensales hoc ciborum augmentum observaverint, ignoro, hoc autem addere debeo, Patrem Sabelli jam in principio prandii monitum mihi dedisse, ut bene attenderem ad omnia, quae facturus esset Pater Hofbauer. Hac monitione quid voluerit, nescio. Ex personis, quae ibi manducaverunt, sine dubio duo erant Sacerdotes Patris Hofbauer, quintam vel sextam personam indicare nescio. Praeter parum cibi farinacei, acetaria et vinum nihil aliud superfuisse vidi. »

Concinit I. Testis *juxta* 26. *Interr. fol.* 116. »

LIII. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 814. « Magnae humilitatis Servi Dei eximium argumentum adducere adhuc possum, referens, quod a sacrista ecclesiae Ursulinarum Joanne Gross mihi est relatum: Pater Hofbauer, cum die quodam per viculum Joannis, in quo sita est Ursulinarum ecclesia mearet, vir quidam cum muliere eius brachio inhaerente illi obviam venit, qui praetereuntes eum per ludibrium appellabant thaumaturgum, Sanctum, Liguorianum, convicia addentes quae proferre sacristam pudet. Pater Hofbauer tot cibavit studentes, ut apud haud paucas personas famam obtinuerit thaumaturgi (nempe qui miraculoso modo cibos augeret) ac inde patet, cur ignominiam injungere illi crederent istae duae personae, sed convicia sua illis evomentibus accidit, ut mulier quin hoc adverteret, sudarium perderet. Pater Hofbauer vero id advertens, rediit, et ne mulier ejus jacturam faceret, sudarium sustulit eique asportavit. Irrisores penitus attoniti in magna fuerunt confusione, tum ob proprium agendi modum, tum ob modum P. Hofbauer. »

§ 7. *Thaumaturgi nomine compellabatur V. D. F.*

Et in fine examinis *fol.* 815. *ter.* « Deponere adhuc possum: P. Clementem M. Hofbauer paucis cibis magnum virorum cibasse numerum, et pro quolibet, qui ipsum adibat, semper aliquid habuisse praeparatum. Defunctus Professor Silbert saepius testis oculatus fuisse dicitur, cum Pater Hofbauer ex perparvo vasculo multas, et quidem omnino sufficientes distribueret portiones. Silbert hoc amicis suis narrasse et addidisse fertur, P. Hofbauer colloquiis suis hospites suos ita attentos tenendi fuisse peritum, ut miraculum ciborum augmenti omnino non observarent. Filia Silbert istius, Barbara Silbert bene hoc attestari posset, cum paulo abhinc ad fratrem suum D. Parochum in Atzgersdorf hac de re dedisset litteras, quas ipsa ego in manibus habui. »

§ 8. *Miraculosum ciborum augmentum assistentes celare studet.*

XXVIII. Testis *juxta* 7. *Interr. fol.* 579. « Semper fere Pater Hofbauer praesentibus minutias comestibiles distribuit, sive poma sive simplices res pistorias, prout eas quandoque recepit vel ab Ursulinis vel ab aliis personis. Istae res repositae erant in scrinio volubili, quod vocant, quodque tali occasione ipse aperiebat et claudebat. Etiam Pater Sabelli et Stark vespere domum reversi ex isto scrinio vo-

lubili, quod ibi inveniebant, ad coenandum sumpserunt. Ista edulia ipse semper Pater Hofbauer hospitibus juvenibus tanta cum cordiali familiaritate distribuit, ut hoc donum cuilibet nostrum pretiosum esset cupedium. Et quoties alii tardius advenirent, ipse semper exurgens edulium aliquod illis largiebatur. Nonnulli nostrum, ipse quoque ego, oculum conjecimus quandoque in scrinii interiora, ubi nihil fere superesse videbatur, sed pluries eodem adhuc vespere Pater Hofbauer sive rem pistoriam sive poma ex eodem protulit, quae hospiti porrigeret sero venienti! »

§ 9. *E scrinio fere vacuo cibaria multa educebat.*

Et *juxta* 26. *Interr. fol.* 600. *ter.* « Praeter depositionem alia in occasione jam a me factam juxta quam Pater Hofbauer ex scrinio volubili varias res comestibiles numero penitus inexpectato et prout apparebat miraculoso discipulis suis distribuebat, nullum factum adducere possum necessaria certitudine instructum, quod miraculum reputari posset. »

XXX. Testis *juxta* 26. *Interr. fol.* 616. « Impulsum me sentio hic loci referre, quae sequuntur: Amicus meus, pius Joannes Nepomucenus Passy, Director nosocomii pro mercatorum sociis erecti Vindobonae, idemque frater amborum jam defunctorum Congregatorum SS̄mi Redemptoris Sacerdotis Antonii Passy et fratris laici Georgii Passy, saepius mihi narravit, se propriis vidisse oculis, quemadmodum Servus Dei de particula parva panis frustorum unum post alterum abscinderet, et praesentibus studiosis juvenibus aliisque distribueret, quin particula in ejus manu diminueretur aut consumeretur. Quod mirabile panis augmentum a Servo Dei, prout videbatur, non observatum, ex auditu relatum a viro omni fide digno, possum testari. Ipse ego optime recordor, cum meo stupore me quondam vidisse Sacerdotem e cava manu abscindere panem et pluribus adstantibus distribuere, nec credere possum, alium eum fuisse nisi Patrem Hofbauer, quia apud alium Sacerdotem nisi Patrem Hofbauer cum pluribus juvenibus nunquam fui. »

§ 10. *Confirmatur dictum* § 5.

§ 11. *Ex cava manu panem abscindere videbatur.*

ARTICULUS II.

Aegros sanavit, daemonem fugavit.

(Ex Processu Apostolico)

IX. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 423. *ter. respondit*: « Moniali cuidam, nomine Catharinae, post factam professionem provisorio modo cura sacristiae commissa est. Quodam die in ecclesia multae res praeparandae et a pulvere purgandae erant, et hac occasione infeliciter e scala delapsa caput et pedem adeo laesit, ut sensibus alienatam in valetudinarium portarent. Statim confessarium accersivimus, putantes, extremam unctionem eidem esse administrandam. Cum Ven. Servus Dei venisset, capiti manus imposuit, et impertita ei be-

§ 12. *Sanatio Catharinae, Ordinis S. Ursulae, refertur.*

nedictione dixit: « *Estote tranquillae, brevissimo tempore penitus sana erit, et in choro cantabit,* » (cantabat enim in Choro.) Postea venit medicus et examinatâ infirmâ, ejus statum periculosissimum invenit, et dixit, plenam sanationem ante sex menses non esse possibilem. Sed non quod dixit medicus, sed quod prophetavit Ven. Servus Dei accidit; nam post tres hebdomadas elapsas Soror Catharina plene sanata erat, et sicut ante in choro cantabat, et vixit usque ad festum Praesentationis B. Mariae V. anno 1864. Die quo sacra vota secundo emisit, adhuc in Choro valde commoventi modo cantabat. In instituto, quod pro educatione puellarum in nostro conventu existit, erat alumna nomine Rosa Goell, quae semel jam sacra communione refecta erat. Haec cum infirmaretur, et jam morti proxima esset, summa trepidatione torquebatur. Valde inquieta manibus sursum motis murum tangebat exclamans: « En nigrum canem qui me vult devorare. » Erat terribile spectaculum. Ego, quae eo momento cum sorore Veronica in valetudinario fui, statim cucurri, ut Ven. Servum Dei accerserem, et comparuit quasi in instanti, ita ut non comprehenderem, quomodo tam velociter accurrere potuisset; et vix valetudinarium ingressus erat, cum jam infans moribunda plane quieta exclamavit: « Canis jam discessit. » Servus Dei infanti benedixit, eique absolutionem generalem dedit; quo facto penitus tranquilla, et facie laeta obiit. Ven. Servus Dei dixit: « Habemus jam angelum in paradiso, qui pro nobis orabit. » Persuasum mihi est, causam trepidationis hujus infantis non fuisse, nisi extraordinariam tentationem diaboli, eumque discessisse Ven. Servo Dei comparente. Ego habebam verrucam haud parvam, saltem tam magnam uti pisum, in digito medio manus dexterae, quae non solum in exequendis laboribus difficultates, sed etiam dolores graves mihi creabat; nam non solum digitus, sed etiam manus intumuerat. Post obitum alumnae Rosae Venerabilis Servus Dei me ejus cadaver firmiter apprehendere jussit, quin causam hujus mandati mihi diceret. Jussis obediens statim ad cadaver accessi, et unam manum firmiter apprehendi. Sed quantum obstupui; verruca instantanee et perfecte evanuerat. Ven. Servus Dei qui etiam manum meam inspiciebat, et juxta me stabat, cum ad ejus mandatum cadaver apprehenderem, dixit: « *Verruca tua evanuit, et manus tua sana est. Invocasti ne defunctam?* » et ego respondi: « Hoc non feci, sed cadaver fortiter apprehendi, et quidem solum ex obedientia ob mandatum acceptum. » Haec sanatio in nostro conventu admirationem ciebat; sorores enim sciebant, me eodem adhuc die quo cadaver apprehendi, verrucam habuisse. »

§ 13.
Daemonem moribundae insidiantem fugat.

Et *juxta* 36. *Interr. fol.* 426. *ter.* « Uti optime recordor, in conventu nostro narratum est, V. S. D. infanti graviter infirmanti sanitatem restituisse. Cum enim infantis mater deso-

§ 14.
Infantis sanatio narratur.

lata V. S. D. diceret, se timere, ne infans eodem die moreretur, V. S. D. reposuit, nihil esse timendum, infantem salutem recuperaturum, et cibos appetiturum, quae omnia plene confirmata sunt; sed particularia circa hoc factum referre non valeo.»

Et *fol.* 427. « Mater Ludovica, nostri conventus membrum, ex cancro pectoris terribiles passa est dolores, quibus etiam occubuit. Cum aliquando prae doloribus dormire non posset, in lecto se erigebat, et super sororem Cordulam se inclinabat. Cum per aliquot horas ita reclinata fuisset, et pectus infectum versus pectus et humeros sororis Cordulae reponeret, huic morbum suum communicavit. Sentiebat enim proximo mane vehementes dolores, et tumorem ab humero ad pectus. Angustiata post S. Missam V. S. D. adiit, eique dolores suos manifestavit. Hic eidem cum sanctae crucis signo benedixit, eique mandavit, ut coram SSmo ter « Magnificat » diceret. Tunc, inquit, dolores evanescent. Et ita quidem factum est. Certe V. S. D. etiam Matri Ludovicae auxilium tulisset, si haec in ejus precibus majorem fiduciam posuisset. Sed Patri Sabelli plus aequo et V. S. D. parum confidebat.»

§ 15.
Aliam monialem S. Ursulae sanat.

§ 16.
Se et socium itineris a daemonis impetu liberat.

Et *juxta* 10. *Interr. fol.* 376. *ter. respondit*: « V. S. D. cum suo amico Hübl Romam profectus est. In eo itinere, ni fallor, prope Cremonam, canis magnus nigri coloris impetum in eos fecit, et maxime Thaddaeum Hübl invasit, ita ut valde angustiaretur, tum V. S. D. dixit: « *Recitemus psalmum: Qui habitat in adjutorio altissimi* etc. hunc *psalmum mater mea me docuit, et qui eum devote recitat, contra omnes impetus et omnia pericula tutus est* ». Vix psalmo recitato, jam canis evanuerat.»

III. Testis *juxta* 36. *Interr. fol.* 242. *ter. respondit*: « A testibus oculatis audivi quod V. S. D. fratri meo Alphonso graviter infirmo salutem jam desperatam modo mirabili restituit, aut salutis restitutionem mirabili modo praedixit. Certum est V. S. D. matri meae de mortali morbo infantis desolatae, firmiter dixisse, infantem eo adhuc die cibos appetiturum esse, quod a medicis tamquam nota salutis indicabatur. Et ita factum est. In scriptis patris mei quoad hoc factum inveni haec notata: « Alphonsus graviter infirmatur », et paulo post: « Hodie Alphonsus cibos appetivit. »

§ 17.
Confirmatur quod supra § 14. habetur.

Hoc factum est eodem die, quo V. S. D. matrem meam modo relato consolatus est. »

I. Testis ex officio *juxta* 36. *Interr. fol.* 694. *ter. respondit*: « Sequens factum tamquam huc etiam pertinens deponendum mihi videtur. Quodam die V. S. D. in domum dñi de Klinkowstroem venit, cujus uxor lacrymans ei infantem ostendit, adeo infirmum et macie deformem, ut mors certa imminere videretur. V. S. D. matrem his consolatus est verbis: « *Nihil est; infans hoc adhuc vespere esuriet et manducabit* ». Postea infanti benedixit, et leviter ejus genam percussit. Dicta V. S. D. ad literam adimpleta sunt; infans perfecte sanatus est, et

hodie adhuc vivit. Infirmitatis et sanationis infantis memini, sed depositio mea fundatur in relatione oretenus mihi facta a Doctore Emmanuele Veith, Canonico honorario. Infans scrophulis laborabat, quae in phthisin degeneraverant; magnum tumorem in collo habebat, ut ipsa vidi. D. Veith hanc sanationem miraculosam declaravit. Eo tempore infans valde tenerae et debilis constitutionis erat; crevit autem bene et factus est vir eximie robustus. Est Alphonsus de Klinkowstroem, nunc consiliarius aulicus jubilatus. Quae remedia huic infirmo infanti applicata fuerint, nescio.»

II. Testis ex officio *juxta* 36. *Interr. fol.* 765. *ter. respondit*: «Audivi etiam V. S. D. quodam die in domum dñi de Klinkowstroem venisse, et ejus mulierem, infantem moribundum in brachiis tenentem consolatum esse, tactaque gena infantis dixisse, infantem eodem adhuc vespere cibum sumpturum esse. Infans contra omnium expectationem sanatus est. Hoc factum a pluribus, uti a P. Doll, P. Weidlich et aliis mihi narratum est. Sed circumstantias in hisce duobus factis occurrentes referre non possum. Factum miraculosum quod ad conversionem dñi de Klinkowstroem spectat, quem V. S. D. apparitione sua a peccato deterruit, jam narravi.»

DE FAMA SANCTITATIS IN VITA

(Ex Processu Apostolico)

Num. 22. De fama sanctitatis in vita.

§ 1. *V. S. D. a Summo Pontifice, ab Imperatore, a Nuntiis et Episcopis magni aestimatus est.*

I. Testis *juxta Interr. fol.* 201. «V. S. D. jam in vita ab omnibus bonis ac probis magni aestimatus est, ut a Papa Pio Septimo, ab Imperatore Francisco I., a Nuntiis Apostolicis Varsaviae et Vindobonae, ab Episcopis in quorum dioecesibus sacrum ministerium exercebat, praecipue ab Archiepiscopo Vindobonensi, Comite Hohenwart, a Frint, Praeposito et parocho aulae imperialis, a Darnaut Capellano aulico, a Ziegler, Ackermann, et Zaengerle professoribus in Universitate Vindobonensi, quorum prior postea Episcopus Linciensis, posterior vero Episcopus Seccoviensis factus est. Hic cum adhuc professor esset, et P. Hofbauer concionantem audiisset, dixit: se cupere, ut sub directione hujus viri iterum Novitiatum facere, et in ascesi practice erudiri posset.

§ 2. *Item a viris scientia eminentibus.*

Viris praedictis, qui V. S. D. maximi aestimabant, ex statu laicali adjungendi sunt viri eruditi Fridericus de Schlosser, Fridericus de Schlegel, Adamus Müller, Josephus de Pilat, Buchholz, Fridericus de Klinkowstroem, Wagner, consiliarius aulicus, dominus de Putz et multi alii, quorum nomina non recordor. Ex mulieribus conditione et ingenii formatione distinctis, quae V. S. D. maxima veneratione prosequebantur, adduco uxores dominorum de Pilat, de Klinkowstroem, de Schlegel, de Schlosser, Adami Müller, Neubauer, Wagner.»

IV. Testis *juxta* 43. *Interr. fol.* 260. *respondit*: « V. S. D. dum viveret famam habebat sancti sacerdotis, qui propter pietatem suam a personis cujusvis conditionis in sacro tribunali quaerebatur. Haec fama post obitum V. S. D. non periit, sed e contra aucta et latius diffusa est; nec quantum scio usque ad hanc horam quavis re detrimentum subiit. Vir sanctus habitus est non solum a plebejis, sed etiam a viris auctoritate et scientia conspicuis. Hic adducere possum, Zachariam Werner, Adamum Müller, Fridericum Schlosser, Fridericum Schlegel, Fridericum Klinkowstroem, Comitem Dietrichstein, Emanuelem Veith, Josephum Othmarum Rauscher, Archiepiscopum et Cardinalem Vindobonensem, Archiepiscopum Comitem Hohenwart, Episcopos Zaengerle. et Ziegler. Equidem semper opinatus sum et adhuc opinor, V. S. D. virum sanctum fuisse. Non potest praesumi, quemquam hanc famam artificio creasse, cum sit in omnes classes diffusa et ne minimum quidem mihi innotuit, quod talem praesumptionem admitteret. »

§ 3. *Nominantur plures ex viris doctis et conspicuis.*

VII. Testis *juxta* 43. *Interr. fol.* 323. *ter. respondit*: « Quanto in honore Ven. Servus Dei tempore vitae, tum apud nobiles, tum apud plebejos habitus fuerit, patet ex magno et continuo concursu hominum ad ejus sacrum tribunal et ad pulpitum. Omnes eum cognoscere cupiebant, et omnes quibus eum cognoscere contigerat, eum tamquam zelo plenissimum et vere catholicum sacerdotem aestimabant. Multae personae altae nobilitatis ad confitendum peccata sua ad eum accesserunt tum in ecclesia Ursulinarum, ut ipsa vidi, tum in habitatione sua ad devotionem faciendam sicut Pater Starck nobis narravit. Hac intentione ad eum venerunt tota familia comitis Szecheny, principissa Jablonowska, et aliae praenobiles familiae tum polonicae, tum germanicae; nomina non recordor. Omnes se valde felices aestimarunt, quod in Patre Hofbauer tam sanctum Patrem et ducem spiritualem invenerunt. Istae familiae ex intima veneratione et gratitudine permulta beneficia ei exhibuerunt, quae Pater Hofbauer iterum inter pauperes suos dispensavit, uti Pater Stark saepius nobis narravit. Sic etiam V. S. Dei propter sanctam vitam et virtutes vere heroicas apud summos dignitarios Ecclesiae et alias nobiles personas summopere aestimabatur. Hic in memoriam revoco Papam Pium VII, Imperatorem Franciscum I, plures Nuntios Apostolicos ex quibus unum, nomine Severoli, coram nosse nobis contigerat, et a quo anno 1813, sacramentum confirmationis recepimus. Sic pariter magni eum aestimabant Rudolphus Archidux, Cardinalis Archiepiscopus Olomucensis, frater Francisci I Imperatoris; Cardinalis Odescalchi, Archiepiscopi Vindobonensis et Varsaviensis; Romanus Zaengerle postea Episcopus Seccoviensis, et Thomas Ziegler, postea Episcopus Linciensis, uti a Patre Stark audivi. Zacharias Werner vir celeberrimus doctrina et pietate, conspicuus

§ 4. *Propter sanctitatem a plurimis nobilibus et plebejis quaesitus.*

§ 5. *Familiae praenobiles Polonicae, Hungaricae, Germanicae confessarium sibi eum elegerunt.*

§ 6. *Nuntius Apostolicus Severoli, Cardinales Olomucensis et Odescalchi valde ipsum aestimarunt.*

sacerdos et praedicator zelo Dei plenus, V. S. Dei tamquam amicum vere apostolicum, sanctum et paternum, summa singulari prorsus veneratione prosecutus est, uti ab ipso R. D. Zacharia Werner recepi. Quanta memoria V. S. Dei viri eximii honoraverint, ex eo patet quod R. D. Zacharias Werner, Adamus Müller, consiliarius aulicus, Fridericus de Kliukowstroem cum familia, Antonius de Pilat, consiliarius gubernii, cum familia in eodem coemeterio in Maria Enzersdorf sepulchrum sibi elegerunt, in quo antea corpus V. S. Dei repositum erat. »

VIII. Testis *juxta* 43. *Interr. fol.* 371. « V. S. Dei dum viveret apud multos fama sanctitatis gaudebat, et haec quidem fama non solum usque ad hanc horam perduravit, sed etiam continue aucta est. Aestimatus est et adhuc aestimatur tamquam sanctus propter extraordinarias virtutes, quibus ornatus fuit. Et non solum apud plebejos, sed etiam apud personas cultas, et conspicuas fruitur hac fama. Ex numero personarum perspicuarum, quae magna aestimatione erga V. S. Dei affectae erant, nominare possum mulierem principis Jablonowsky, Polonam, quae V. S. Dei jam Varsaviae cognoverat, totam familiam comitis Szecheny, Baronem Penkler. Alia nomina perillustrium personarum in mentem mihi hodie non veniunt. »

§ 7. *Fama sanctitatis in dies aucta est.*

« De sanctitate V. S. Dei persuasum mihi fuit et adhuc est, et hanc meam persuasionem hisce, quae deposui, sufficienter probasse credo. »

IX. Testis *juxta* 43. *Inter. fol.* 436. *ter*: « Ven. S. D. cum adhuc inter vivos ageret, apud omnes melius eum noscentes propter sanctam vitam et apostolicos labores summi aestimabatur. Sebastianus Job, capellanus aulicus, qui anno 1819. Imperatorem Franciscum Romam comitatus est, nobis narravit, SS. D. Papam Pium VII. in colloquio cum Imperatore habito, Ven. Servum Dei virum omnino sanctum et apostolicum, et Ecclesiae columnam vocasse, et propterea eidem congratulatum fuisse, quod in urbe sua capitali tam dignum sacerdotem haberet. Cum eidem Imperatori obitus Ven. Servi Dei annuntiaretur, haec verba effatus est: » Duplici afficior dolore et quidem pro me, et pro populo meo, et pro S. Ecclesia catholica, cum defunctus revera columen fuerit Ecclesiae. « V. S. Dei etiam apud Ludovicum, principem haereditarium Bavariae, in magno honore habebatur. Hic saepius eum visitavit, et quodam die ab hora octava cum dimidia pomeridiana, usque ad horam secundam matutinam et ultra apud eum mansit. Saepius V. S. Dei nos moniales rogavit, ut pro Ludovico, tunc principe haereditario, postea Rege Bavariae, preces funderemus. Principem haereditarium Ludovicum saepius V. S. Dei invisisse, et quadam nocte per plures horas apud eum mansisse, nobis a sacerdotibus, qui erant circa V. S. Dei, Patre Martino Stark, et Patre Roeger relatum est.

§ 8. *Pius VII. et Imp. Franciscus I. V. S. D. columnam Ecclesiae vocaverunt.*

§ 9. *Ludovicus princeps haereditarius Bavariae summi eum aestimavit.*

Jam dixi, Comitissam Szecheny V. Servum Dei expressis verbis sanctum vocasse. »

X. Testis (Emus Cardinalis Rauscher) *fol.* 448 *ter.* « Nomen divinum sanctificandi studio accedebat insignis ingenii vis et prudentia, quo factum est, ut apud nobiles et ignobiles, doctos et indoctos magnam haberet auctoritatem, neque deessent protestantes eruditione conspicui, quorum existimationem sibi conciliaret. »

§ 10. *Etiam a Protestantibus valde aestimatus est.*

Et *fol.* 452: « Luce ejus in dies magis coram hominibus lucente, denique vir humilis et pauper eximiam etiam saecularium virorum existimationem collegit, atque ad animos sursum tollendos plurimum valuit. »

I. Testis ex officio *juxta* 24. *Inter. fol.* 679. *ter. respondit:* « V. S. D. ab omnibus amatus et in honore habitus est; humanitate et dulcedine sua omnes, qui familiariter eo utebantur, tanta vi attrahebat ut resistere nequirent. »

Et *juxta* 43. *Interr. fol.* 696. *ter.* « Persuasum mihi est, Ven. Servum Dei jam tempore vitae particulari fama pietatis et sanctitatis vitae usum fuisse. Haec opinio in obitu Ven. Servi Dei multis modis manifestata est. Accurrebant ad ejus cadaver parvas res tamquam memorias ex capillis, vestimentis etc. quaerentes. Plures ex ejus cultoribus nominare possum, ex. gr. Severoli, tum Nuntium Apostolicum, Darnaut, confessarium Imperatoris Francisci, R. D. Franciscum Schmid, Fridericum Zachariam Werner, P. Rinn S. J., Maximilianum Horny, Archiducem Maximilianum Atestinum, totam familiam Comitis Szecheny, familiam principis Jablonowsky, liberum Baronem Penkler, Adamum Müller, consiliarium aulicum, Fridericum Schlegel et alios multos. »

§ 11. *Communis aestimatio in ejus obitu manifestata est.*

II. Testis ex officio *juxta* 43. *Interr. fol.* 769. *respondit:* « Sicut jam deposui, V. S. D. in vita sua a personis nobilis et infimae conditionis summi aestimabatur. Paucis diebus post obitum, die videlicet 21. Martii anni 1820. Comes Münch a Bellinghausen ad suum amicum Eduardum de Unkhrechtsberg, hodie Canonicum Olomucensem, qui eum de obitu V. Servi D. certiorem reddiderat, haec scripsit: « Ex multis lacrymis propter hanc notitiam a me fusis concludere possum, quanto dolore tu et frater tuus afflicti fueritis, quibus datum erat quasi quotidie viri sancti conversatione salutari frui, eumque tamquam amicum, consiliarium et alterum patrem venerari. »

§ 12. *Literae viri pernobilis veneratione V. S. D. plenae referuntur.*

Archidux Austriae Maximilianus Atestinus fortunatum se habuit ex eo, quod unus ex paucis esset, qui (ut ipse mihi dixit) hunc virum sanctum coram novissent. P. Mansione tum Rector Major Congregationis SS. Redempt. de obitu V. Servi D. informatus die 30. Maji 1820. ad P. Passerat scripsit: « Tuae literae magna tristitia nos affecerunt obitum nuntiantes infatigabilis Evangelii praeconis atque indefessi in vinea Domini operarii, R. scilicet P. Clementis Mariae Hofbauer. Nihil hoc funestius auribus nostris insonare potuisset. »

§ 13. *Maximilianus Atestinus Archidux Austriae virum sanctum eum tenuit.*

(Ex Processu Ordinario)

§ 14.
S. Alphonsus plurimi fecit V. Dei Famulum.

I. Testis *juxta* 13. *Interr. fol.* 93. *ter.* « Scio ex auditu, eum in tyrocinio omnibus fuisse exemplo; item scio (et probabilius ex Patris Hofbauer ore) Sanctum Congregationis Fundatorem ob duorum Germanorum (Hofbauer et Hübl) ingressum summo affectum gaudio edixisse, eos multa bona operaturos et Congregationem propagaturos. »

Et *juxta* 23. *Interr. fol.* 113. *ter.* « Insuper confirmare possum, fama eum fruitum fuisse apud omnes veri et eminentis Servi Dei. Quamdiu eum cognovi, semper idem permansit in his virtutibus exercendis. »

XIX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 432. *ter. respondit*: « Omnes Congregati sciunt, S. Alphonsum magnam posuisse spem in Patre Clemente, Piumque VII. declarasse, S. Alphonsi spiritum in eum et Patrem Hübl transiisse. Pius VII. eum noverat jam eremitam, eique anno 1803. Romam visitanti magnas largitus est gratias. A Rege Poloniae Stanislao, et a Nuntiis in Varsaviensi Aula commorantibus magni eum fuisse habitum, haec omnia scimus ex Tannoja, qui anno 1802. vitam S. Alphonsi ediderat Neapoli. « Ludovicus Bavariae Rex, cum princeps adhuc haereditarius congressui Vindobonensi interesset, apud eum expiavit conscientiam, et in paupere habitatione eum visitavit. Nuntiorum Severoli et Leardi amicus erat domesticus, Episcopus Zaengerle eum habebat confessarium; Episcopus Ziegler sanctum eum aestimabat; etiam Praepositum ecclesiae cathedralis Augustanae Vindelicorum, Allioli, apud eum vidi. Ejus cultoribus adhuc annumerandi sunt eximii viri: Fridericus de Schlegel, Fridericus Zacharias Werner, Adamus Müller, Liber Baro de Penkler, Professor Ackermann, consiliarius Stifft, et Imperatoris Francisci confessarius Darnaut. Ego Servum Dei hominem sanctum reputavi. »

§ 15.
Item Pius VII, Stanislaus Poloniae Rex et Ludovicus Bavariae magno in pretio eum habuerunt.

§ 16.
Confirmantur dicta §§ 1. *et* 2.

§ 17.
Congregationis Praesules maximi eum aestimarunt.

XXVI. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 548. *ter. respondit*: « Quanti vero a Superioribus Congregationis et ab ipso Pio Sexto aestimaretur, hoc est argumento, quod brevi tantum tempore studiis theologicis impenso Sacerdos fuerit ordinatus, et tamquam Superior Missionis tanti momenti cum facultatibus in Russiam missus. Quanti eum fecerit S. Alphonsus: Tannoja testatur in vita S. Fundatoris (Vita S. Alphonsi, Tannoja) qui insuper narrat, quam altam opinionem de eo habuerint tum rex Poloniae, tum Nuntii Apostolici in ea Aula. Eamdem altam de eo opinionem habebant Nuntii Apostolici Vindobonae, Severoli et Leardi (prout propria scio experientia), quos continue frequentabat; audivi etiam, Nuntium Lucernae valde illi fuisse propitium.»

Et *infra fol.* 549. « Pius Septimus eum jam noverat eremitam Tiburensem, eum viderat anno 1803. illum donaverat rebus religiosis et privilegiis decoraverat. Quanti aestimatus fuerit

89

in Curia Romana, de visu testari possum. Mense Martio anni 1820. cum libero Barone Buchholz ejus poenitente, Romae eram. Ignorantibus nobis ejus infirmitatem et mortem, et Cardinalem Consalvi, qui certe eum Vindobonae coram et per varias Nuntiorum relationes bene noverat, visitantibus magno revera cum dolore is annuntiavit mortem hujus pro S. Ecclesia tam valentis Servi. Etiam Cappaeini (postea Cardinalis) extraordinariam manifestavit tristitiam de ejusdem morte. Inter proximos etiam meos propinquos sunt multi ejus cultores, qui prope eum in Enzersdorf sepeliri cupiebant, exempli gratia D. Elisabeth de Pilat, nata de Mengershausen, uxor fratris mei Josephi, quae a Patre Hofbauer non solum ad fidem catholicam conversa, sed etiam ad christianam perfectionem est adducta. Fridericus de Klinkowstroem cum uxore sua, praefatae sorore, ambo conversi, Buchholz, Caesareus regius Secretarius aulicus, quocum Romae fui, deinde Zacharias Werner ibidem sepulti sunt, prout voluerant. Communis erat opinio, Servum Dei verum esse sanctum; quod ad me attinet, ego eum in vita semper sanctum reputavi.»

§ 18. *Cardinales Consalvi et Cappacini optime de Ecclesia meritum, V. Servum Dei judicarunt.*

§ 19. *Communis opinio V. Dei Servum tamquam sanctum celebrabat.*

Rursus I. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 116. *ter.* « Ubique Viennae pollebat fama praecellentis animarum moderatoris, viri pientissimi et sancti. Scio eum ab Imperatore Francisco, a Vindobonensi Archiepiscopo Hohenwart, a Parocho Imperialis Palatii Frint, a Confessario Imperatoris Francisci Darnaut, a Professore Ackermann, ab Episcopo Zaengerle, a Canonico Schmidt, a Zacharia Werner, a Cardinale Odescalchi, et a tunc temporis Archiepiscopo Pragensi summa in aestimatione fuisse habitum; etiam Nuntii Apostolici Vindobonae, Saluzzo, Litta et Severoli valde cum honorabant. Meum judicium hoc est: fuisse eum virum sanctum et verum Dei Servum.»

§ 20. *Imperator Franciscus I., Card. Odescalchi aliique clarissimi viri eum in maxima aestimatione habuerunt.*

VI. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 136. « Eo tempore, quo ego eum novi, apud parvos et magnos ob pietatem et virtutes suas permagna florebat auctoritate. Adducere hic possum Regem Saxoniae, Vicarium Apostolicum tunc temporis Dresdensem, Nuntium in Helvetia Testaferrata, Principem Fugger et alios. Ego ipse eum consideravi jam tunc virum valde pium et sanctum, qui tota mea fiducia, veneratione et amore fruebatur. Qua vero sanctitatis fama floreret Servus Dei apud omnes animas auxilio indigentes, quibus ipsum noscere concessum erat, patet ex meis depositionibus factis de ejus industria in diversis missionum stationibus. »

§ 21. *Itemque Rex Saxoniae, Vicarius Ap. Dresdensis, Nuntius Testaferrata, Princeps Fugger etc.*

XIX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 432. *ter.* « A Rege Poloniae Stanislao, et a Nuntiis in Varsaviensi Aula commorantibus magni eum fuisse habitum, haec omnia scimus ex Tannoja, qui anno 1802. vitam S. Alphonsi ediderat Neapoli. »

§ 22. *Sanctitatis famâ florebat apud eos maxime, qui nobilitate et doctrina praestabant.*

XXV. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 515. « Quicumque eo tempore fidei antiquae fidem servaverat, et eximii viri tunc ad fidem catholicam reversi, Patri Hofbauer sese adjunxe-

runt, nempe: Schlegel, Schlosser, Pilat, Klinkowström, Werner, Adam Müller, liber Baro de Penkler, comes Szechenyi et complures comitissae et principes foeminae Poloniae; parochus caesarei palatii, et Imperatoris Francisci confessarius Darnaut, canonicus Schmidt, Patres Servitae tunc valde aestimati: Bernardinus et Maximus, deinde Theologiae professores Ackermann, Zaengerle, Ziegler, posteriores duo Episcopi postea Seccoviensis et Linciensis, et multi alii. »

§ 23. *Confirmatur dictum* § 10.

II. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 141. *ter.* « Scio, et quidem de visu, doctos Protestantes, quos exempli gratia in domo domini de Pilat, tunc temporis Secretarii aulici, reperit, mirabili quadam vi attractos ab eo fuisse, ita ut venerationem et amorem illi servarent. »

§ 24. *Etiam qui liberius viverent eum reverebantur.*

Et *juxta idem Interr. fol.* 149. « Misere vestitus, pileum manu et pileolum nigrum in capite gestans impavide pertransiit inter medias elegantium ambulatorum turmas, tum in plateis, tum in spatioso deambulationis loco extra muros, et isti plerumque cum veneratione aut saltem cum verecundia ipsi cedebant viam. »

§ 25. *Viri et matronae perillustres constanti veneratione eum prosequuti sunt.*

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 162. « Indifferentis vulgi plausum non tulit; sed viri, prout canonicus Schmidt, Episcopus Friut, canonicus et postea Episcopus Zaengerle, capellanus aulicus Darnaut, consiliarius aulicus Müller, liber Baro de Penkler, consiliarius legationis Fridericus Schlegel, Princeps Archiepiscopus Hohenwart, multi summae nobilitatis viri et matronae, deinde magnus divitum et insignissimorum civium numerus, etiam tunc temporis Archiepiscopus Mechitaristarum, multique alii, quorum nunc non habeo memoriam, sincera et inconcussa veneratione ac amore eum sunt prosecuti, nec non illius praeclari animi testes fuerunt ubique. Centrum quoddam, ex quo vim suam exercebat in homines legatoriae provinciae, id est in plurimos viros conspicuos tam catholicos quam protestantes, Germanos et alios, ipsi erat domus Secretarii aulici nobilis viri de Pilat. Ex hominibus cujusvis horum ordinum, quos ego quidem noscere potuerim, et ex juvenibus cujusque conditionis apud eum convenientibus, nullus erat, qui non virum omnino sanctum eum habuisset, et simpliciter et absolute illi credidisset. Quantumvis omnes isti homines inter sese differrent, eodem tamen modo omnium ab eo afficiebantur animi.»

§ 26. *Quasi Philippus Nerius alter Vindobonae reputatus est.*

Rursus XIX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 432. « Vindobonae generatim, et inter omnes populi ordines, magna erat opinio de Servi Dei sanctitate; juxta omnia ea, quae ipse ego vidi et ab aliis audivi, jure merito S. Philippo Nerio comparari ille potest, magnam habens cum eo similitudinem in alta cordium et conscientiarum scrutatione, in zelo animarum, in indefessa confessionum exceptione (in ipso supremo morbo), in toto vitae tenore populari et simplici, in conversatione cum omnis generis hominibus, in aversione

erga falsos, hypocrisin et pietatem affectatam (pinzocheria). Prout ipse sincerrima plenus erat pietate, ita etiam poenitentes suos ad solidam induxit pietatem. »

Rursus I. Testis *juxta* 8. *Interr. fol.* 85. *ter.* « Novi Patrem Hofbauer virum pro gloria Dei, pro causa Ecclesiae catholicae, et pro salute animarum totum inflammatum; ac propterea ipsi fui adhucque sum addictus tota ex anima. Summo affectus sum gaudio audiens ipsius Beatificationis causam institui, eamque desiderare debeo, cum tantum laboraverit passusque sit Servus Dei pro causa Dei. »

IV. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 189. *ter* « Certum est eum in omnibus circulis, qui fidem adhuc habebant, virum fuisse reputatum Sanctorum vestigia terentem. Ego eum tunc reputavi, et nunc adhuc reputo virum sanctae vitae, et hanc de eo nutriens opinionem gaudio afficior, quod hic ei reddere possum testimonium. »

VIII. Testis *juxta* 8. *Interr. fol.* 251. « Tantam erga Servum Dei vivum et mortuum habui venerationem, ut in orationibus meis, ex quo obiit, saepe ejus imploraverim intercessionem, et ut ita dicam, tamquam patronum meum eum venerata sim. »

§ 27. *Sancti appellatione passim designabatur.*

Et *juxta* 31. *Interr. fol.* 260. *ter.* « Adhuc vivens non alio, ac viri sancti nomine compellabatur, et ex omnibus partibus, qui conscientiae res ei confiderent, accurrerunt. Tali fama pollebat apud personas tum altissimae tum infimae conditionis. Scio solummodo, eum eo tempore omni, quo ego de illo audivi, virum sanctum fuisse habitum. Ubique et semper summa cum veneratione homines de eo loquebantur: uti jam dixi, vir sanctus est reputatus. Non possum aliis uti verbis, nisi quod eum semper virum justum et sanctum reputaverim. »

§ 28. *Fama Sanctitatis in dies magis augebatur.*

X. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 302. *ter. respondit*: « Vindobonae summa de Servi Dei sanctitate vigebat opinio. Quem audirent, quem consulerent, cujus moderationi sese subjicerent, homines cujusvis conditionis quaerebant. Seccoviensis Episcopus Romanus Zaengerle, et Episcopus Linciensis Thomas Ziegler magnam ei exhibuerunt venerationem; et bona fama, quam habebat, non est diminuta, sed potius crevit usque ad ejus obitum. Ipsa ego de eo habeo opinionem, quae major esse non posset, et eum reputo Sanctum valde magnum. »

Concordat Testis XI. juxta 31. *Interr. Proc. fol.* 320.

XII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 329. *respondit*: « Servus Dei ab omnibus bonis eum cognoscentibus ex altis et inferioribus classibus hominum pariter magna habebatur in aestimatione. Ubique eum reputabant piissimum, imo sanctum virum: una vox omnium vigebat de hac ejus fama. Ego ejusdem fui opinionis, et mater mea saepe fidem nobis fecit, super omnia Servi Dei verba et opera peculiarem esse benedictionem. »

Et *juxta* 32. *Interr. fol. eod.* « Scio autem, ejus confessarium

Franciscum Schmidt Ecclesiae Sacramenta illi administrasse, eoque demortuo matri meae dixisse: « *Gaude, cara soror, sanctum cibasti.* » Mater mea soror erat germana Francisci Schmidt, et Pater Hofbauer, prout jam dixi, saepe in domo nostra coenavit. »

XV. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 379. *respondit:* « Servus Dei ab omnibus, qui eum noverant, quique erant homines cujusvis conditionis, sanctus habitus est vir. Multi ad eum confugerunt cum consulturi. Eandem opinionem de ejus sancta vita ipse ego habui.»

§ 29. *Hujus famae celebritas generalis et constans.*

XVI. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 389. *respondit*: « Propria experientia confirmare possum, magnam de Servi Dei sanctitate Vindobonae fuisse opinionem, quam quidem homines habuere cujusvis conditionis. Bona ista fama ad obitum usque intemerata illi permansit. Intima mihi est persuasio, ejus vitam sanctorum aequare vitam, quos S. Ecclesia venerandos nobis proponit.»

XVII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 452. *ter. respondit*: « Pater Hofbauer tum Varsaviae (quod de auditu novi), tum praesertim Vindobonae (quod ipse ego sum expertus), universim honoratus est inter zelantissimos apostolicos viros, nec solum a plebe, sed et ab hominibus doctis et conspicuis, nec per breve tantum spatium, sed constanter usque ad mortem suam. Ipsi Summi Pontifices Pius VI. et Pius VII. etiam Imperator Franciscus I. monstrarunt, quantum sibi probaretur ille, quantumque ei confiderent. Nuntium Apostolicum Vindobonae commorantem Severoli, specialissime et publice amorem et venerationem illi exhibuisse propria novi experientia. Eximium amorem et venerationem ei etiam exhibuit Zaengerle, qui postea fuit Episcopus Seccoviensis. Mihi Pater Hofbauer erat pater et lux manens vitae meae, quidquid enim habeo, ipsi debeo, semperque eum sanctum agnovi sacerdotem.»

§ 30. *Pio VI probatissimus fuit, ejusque successori.*

XX. Testis *juxta* 7. *Interr. fol.* 459. *ter. respondit*: « A juventute mea eum celebrari semper audivi tamquam prodigium et virum insolitae pietatis, qui vere in odore sanctitatis vixit et obiit.»

§ 31. *Tamquam prodigium singularis virtutis celebratus est V. S. D. dum viveret.*

XXI. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 475. *respondit*: « P. Clementem M. Hofbauer, felicis recordationis, etiam a viris pietate, magna dignitate et doctrina eximiis valde fuisse honoratum, testari possum.»

XXIV. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 503. *ter. respondit*: « Quicumque ejus operâ reducti fuerant ad vivam fidem et meliorem vitam moralem (plerumque nobiles studentes et ancillae) de sublimibus Patris Hofbauer virtutibus haud dubitabant, prout et ii, qui antea jam fidei et morum observaverant praecepta, et fortuna fruebantur ejus audiendi conciones, vel in genere familiariter eo utebantur. Ista duo hominum genera P. Hofbauer virum reputabant sanctum.» Et *paulo post*: « Prout jam dixi, semper fui adhucque

§ 32. *Habitus est Religionis instaurator in Austriaco imperio.*

sum in ea opinione, P. Hofbauer sanctum fuisse virum. Ipse in Austria majorem Religionis vigorem provocavit, ad novissima usque tempora durantem.»

Et *juxta* 7. *Interr. fol.* 498. *ter. respondit* : « Venturum esse tempus, quo P. Hofbauer canonizaretur, adeo mihi coustabat, ut banc cogitationem jam amplius viginti annos mecum volverem, et variis temporibus notis meis verba de ea facerem. »

XXV. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 524. *ter. respondit*: Aliarum eximiarum personarum P. Hofbauer junctarum jam supra feci mentionem, hoc solum additurus, omnes istos viros summam venerationem erga eum, nec non intimam persuasionem de eximiis ejus virtutibus fuisse professos. Ipse ego eandem aestimationem et persuasionem habebam, qua praefati viri erant imbuti. »

§ 33. *Ex eorum sententia, qui pietate et scientia praestabant, sanctus reputabatur.*

XXVII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 562. *ter. respondit*: « Scio, P. Hofbauer a plurimis et pietate et scientia eximiis personis virum insolite et extraordinarie pium, imo sanctum fuisse habitum. Adducere hic possum: Zachariam Werner, Adamum Müller, Fridericum Schlegel, Episcopum Frint, Fridericum de Klinkowstroem, Episcopos Zaengerle et Ziegler, Canonicum Schmidt, Servi Dei confessarium. Mea opinio cum ea praefatorum virorum perfecte concordat.»

XXVIII. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 570. *respondit* : « Quod sciam, Servus Dei universali fama sanctitatis fruebatur, et tot hominum opinio, qui Servo Dei familiariter sunt usi, mihi quoque altam inculcavit opinionem de ejus sanctitate.»

Concordat XXIX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 601. et Testis XXX. *juxta* 31. *Interr. fol.* 616. *ter.* »

Num. 23. *De pretioso obitu.*

DE PRETIOSO OBITU V. S. D.

(Ex Processu Apostolico)

XI. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 428. *ter. respondit*: «V. S. D. die 15. Martii anno 1820. hora meridiana Vindobonae obiit in domo conventus nostri in via dicta «Sailerstaette» sita. Infirmitas valde dolorosa fuit: non possum bene indicare, quale malum fuerit; quidam dixerunt eum nervorum morbo occubuisse, sed nescio, an eorum opinio justa fuerit. Medicus, qui V. S. D curabat, erat Doctor Veith qui postea Sacerdos Congregationis SS. Redemptoris factus est, et nunc Canonicus honorarius Ecclesiae Metropolitanae Salisburgensis est. Multo tempore antequam V. S. D. lecto tenebatur, valde infirmabatur, uti jam mense Februario facile ex ejus vultu videre poteras, haec tamen infirmitas non impedivit vel retinuit, quominus V. S. D. more solito confessiones audiret, praedicaret, uno verbo saluti animarum

§ 1. *Quamvis jamdiu infirmus, tamen a laboribus non cessavit.*

operam daret. Uti bene memini, die octava Martii, quae erat feria quarta, et octava dies ante obitum, ultima vice in ecclesia nostra sacram Missam dixit, ac deinde ab hora nona usque ad decimam cum dimidio, monialium confessiones audivit. Sed adeo morbi dolores ingravescebant, ut prius solito a sacro tribunali surgere, et in domum habitationis suae reverti cogeretur. Sed antequam e conventu discederet, magna adhuc bonitate versus me usus est, nam me accersivit, et haec mihi dixit: « Ora multum pro me, valde enim infirmor ». Tunc ex conventu discessit, non amplius in eum rediturus. Cor meum gravi dolore transfixum erat, cum eum abeuntem oculis meis prosecuta sum; flebam vehementer, nam cogitationem, quod eum non amplius viderem, repellere non potui: ejus verba mihi ultimum valedicere in hac vita videbantur. Ejus enim aspectus erat sicut infirmantis ad mortem, et eo magis consternata fui, quia jam mense praeterito mihi dixerat, se post breve, brevissimum tempus esse moriturum. Eo tempore P. Martinus Stark sacerdos, qui cum V. S. D. vivebat, gravi infirmitate detinebatur. Hac de causa V. S. D. rogavi, ut mihi permitteret, ut in votorum emissione septem dolores B. M. V. in praedicatum eligere possem, et pro salute P. Stark obtinenda preces ad afflictissimam Matrem Dei funderem ». *Utique, utique*, respondit V. S. D. *assume dolorosam Deiparam in titulum, P. Stark sanabitur, sed ego post breve tempus moriar* ». Reposui: Rogabo Deum ut Reverentiae Vestrae ad multos adhuc annos salutem et vitam conservare dignetur». At ipse replicavit: « *Non nostra, sed Dei voluntas fiat in coelo et in terra* ». Et dicenti mihi: Nobis monialibus mors Reverentiae Vestrae nimis grave malum esset, respondit: « *Peccatum solum malum est* ». Sequenti die feria quinta, nona Martii V. S. D. uti audivi, cum summa virium contentione in ecclesia italica Missam solemnem de Requie pro defuncta principissa Jablonowska, quam propter recepta beneficia venerabatur, celebravit. Sed post Missam ita viribus confectus fuit, ut curru eum domum vehi oporteret. Statim eum in lectum miserunt, et bene recordor, jusculum carnis ex culino nostra pro eo fuisse petitum. Sabbato die undecima Martii, Pater Maximus, Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, et R. D. Franciscus Schmid, confessarius Ven. Servi Dei, ad nos venerunt, ut ejus loco monialium confessiones audirent, sicut id Ven. Servo Dei impedito semper fecerunt. Usque in diem Dominicam ejus sanatio sperabatur, et omnes notitiae, quas ad nos tulerunt, affirmarunt, ipsum melius valere. Ego vero graviter afflicta fui, nec his notitiis fidem praestare potui. Maxime die dominica lacrymis temperare non potui, et de causa lacrymarum interrogata, aliud responsum nescivi, nisi quod post breve confessarium amitteremus. »

« Et iterum interrogata, unde hoc scirem reposui: Ipse mihi ante plures hebdomadas dixit, se post breve, perbreve tem-

§ 2. *Die 8 Martii, apud Ursulinas, postremo Sacrum peregit, et monialium confessiones excepit.*

§ 3. *Praedicit propriam mortem et P. Stark sanationem.*

§ 4. *Eximia monita testi a Ven. S. D. data.*

§ 5. *Die 9 Martii ultimam Missam cantat in ecclesia Italorum.*

§ 6. *Domum reversus in lectum mittitur.*

§ 7. *Describitur cursus ultimae infirmitatis.*

§ 8.
Ecclesiae Sacramentis refectus moritur die 15 *Martii* 1820.

pus esse moriturum. Revera feria secunda ejus infirmitas ita ingravescebat, ut sequenti feria tertia a confessario suo pio sacerdote Francisco Schmid ultima sacramenta reciperet, et feria quarta, die decimo quinto Martii meridie animam puram in manus Domini traderet. D. Franciscus Schmid confessarius, D. Romanus Zaengerle Professor, et Marianna, nostri conventus serva, qui in obitu Ven. Servi Dei praesentes erant, hanc nobis circumstantiam valde commoventem narraverunt. Cum meridie sonus campanarum salutationem angelicam annuntiare inciperet, Pater Hofbauer omnibus viribus collectis dixit: « *Orate, sonant: Angelus Domini.* » Omnes genuflexi salutationem angelicam recitaverunt. Cum iterum surrexissent, et lecto appropinquassent, Ven. Servum Dei viderunt caput ad latus declinasse et animam spirasse. Omnes valde commoti erant. »

§ 9.
Moriens adstantes monuit, ut ad meridianum signum campanae salutationem angelicam recitarent.

« Nos moniales vix mensae assedimus, cum nuntius de ejus obitu allatus est; inde ortus est communis omnium fletus et singultus, nemo edere poterat. Communitas statim a mensa surrexit, et in ecclesiam se contulit, ut ante divinum Sacramentum preces funderet pro anima Ven. Servi Dei; magis vero, ut Deus conventui alium Patrem et Sacerdotem valde pium tamquam confessarium donaret. Ven. Servus Dei dolores infirmitatis cum summa patientia sustinuit, ita ut omnes adstantes aedificarentur. Ex vultu ejus gravissimos dolores, quos passus est, videre poteras, sed ex ejus ore ne minima quidem querela audita est. »

§ 10.
Dolores infirmitatis patienter sustinuit.

I. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 197. *respondit*: « Scio V. S. D. Vindobonae in domo Ursulinarum quam inhabitabat, die 15. Martii anno 1820. hora meridiana, cum campanae salutationem angelicam annuntiarent, mortuum esse. Hoc omnibus notum est, qui tum Vindobonae et prope Ven. Servum Dei erant. Mortuus est ex inflammatione haemorrhoidum, quo malo jam ab annis laboraverat. Dolores vehementes summa cum patientia pertulit, aliis adhuc officia charitatis exhibendo, eorumque confessiones audiendo. Cum D. Josephus Kraus jam defunctus ei diceret, quanto dolore de ipsius conditione afficeretur, Ven. Servus Dei respondit: « *Quod vult Deus, quomodo vult Deus, et quando vult Deus.* » Et Pater Pajalich refert, voluisse Servum Dei, dum ex praecepto medici balneo uteretur, ut ei ex libro spirituali praelegeretur. »

§ 11.
Mortuus est ex inflammatione haemorrhoidum.

§ 12.
Totum se divinae submisit voluntati.

« Ven. Servus Dei usque ad ultimum momentum in exercendis virtutibus suis perseveravit. Cum jam agonizaret, juvenes amici assistentes inter se locuti sunt, et sonitum campanarum ad « Angelus Domini » non audierunt. Sed Ven. Servus Dei sonitum audivit, et juvenes monuit, ut « Angelus Domini » dicerent. Hoc erat ultimum verbum, quod protulit: cum enim dicta oratione surgerent, et oculos in eum verterent, jam mortuum invenerunt. Notum quoque mihi est, Ven. Servum Dei ad interrogationem R. P. Madlener, an ul-

tima Sacramenta recipere vellet, respondisse affirmative, et statim ejus confessarius Franciscus Schmidt a S. Stephani ecclesia vocatus est, qui ei Sacramenta morientium administravit. Nemo scit, Ven. Servum Dei in mortis articulo tentationes subiisse. Ven. Servum Dei in lectulo mortis positum divinae voluntati plene se remisisse ex verbis modo relatis patet: *Quod vult Deus, quomodo vult Deus, et quando vult Deus*; sicut etiam ex quiete per totam ejus figuram effusa. Equidem tempore ejus infirmitatis et obitus ipse Vindobonae non fui; sed quae deposui, ex ore plurium testium qui infirmanti et morienti adstiterunt (e quibus Patrem Pajalich, Patrem Madlener, Dominum Veith adducere possum) accepi. »

§ 13. *ConfessariusSchmidt ipsi petenti Sacramenta administravit.*

II. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 224. *ter. respondit*: « Quantum recordor, Ven. Servus Dei anno 1820. mortuus est. Brevissimo tempore lecto defixus erat. Qua infirmitate laboraverit nescio. Franciscus Schmidt tunc sacerdos curiae principis Archiepiscopi, postea Canonicus ad S. Stephanum, ultima Sacramenta ei administravit. Morbi dolores Ven. S. Dei patienter tulit, et quietissime in Domino obdormivit. Una vel duabus diebus ante mortem pro ipso in ecclesia B. Mariae V. Auxiliatricis, noto Sanctuario Vindobonae sacrificium Missae obtuli: »

§ 14. *Confirmantur dicta superius.*

III. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 243. *respondit*: « Fere omnibus constat, Ven. Servum Dei die 15. Martii anni 1820. circa meridiem esse defunctum. In diario defuncti patris mei hoc die notatum est: « Hodie obiit pater meus spiritualis. » Nihil deponere possum nec de natura morbi, nec quomodo Ven. Servus Dei durante morbo se gesserit. »

VIII. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 368. *ter. respondit*: « V. S. D. obiit die 15. Martii anni 1820. in domo ad nostrum conventum pertinente, in via dicta « Seilerstaette. » Illa domus hodie non subsistit amplius; nam destructa, et ejus loco nova domus aedificata est. Ultima infirmitas, ut opinor, malum haemorrhoidum erat; morbus, quantum scio, celerrimo cursu mortalis devenerat, et vix per quatuordecim dies Ven. Servus Dei lecto affixus erat. »

« Ven. Servus Dei patienter sustinendo dolores infirmitatis suae omnibus exemplum fuit. Scimus ex relatione personae, quae eidem in ultima infirmitate servitia praestitit, ipsum ita se gessisse, et dolores pertranquille pertulisse, ut omnibus summae aedificationi esset; et illa quidem persona ea re ita commota est, ut brevi ibi esse desideraret, ubi Ven. Servus Dei obitu suo receptus est. Hoc pium desiderium revera post breve adimpletum est; nam paulo post obitum Ven. Servi Dei ex hac vita migravit. Franciscus Schmidt, Canonicus ecclesiae Metropolitanae, ejus confessarius erat, et ultima sacramenta ei administravit, et ni fallor, agonizanti spirituale auxilium praestitit. Audivi Ven. Servum Dei penitus in voluntatem Dei submissum tam sua-

§ 15. *V. S. D. patientia sua omnes aedificavit.*

viter et pie obiisse, sicut a viro qui sanctam vitam egerat non aliter erat expectandum. »

I. Testis ex officio *juxta* 38. *Interr. fol.* 695. *ter. respondit*: « V. S. D. obiit die 15. Martii 1820. in habitatione sacerdotum conventus Ursulinarum, uti optime recordor. In libris a me indicatis legi, ipsum ex inflammatione haemorrhoidum diem supremum obiisse, particularia vero de re afferre non possum. D.r Emmanuel Veith tamquam medicus eum curavit. Franciscus Schmidt, sacerdos vitae sanctitate conspicuus, qui postea Canonicus ecclesiae Metropolitanae ad S. Stephanum factus est, spiritualem assistentiam ei praestitit. »

§ 16. *Similis S. Alphonso pariter feria IV. ad sonum campanae, salutationem angelicam annuntiantis, obiit.*

II. Testis ex officio *juxta* 38. *Interr. fol.* 766. *respondit*: « Quantum scio, V. Servus Dei Vindobonae in habitatione sua, in via dicta « Seilerstaette » N. 1048. die 15. Martii anno 1820. feria quarta in meridie, cum campanae ad « Angelus Domini » sonarentur, mortuus est. Hanc circumstantiam adnoto, quia etiam S. Fundator Alphonsus feria quarta eo momento, quo « Angelus Domini » annuntiabatur, spiritum emisit. Huic depositioni meae attestationem legalem de ejus obitu adjungo. V. S. D. jam initio Martii anno 1820. infirma valetudine laborabat; nihilominus in ecclesiam Italicam se contulit, pro defuncta principissa Jablonowska Missam de « Requiem » celebraturus, et sic sensus gratitudinis exhibiturus, cum illa pia Dña Congregationi multa beneficia praestitisset.

§ 17. *Ultimam Missam in grati animi significationem pro eximia benefactrice obtulerat.*

Nonnisi cum contentione omnium virium sacram functionem terminare potuit, sed ita debilitatus fuit, ut curru domum deducendus esset. Illa sacra functio ultima in sua vita erat. Vehementi haemorrhoidum inflammationi postea gangraena accessit. Infirmitates, angores et graves, quos passus est dolores cum patientia tulit, totus voluntati Dei deditus. « *Quod Deus vult, quando Deus vult, quomodo Deus vult,* » haec erant orantis suspiria. Medicum habuit Doctorem Emmanuelem Veith; R. D. Franciscus Schmidt, animarum curae ad S. Stephanum addictus, et V. S. D. confessarius, ultima Sacramenta ei administravit, et sic V. S. D. die praedicto placide et tranquille obdormivit. »

VII. Testis *juxta* 38. *Interr. fol.* 318. *ter. respondit*: « V. S. D. obiit die 15. Martii anni 1820. in domo locatitia Ursulinarum, in via dicta « Seilerstaette. » Quo morbo mortuus sit, accurate dicere non possum. Certum est, ipsum saepe doloribus haemorrhoidum laborasse. Patientissimus fuit in ultima infirmitate et omnia incommoda, et graves dolores in silentio, et plena submissione in voluntatem Dei pertulit, saepius repetens illud effatum: « *Quod Deus vult, quomodo Deus vult, quando Deus vult.* »

§ 18. *Graves dolores cum silentio tulit.*

Cum summa devotione ex manibus confessarii sui, Francisci Schmidt, qui eo tempore curae animarum in ecclesia Metropolitana ad S. Stephanum addictus erat, ultima Sacramenta recepit. Totus ejus habitus et verba interdum prolata probaverunt animam Ven.

§ 19. *Orando semper cum Deo unitus videbatur.*

Servi Dei penitus in Deo fuisse demersam. Cum Ven. S. D. animam ageret, caput manibus plicatis innixum erat, et videre poteras eum mentaliter orare. Sic usque ad ultimam felicem horam, quae erat duodecima meridiei, cum campanae salutationem angelicam annuntiarent, devotus et patiens permansit. Ultima verba, quae Ven. Servus Dei discipulis suis dixit, haec erant: « *Orate, salutatio angelica sonatur.* » Et dum « Angelus Domini » recitaretur, Deus animam ejus coelesti pulchritudine ornatam, ad se assumpserat. Expectabant discipuli, ipsum discedentem plura verba illis esse dicturum, sed in vanum erat. Ven. Servus Dei, uti Pater Madlener dixit, in ultimis vitae horis liber sigillis clausus erat. Depositiones meae relationibus desumptae sunt, quas a personis, quae ad lectum morientis Ven. S. D. stabant, recepi, ex quibus nominare possum Patrem Madlener, Springer, Joannem Emmanuelem Veith, qui quantum scio, in Processu ordinario jam examinatus est. »

§ 20. *Describitur forma et figura corporis V. S. D.*

Et *juxta* 53. *Interr. Proc. fol.* 325. *ter. respondit*: « Sequentia tantum quae ad externam formam Ven. Servi Dei spectant, subjungere volo: Erat Ven. Servus Dei mediae altitudinis et robusti corporis, pectus et humeri praecipue fortitudine eminebant, collum aliquantulum breve, caput rotundum bene formatum; facies magis rotunda quam oblonga erat. Quamvis semper gravis, tamen semper comis, et vultu subridens fuit. Ridentem quidem eum nunquam videbas, utique vero aliquando leniter subridentem. Oculos semper semiclausos tenebat; quodsi vero de aliqua fidei veritate loquens ab ea abreptus eos aperiret, splendor, fulminis instar, ex eis erumpere videbatur. Rectus incedebat, caput solummodo aliquantulum pronum erat. Quamvis ciborum parcissimus, et multis ac valde difficilibus laboribus occupatus fuerit, tamen macer non erat dicendus; et quamvis in eo virum fortem et energicum statim cognosceres, tamen nec in habitu corporis, nec in quocumque motu quidquam habebat, quod superbiam saperet. Semper simplici habitu religionis vestitus erat; aestate mantellum ex panno levi nigri coloris cum firmo collari portabat, quod aliquantulum circa corpus revolvebat, ne rosarium, quod manibus tenebat et recitabat, conspiceretur. Hieme mantellum ex panno caeruleo portabat. Caput pileolo nigri coloris obtectum erat, etiamsi per vias publicas incederet. Capilli Ven. Servi Dei fusci erant et ultimo vitae tempore aliquantulum cineracei. »

(Ex Processu Ordinario)

II. Testis *juxta* 32. *Interr. fol.* 163. *ter. respondit*: « Servus Dei obiit die 15. Martii anni 1820. in parva domo ad Ursulinarum conventum pertinente in vicnlo Seilerstätte Vindobonae, ubi habitabat tamquam confessarius et rector mo-

§ 21.
Morbus V. Servi Dei describitur.

nasterii. Tota hieme laboraverat vehementi haemorrhagia intestini recti, nihil ideo sibi parcens. Bis vehementissima correptus fuit febri, pulsibus arteriae ad centum quinquaginta in sexagesima horae parte ascendentibus, intermixtis cum delirio paroxismis, in quibus tamen magna cum rapiditate aliud non proferebat, nisi textus S. Scripturae, Patrum sententias, quos omnes nominabat et similia, claro omnibus argumento, eum etiam in febri sacris solummodo occupatum fuisse cogitationibus.

§ 22.
Vi febris in delirium actus V. D. F. cogitationes sanctas volvebat animo.

Ob periculosos hos paroxismos (Sulphas Chininae, il chinino, adhuc ignorabatur) majorem subtilis pulveris chinensis copiam, cum ordinarius ejus essem medicus, dare me illi oportebat, quamvis ista medicina summum ei afferret fastidium, et malo alvi haud conveniret. Mense Martio morbus haemorrhoidalis ingravescens in intestini recti inflammationem prout et vesicae, uretris et partium circumjacentium progressus est, quae sanguisugis applicatis nullatenus decrescebat, sed exhaustis jam viribus in gangraenam transiit. Urinalium organorum conditio ob retentionem urinae applicare catheterem coëgit, cui operationi aegrotus, quamvis ex pudicitia summam monstraret aversionem, etiam sese subjecit. His in circumstantiis morbus rapide processit, quamvis agonia ultra viginti quatuor horas se protraheret. Aegroti, qui, quo tempore vix fixis stare poterat pedibus, celebraverat Sacrum silentium nemo audebat interrumpere, ut de suscipiendis Sacramentis morientium interpellaretur. Vir quidam, quem sanctum reputo, P. Bartholomaeus Pajalich, tunc temporis jam sacerdotio initiatus, magna cum anxietate eum observabat, quin tamen aegrotum in se collectum interrogare auderet. Me praesente P. Joannes Madlener eum demum interrogare statuit his verbis: « P. Hofbauer, vis ne recipere Deum? » Istius interrogationis forma, dogmatica praecisione carens, moribundum ecclesiastico spiritu apprime imbutum, manifeste pungere videbatur, et denuo magistrum agens respondit: « *Sacram Communionem* ». Post haec Ecclesiae munitus est Sacramentis.»

§ 23.
Rogatus, an vellet Sacramenta recipere, libenter annuit.

§ 24.
Donec vires suppeterent confessarii munus exercet.

Et *paulo post fol.* 165. « Servum Dei in ultimo illo morbo, quoadusque vires permitterent, pluribus personis valde angustiatis, et de eligendo futuro moderatore interrogaturis, aures praebuisse ad conscientiam exonerandam, juxta veritatem de visu possum testari. Postremo biduo in continuo jacebat silentio, et fere absque ullo corporis motu, silentium hoc non interrumpens, nisi praefato responso. Aliud non proferebat, sed in continua contemplatione ab omnibus rebus externis videbatur avulsus, qui quidem status duravit usque ad obitum, vehementi intercedente commotione robustorum organorum respirationis. Sacramentorum administrationi non interfui; de aegroti autem situ, quem notitiae quaedam inquietum fuisse memorant, notare debeo, me nullam ejus in lecto vidisse volutationem, sed aegrotum taciturnum sem-

per et quietum, facie ad parietem versa, observasse. Quodsi primo gravis morbi die cantici recitavit initium: « *Omnia in honorem Dei mei* » particulare quid ideo in hoc non est quaerendum, quia huic cantico matutino a pueritia assuetus magnis etiam corporis doloribus oppressus, hanc piam proferens sententiam quarta hora matutina surgebat. Ultima nocte ipse ego ad ejus lectum vigilans nullam externam observavi inquietudinem, excepto rumore ob pulmonum debilitationem comitante respirationem. Hilarem et benevolum vultum in mortis articulo assumptum et semper remanentem, ipse ego observare potui et admirari.»

§ 25. *In extremo agone quietus tacitusque mansit.*

§ 26. *Hilarem et benignum vultum V. S. D. in articulo mortis servavit.*

X. Testis *juxta* 22. *Interr. fol.* 296. *ter. respondit*: « P. Hofbauer supremo morbo decumbens et morti jam proximus hilari et jucundo vultu matri meae adhuc decumbenti circa horam sextam matutinam apparuit, interrogans eam: « Num res tua penes Imperatorem pendens est composita? » (agebatur de impetranda pensione) et ei annuenti Servus Dei exposuit, in altis praesertim hominum circulis, magistratibus, fidem amplius non inveniri, et deinde, se in eremum suam abire, ter ista repetens verba. Mater nostra sexaginta jam compleverat annos (erat nutrix nostra) et apparitionem in somno habebat. Soror mea Anna, nunc jam defuncta, hora septima tristem nuntium domum afferens, P. Hofbauer animam agere, a matre hoc tulit responsum: « Plus te ego scio; P. Hofbauer certe moritur; ipse apud me fuit, omnia mihi narrans ». Tantum autem gaudebat, ut gravis de instanti damno dolor perquam leniretur. Familia nostra persuasum habebat, et alii etiam ejusdem erant opinionis, P. Hofbauer sua apparitione carae matri nostrae, et nobis gratum exhibere voluisse animum; licebit enim referre, familiam meam inter primarios P. Hofbauer fuisse benefactores.»

§ 27. *Piae mulieri morti proximus laetus et jucundus apparuit.*

I. Testis *ad art.* 135. *fol.* 123. *ter. respondit*: « In isto solemni Sacro ego Subdiaconi et P. Pajalich Diaconi munus peregimus. P. Hofbauer vultum moribundi praeseferebat, dolore sese manifestante tum de morte piae Principis, tum proprii morbi. »

Et *juxta* 22. *Interr. fol.* 109. *ter.* « Maxima cum patientia pertulit ingentes istius ultimi morbi dolores, atque motus omnes a morbi doloribus productos cohibuit, cum illi dixissem: Pater mi, ex amore Jesu quietus jaceas. Et ille: ita ita, inquiens, quietus remansit, plicatis quasi ad orandum manibus usque ad mortem, quae nonnisi post plures accidit horas. »

§ 28. *Charitatis actus et patientiae morti vicinus elicit.*

Et *juxta* 32. *Interr. fol.* 117. « Felicis recordationis (il fu) P. Hofbauer mortuus est die 15. Martii anno 1820. Vindobonae in domo eo tempore ad Moniales Ursulinas pertinente, in viculo dicto Seilerstaette (cujus numerum nescio) et quidem gangraena, quam haemorrhoides produxerant. Quamvis graves pateretur dolores, nunquam tamen querelam

§ 29. *De acerbissimis doloribus conquestus non est.*

movebat, et quomodo ad monitum meum etiam corporaliter se quietum haberet, ad interrogatorium 22. jam deposui. » Et *ad art.* 139. *fol.* 124. « Eo die, quo Servus Dei mortuus est, alia ab eo verba non audivi, nisi ea : « Ita, ita » prolata ad precem meam: « Pater mi, esto quietus ex amore Jesu. »

§ 30. *Vultus V. S. D. demortui dormienti similis videbatur.*

Et *ad art.* 140. *fol. eod.* « Scio, verum esse, Servum Dei post mortem colorem et vultum viventis retinuisse; lineamenta apparebant hominis serene et placide dormientis, non vero mortui. »

XXV. Testis *juxta* 32. *Interr. fol.* 525. *respondit*: « P. Hofbauer brevi tantum tempore decumbebat. Lethalem morbum, cujus specificum nescio nomen, inde contraxit, quod paucis ante obitum diebus, cum valde frigesceret, primo mane in dissitum sese conferebat suburbium, in Mechitaristica ecclesia confessiones exceptum. Morbus ideo evidenter invalescebat, quod principis foeminae Jablonowska obsequutus precibus pro ejusdem defuncta Matre Missam funebrem celebraret. Valde aegrotus domum rediit et lecto affixus est, quem non dereliquit amplius. Scio solum, suscepisse eum Ecclesiae Sacramenta, pariter novi, Doctorem Emmanuelem Veith in isto morbo medici curam illi adhibuisse. Dolores admodum graves summa cum patientia pertulit, et animam placide reddidit die 15. Martii anni 1820. versus meridiem in sua habitatione in viculo Seilerstatte. Omnes hae depositiones propria mea experientia nituntur. »

§ 31. *Ut officiis s. ministerii et grati animi satisfaceret, morbum quo occubuit contraxit.*

XXIX. Testis *juxta* 32. *Interr. fol.* 601. *ter. respondit*: « Obiit Pater Hofbauer Vindobonae in sua habitatione die 15. Martii anni 1820. morbo relative breviori, et quidem haemorrhoidali vesicae inflammatione dolorosissima. Quod sciam medico utebatur tunc temporis Directore veterinarii Instituti, Doctore Emmanuele Veith. Prout Doctor Veith, qui medicam ejus gessit curam, deinde Pater Madlener et Pater Pajalich qui partim ei inserviebant, mihi narrarunt, ille patiens erat in perferendis doloribus et perfecte sanctae Dei voluntati submissus. Poenitentiae Sacramentum ante obitum, quod ego sciam, a praelaudato Canonico Francisco Schmidt, et postea sanctum viaticum et extremam unctionem suscepit. »

§ 32. *Se divinae voluntati resignavit.*

XXX. Testis *juxta* 31. *Interr. fol.* 619. *ter. respondit*: « Audivi ab aliis, Patrem Hofbauer versus finem Februarii anni 1820. periculosum incidisse in morbum ; hunc morbum omnibus injecisse timorem de ejus vita; postea jam de sanatione fuisse conclamatum ; eum a confessario Curato Schmidt fe. me. accersito Ecclesiae Sacramenta suscepisse, et die 15. Martii in Domino obdormiisse. »

§ 33. *Ecclesiae Sacramentis refectus est.*

XVII. Testis *juxta* 32. *Interr. fol.* 453. *respondit* : « Pater Hofbauer obiit anno 1820. (diem et mensem ignoro) in hospitio suo prope ecclesiam S. Ursulae et quidem haemorrhoidum morbo, qui nimio labore et perfrigescendo in missae celebratione pro principe foemina Jablonowska lethalem ad

gradum pervenit. Aegrotum, quem decumbentem saepissime visitavi, vehementes dolores summa cum patientia et mansuetudine tolerasse, et semper fere in oratione defixum, saepiusque perfectam cum divina voluntate unionem fuisse protestatum, pro certo testari possum. Sacramentorum administrationi non interfui. Medicus, qui eum curabat, erat ejus intimus cultor et discipulus Doctor Emmanuel Veith. Proprius morbus lethalis paucos tantum durabat dies, et ipse continue medici mandatis exactissime est obsecutus. Regulas instituti sui per totam vitam ipsi tam caras, usque ad ultimum etiam vitae halitum exactissime observavit. »

§ 34. *Dum laboraret morbo lethali in oratione perseveravit.*

§ 35. *Mandatis medici exactissime est obsequutus, et Congregationis regulas usque ad exitum servavit.*

Et *juxta* 21. *Interr. fol.* 440. *ter.* « Nec in ultimo suo morbo lectulum admisit meliorem. »

DE CONCURSU AD FUNUS
DE HUMATIONE ET TRANSLATIONE

Num. 24. *De concursu ad funus, de humatione et translatione.*

(Ex Processu Apostolico)

IX. Testis *juxta* 39. *Interr. fol.* 434. *respondit*: « Ven. Servi Dei cadaver ego quidem non vidi, sed a testibus oculatis relatum mihi est, plurimas personas accurrisse, ut Ven. Servo Dei venerationem et grati animi sensus exhiberent. Osculabantur defuncti manus, et aliqua re Ven. Servi Dei tamquam in memoriam potiri studebant. Decidebant capillos defuncti, particulas vestium vel arcae sepulcralis, ut rem memoriae caram haberent. Haec scio ex relatione Annae Biringer, jam defunctae. Haec mihi etiam particulam cinguli Ven. Servi Dei attulit, quam adhuc habeo, et valde veneror. Eadem persona mihi dixit, Comitissam Szecheny non cessasse in Ven. Servi Dei cadaver oscula figere, et lacrymas fundere: vix ab eo removeri poterat. Cum quidam eam moneret, ut caveret, ne infirmitate defuncti inficeretur, cum ille typho laborasset, comitissa respondit: « *Nihil timeo:- Sancti enim non inficiunt.* « Hic referre volo, quae mihi, quatuor circiter abhinc annis, mulier quaedam rustica narravit. In cubiculum venerat, in quo cadaver Ven. Servi Dei expositum erat (et erat eadem camera in qua obierat), et cultro particulam de arca sepulchrali decidit, quam hodie adhuc devote servat. De funerali Ven. Servi Dei ex propria scientia haec referre possum. Cum funus ante nostrum conventum ferretur, idem ex fenestris videre nobis concessum erat. Erat feria quinta post meridiem, cum cadaver ante conventum nostrum in ecclesiam S. Stephani transportatum est. Ingens erat populi copia: omnes in lacrymas effundebantur, maxime nos filiae S. Ursulae. Videbas multas mulieres filios brachiis portantes, matres

§ 1. *Accurrerunt plurimi, defunctum veneraturi.*

§ 2. *Reliquias petierunt.*

§ 3. *Tamquam Sanctum eum venerati sunt.*

§ 4. *Ingens populi copia funebri pompae assistens lacrymas fundebat.*

et filii lacrymas fuderunt. Inter populum lugentem multos viros distinctos vidimus, maxime multos sacerdotes: nominare possum Professorem Zaengerle, qui postea Episcopus Seccoviensis factus est, et Professorem Ziegler, qui postea Linciensis Episcopus fuit. Aspectus tam solemnis funeris magnam nobis consolationem paravit, et dolorem nostrum mitigavit. Nobis etiam persuasum fuit, Ven. Servum Dei statim in gaudia coelestia intrasse. Franciscus Schmidt curae animarum ad S. Stephanum addictus, et Ven. Servi Dei confessarius, sacram functionem peragebat. Cum funus ante ecclesiam nostram praeterferretur, Dñus Schmidt substitit, et deposito ante portam cadavere eidem absolutionem dedit. Die octavo post, videlicet 23. Martii in ecclesia nostra Missa solemnis de « Requiem » celebrata est, qua occasione Furerius Ackermann Professor et canonicus regularis Claustro-Neoburgensis et amicus Ven. Servi Dei sacram functionem peregit. Ad hunc finem ecclesia, a discipulis et cultoribus defuncti modo solemnitati convenienti pulcherrime fuerat ornata. Minime dici potest, concursum ad funus artificiose fuisse provocatum; nemo invitatus fuerat, et tamen homines nobiles et ignobiles ex omnibus partibus concurrerunt, ut sacerdotem dignum, amicum et benefactorem modo digno honorarent. »

§ 5. *Aderant multi viri illustres.*

§ 6. *Apud Ursulinas solemnis Missa pro defuncto V. S. D. celebrata est.*

Et *juxta* 40. *Interr. fol.* 435. *ter.* « Utique mihi, ut aliis innumeris innotuit, cadaver Ven. Servi Dei in Maria-Enzersdorf portatum ibique in coemeterio parochiae depositum esse. Hic usque ad annum 1862. mansit, sed eo anno in ecclesiam Patrum Congregationis SS. Redemptoris B. Mariae ad Litus translatum est, ibique requiescit usque ad hodiernum diem. Non mihi relatum est, in depositione et translatione cadaveris aliquod miraculum contigisse, alias res deponendas non habeo. »

§ 7. *Cadaver Ven. S. D. in Maria-Enzersdorf sepultum est.*

I. Testis *juxta* 39. *Interr. fol.* 198. *respondit*: « Mors vultum serenum Ven. Servi Dei non immutaverat. Concursus hominum qui corpus defuncti Ven. Servi Dei videre cupiebant extraordinarius fuit. Hic generalis omnium concursus, haecque veneratio, qua omnes in Ven. Servum Dei ferebantur, aliquid miraculosum fuit. Concurrebant autem non solum plebeji, sed tum apud corpus defuncti, tum ad funeralia multi viri distincti et docti comparuerunt, ut mihi a testibus oculatis, qui hac de re accuratius et sufficienter referre possunt, relatum est. Ego enim eo tempore Vindobonae ipse non fui. »

§ 8. *Extraordinarius concursus ad funus miraculosus reputatus est.*

Et *juxta* 40. *Interr. fol.* 198. *ter.* « V. S. D. cadaver in coemeterio parochiali in Maria-Enzersdorf, paucis post obitum diebus in proprio sepulchro depositum est. Liber Baro Penkler qui Ven. Servum Dei venerabatur, hoc sepulchrum ei paraverat. Usque ad diem quartam Novembris anni 1862. cadaver in eo loco remansit, sed dicto die in ecclesiam Congregationis SS. Redemptoris ad Scalas Marianas Vin-

§ 9. *Cadaver anno 1862 Vindobonam in ecclesiam ad Scalas Marianas translatum est.*

dobonam translatum, ibique in presbyterio ad cornu Evangelii in sepulchro marmoreo depositum est. Operculum quod monumento sepulchrali impositum est, figuram sacerdotis Congregationis exhibet. In monumento legitur inscriptio: « Clemens Maria Hofbauer Vicarius Generalis Congregationis Sanctissimi Redemptoris, obiit die decima quinta Martii anni millesimi octingentesimi vigesimi. » Translationi cadaveris ipse interfui, et unus ex iis fui, qui illud portaverunt. Solemnitatem translationis Emus Card. Rauscher Archiepiscopus Vindobonensis multum auxit, die quinta Novembris solemnem Missam de Requie celebrando. Ea occasione Pater Staffler Societatis Jesu coram plurimis auditoribus panegyricum Ven. Servi Dei enuntiavit. Concursus hominum in translatione cadaveris Ven. Servi Dei tam extraordinarius fuit, sicut in prima ejusdem depositione. »

§ 10. *Ea occasione Emus Card. Archiep. Vindobon. Missam funebrem celebravit.*

III. Testis *juxta* 39. *et* 40. *Interr. fol.* 242. *ter. respondit*: « Cadaver Ven. Servi Dei in ecclesia Metropolitana S. Stephani concurrente magna multitudine hominum (quem concursum nemo explicare poterat, cum nemo ad interveniendum funeri invitavisset) absolutum est. Major pars funeri assistentium cereos accensos portabat, quin innotuerit, quis pecuniam ad eos emendos dederit. Sic pater defunctus mihi narravit. Corpus defuncti Ven. Servi Dei in coemeterio parochiae Maria-Enzersdorf in proprio sepulchro inhumatum est, sed uti notorie constat, paucis abhinc annis Confratribus Congregationis suae promoventibus rem, inde Vindobonam translatum, et in ecclesia ad Scalas Marianas in sepulchro, quod in presbyterio existit, depositum est. Exhumationi cadaveris in Maria-Enzersdorf ego interfui: dicere intendo me interfuisse illi exhumationi, quae pluribus annis ante translationem cadaveris in Maria-Enzersdorf facta est; tunc enim reliquiae Ven. Servi Dei in nova arcâ depositae sunt, et pro illa arcâ crypta, idest fossa muro extructa, facta erat. »

§ 11. *Plurimi funus sequentes, cereos accensos manu gestabant.*

IV. Testis *juxta* 39. *et* 40. *Interr. fol.* 259. *respondit*: « Ubique Vindobonae de funeralibus Ven. Servi Dei, cui plurimus populus absque praevia invitatione, et personae cujusvis conditionis, et praecipue nobilioris intervenerant, sermo fiebat. »

« Communiter notum est, cadaver Ven. Servi Dei in Maria Enzersdorf transportatum, in coemeterio parochiali inhumatum esse, ac ibi mansisse usquedum in ecclesiam Congregationis SS. Redemptoris Vindobonam translatum est. »

§ 12. *Concursus ad funus eo mirabilior fuit, quod nemo ad illud invitaverat.*

VII. Testis *juxta* 39. *et* 40. *Interr. fol.* 319. *ter.* « Tristis notitia de obitu Ven. Servi Dei nos omnes summa tristitia affecit. Omnes numerosi poenitentes, aliique cultores tam cari et sancti patris concordes exlamarunt: « *Nunc sanctum patronum in coelo habemus; Pater Hofbauer sanctus fuit.* » Dum corpus defuncti Ven. Servi Dei in ejus habitatione exponeretur, magna veneratio qua omnes in eum fereban-

§ 13. *Ab omnibus sanctus vocatur V. S. D.*

tur evidenti modo manifestata est. Cubiculum semper pressa hominum multitudine occupatum fuit; quilibet adhuc Ven. Servo Dei venerationem et gratissimi animi sensus exhibere voluit: omnes cum studio accurrebant, ut ejus manus oscularentur, et ardenter quaerebant, ut viri sancti aliquam etsi parvam rem in memoriam reciperent. Decidebant capillos, et parva vestium fragmenta a pluribus domum delata sunt, ut tamquam reliquias ea haberent, et ter beatus videbatur, qui hujusmodi reliquiam acceperat. Aspectus corporis Ven. Servi Dei defuncti talis fuit, ut dubitares an revera mortuus esset. Non videbatur pallor in mortuis solitus; color faciei erat uti viventis, et ex vultu bonitas elucebat, sicut ex eo vivo, ita ut omnes unanimiter exclamarent: « Profecto Pater Hofbauer hic jacet in arca sicut sanctus. » Quantae lacrymae ad ejus funus effusae sunt! quasi continue alti fletus et gemitus de gravi damno veneratissimi Patris audiebantur. Haec omnia, tamquam testis oculata scio. Servum suum sanctum, zelo plenum Deus statim post obitum adhuc in terra glorificare voluit, et quidem solemnissimo funere, quod contra omnem expectationem quidam eximii nobiles viri, qui Venerabilem Servum Dei summi aestimabant et venerabantur, paraverant. Erat praeprimis Baro Krachenfels, unus ex discipulis Ven. Servi Dei, qui simul cum aliis viris nobilibus solemnissimi funeris curam habebat. Die 16. Martii anni 1820. versus horam quartam pomeridianam funeralia facta sunt. Plures sacerdotes et viri eximii, professores, regulares et saeculares funus deducebant. Multi etiam alumni seminarii clericalis illud sequebantur. Postea numerosa turma discipulorum Ven. Patris, multi poenitentes, et magna multitudo populi incedebant. Omnes cum multis lacrymis et precibus funus in Ecclesiam Metropolitanam sequebantur, R. Franciscus Schmidt confessarius Ven. Servi Dei, et R. Zacharias Werner funus conducebant; absolutio vero funeris data est a R. D. Zacharia Werner. Quaecumque hic deposui tamquam testis oculata scio. »

§ 14. Quaerebantur tamquam pretiosae reliquiae res, quibus usus fuerat.

§ 15. Aspectus defuncti tamquam viventis erat.

§ 16. Deus solemnissimo funere servum suum glorificavit.

§ 17. Viri eximii, regulares et saeculares funus deducebant.

§ 18. Funus in Metropolitana Ecclesia absolutum est.

» Die sequenti, idest die 17. Martii hora matutina funus in Mariam-Enzersdorf prope Viennam transportatum est; deinde ibidem in ecclesia Patrum Franciscanorum, intervenientibus multis amicis et discipulis, Missa solemnis defunctorum celebrata est. Post haec funus V. S. D. a turma discipulorum in coemeterium parochiae Enzersdorf portatum, ibique in proprio sepulchro depositum est. Sepulchro inscriptio latina, quam referre nequeo addita est. In isto coemeterio cadaver V. S. D. remansit usque in diem 4. Novembris anni 1862. quo die cum magna solemnitate Vindobonam in ecclesiam Congregationis SS̃mi Redemptoris ad Scalas Marianas translatum et in presbyterio in sepulchro repositum est, super quo monumentum magnificum marmoreum erectum est. Scio ex proprio visu, hoc sepulchrum sub terra existere. Solemnitatem translationis Em̃us Card. Rauscher, qui ali-

§ 19. Post celebratam Missam defunctorum in Maria-Enzerdorf V. S. D. corpus deponitur.

§ 20. Confirmatur, quod supra §. 9. habetur.

quando discipulus et poenitens V. S. D. fuerat, valde exaltavit, die enim quinta Nov. ejusdem anni in praedicta ecclesia solemnem Missam defunctorum celebravit, qua occasione P. Staffler Societatis Jesu in praesentia plurimorum auditorum laudes V. S. D. enuntiavit. Huic magnae et valde devotae solemnitati ego ipsa interfui. De rebus miraculosis in prima depositione et translatione V. S. D. factis, notitiam non habeo. »

VIII. Testis *juxta* 39. et 40. *Interr. fol.* 369. *ter. respondit*: « Corpus defuncti V. S. D. in ejus habitatione expositum erat, et multi illud veneraturi accurrebant. Cum funeralia modo plane simplici obire intenderent, solemnissima tamen facta sunt; nam plurimi sacerdotes, populi multitudo, et permulti viri valde conspicui eidem intervenerunt. Milites quoque memores beneficiorum in sacro tribunali acceptorum ad monstrandam gratitudinem interesse voluerunt. Revera funeralia V. S. D. in processionem triumphalem mutata sunt, quod ipsa tamquam testis oculata confirmare possum. Concursus populi et sacerdotum ac aliarum personarum illustrium assistentia sponte sua, absque praevia invitatione processit, ita ut tamquam miraculum notari mereatur. »

§ 21. *Praeter intentionem funus valde solemne factum est.*

§ 22. *Concursus innumeri populi speciem miraculi habuit.*

« Postquam cadaver V. S. D. in ecclesia Metropolitana ad S. Stephanum absolutum fuerat, in Mariam-Enzersdorf prope Vindobonam translatum, et ibidem in coemeterio parochiali in proprio sepulchro depositum est. Mihi, uti innumeris aliis innotuit, funus V. S. D. a paucis annis elapsis a Maria-Enzersdorf Vindobonam translatum, et in ecclesia Congregationis SSmi Redemptoris in sepulchro depositum, eaque occasione Missam solemnem de « Requiem » quantum credo per Emum Card. Principem Archiepiscopum Vindobonensem fuisse celebratam. »

XVIII. Testis *juxta* 43. *Interr. fol.* 615. *ter. respondit*: « Scio tantum V. S. D. Vindobonae mortuum esse, et ex regestis Parochiae Mariae-Enzersdorf, quibus obitus notantur, P. Emmanuel Fleischmann Parochiae administrator, mihi in schedula relationem scriptam dedit, quam hisce exhibeo: « R. P. Clemens Hofbauer, juxta tabulas defunctorum parochiae Mariae-Enzersdorf, obiit die 15. Martii anni 1820. aetatis suae annorum 69. consumptione virium, die 17. Martii 1820. hic sepultus est . . . . Datum die anniversario obitus sui 15. Martii 1869.»

Et *juxta* 40. *Interr. fol.* 616. « Corpus defuncti V. S. D. primo in coemeterio parochiae Mariae-Enzersdorf humatum fuit. De ejus sepulchro ex propria scientia haec referre possum. Primum sepulchrum erat commune, qualiter regulariter omnibus, qui in eodem coemeterio sepeliuntur, parantur, fossa scilicet sex pedes profunda et duos cum dimidio larga facta est: in hanc fossam arca immissa, et deinde terra effossa obruta est. Sic funus V. S. D. mansit usque ad annum 1847. quo sepulchrum in cryptam immutatum est.

§ 23. *Primum sepulchrum commune an. 1847 in cryptam immutatum est.*

Nam in praesentia publicae commissionis et plurium personarum, ex quibus Patrem Salesium tunc Guardianum, et Patrem Weidlich, Congñis SSñi Redemptoris sacerdotem nominare possum, terra a sepulchro remota est, deinde arcam sepulchralem elevatam in capellam mortuariam coemeterii transtulerunt: interim vero duo caementarii e quibus unus filius meus erat, sepulchrum muro vestierunt. Apertâ arcâ, in eadem ossa humani cadaveris conspecta sunt. Vestes quae integrae apparebant cum primum aër accessit, statim dissolutae sunt, stola vero et capitis operimentum ita bene conservata erant, ut admirationem cierent. Hasce duas res Patres Congñis SSñi Redemptoris qui praesentes erant, secum tulerunt. Ossa V. S. D. in arcam novam translata sunt. Cumque quidam medicinae Doctor forcipitem adhibere vellet, quidam Dñus Wagner, Advocatus jam defunctus aliaque membra publicae commissionis me moverunt, ut manibus cooperarer, et translationem efficerem, quae hoc modo celerrime absoluta est. In nova arca primo linteum album extensum, et super eo ossa juxta ordinem naturalem posita sunt; inde quatuor lintei extremitatibus ossa cooperta sunt. Postea arca clausa et in cryptam antea benedictam demissa est. Crypta vero cooperculo lapideo clausa est. Crux lapidea, quae jam super priore sepulchro erat, remansit. Cooperculo nihil erat inscriptum, sed in base crucis tabula cum sequenti inscriptione apposita erat: « *Joannes Clemens Maria Hofbauer Congñis SSmi Redemptoris Vicarius generalis, natus Tassovici in Moravia anno* 1751. *obiit Vindobonae die* 15. *Martii anni* 1820. *Fidelis servus et prudens.* »

§ 24. *Stola per 17 annos in humido sepulchro illaesa mansit.*

§ 25. *Refertur inscriptio sepulchri.*

» In hac igitur crypta ossa V. S. D. manserunt usque ad diem 4. Novembris anni 1862. quo die iterum in praesentia Commissionis publicae e sepulchro elevata, et in novam parvam arcam ex aere confectam translata, et iu ea Vindobonam transportata sunt, ut ibi in ecclesia Patrum Congñis SSñi Redemptoris in proprio sepulchro reponerentur. Etiam huic translationi ossium V. S. D. ipse interfui, et confirmare possum, illam quasi unice per P. Josephum Kassewalder Cogñis SSñi Redemptoris sacerdotem effectam fuisse. Hunc in finem arca sepulchralis cum ossibus V. S. D. comitantibus plurimis personis quae preces recitabant, solemniter in conventum Patrum Franciscanorum in Maria-Enzersdorf portata est, ibique in quadam camera ossa translata sunt. Prior arca sepulchralis in coemeterio sub terra deposita est: ubi secunda arca sit, nescio: super praesenti sepulchro V. S. D. monumentum erectum est, cujus cooperculum figuram, sacerdotem Congñis SSñi Redemptoris videlicet V. S. D. repraesentantem, exculptam exhibet. An monumentum sepulchrale in ecclesia Patrum Congñis SSñi Redemptoris inscriptionem habeat, nescio. In coemeterio Maria-Enzersdorf ad pedem crucis, quae super

§ 26. *Describitur translatio facta anno* 1862.

priori sepulchro erecta est, mense Octobris anni 1868. altera tabula apposita est cum sequenti inscriptione:

§ 27. *De translatione inscriptio habetur in Maria Enzersdorf.*

» Ossa V. Servi D. Clementis Mariae Hofbauer inde Viennam translata, et in ecclesia B. M. V. ad Litus deposita sunt die 4. Novembris 1862.»

XIX. Testis *juxta* 40. *Interr. fol.* 624. *ter. respondit*: « Corpus defuncti V. Servi D. in coemeterio parochiali in Maria-Enzersdorf, haud longe a Vindobona, sepultum et anno 1862. inde Vindobonam translatum est. Hujus translationis ego ipse testis oculatus fui. Anno 1862. dies omnium defunctorum in diem 3. Novembris cecidit, eoque die cum pluribus patribus Congregationis SS. Redemptoris post meridiem in Mariam-Enzersdorf me contuli, exhumationi V. Servi D. reliquiarum interventurus. Quamvis coelum valde ingratum esset, tamen multi homines ex Vindobona, Maria-Enzersdorf et locis vicinis convenerant, e quibus Chirurgum Seng, Vindobonensem, et Doctorem Effenberger ex Hitzing nominare possum. Sacerdotes quoque Ordinis Sancti Francisci, quorum tamen nomina non novi, praesentes erant, cum arca sepulchralis ex crypta elevaretur. Arca ex sepulchro elevata in conventum Patrum Franciscanorum portata est; plurimique homines alta voce preces recitantes processionem secuti sunt. Deinde arcam in cameram conventus tulerunt, eamque aperuerunt, ossa vero et aliae res, quae in arca inveniebantur, in minori arca reposita sunt. Nescio, an haec parva arca ex cupro fuerit, an vero ex argento; exterius ex parte inaurata mihi videbatur. Cum ossa V. Servi D. in parvam arcam transferrentur, quasdam res mihi appropriavi, videlicet particulas arcae, vestis, parva ossa et majorem costam, quae prae ceteris melius conservata erat: sed ossa postea R. P. Provinciali Josepho Kassewalder, tunc Rectori Collegii Vindobonensis Congr. SS. Red. restituere debui. Fui etiam angustiatus, quod mihi res tam sacras appropriavi; sed et omnes praesentes similiter fecerunt, usquedum P. Provincialis severissime id prohibuit».

§ 28. *Fusius describitur translatio anno 1862 facta.*

« Sepulchrum in coemeterio prope Capellam, et quidem in parte meridionali situm erat, ipsa Capella versus orientem sita, et ad murum coemeterii constructa est. Erat idem sepulchrum lateribus vestitum, id quod cryptam vocant, et magna tabula lapidea coopertum. Ad caput sepulchri prope murum coemeterii crux lapidea, et in ejus basi inscriptio habebatur; illa inscriptio V. Servum Dei respiciebat, sed indicare non possum, quid ea contineat. Die 3. Novembris anni 1862. prima vice in coemeterio fui, et ex eo tempore amplius eo non veni. Ex veneratione V. Servi D. hanc gratiam mihi expetivi, ut proximo die, 4. scilicet Novemb. 1862, ejus reliquias a Maria-Enzersdorf Vindobonam ad Scalas Marianas proprio curru transvehere possem, et in honorem mihi duxi, ut ipse equos regerem. Die 4. Novembris cum

aliquibus sacerdotibus C. SS. Red. versus horam 3. pomeridianam in Mariam-Enzersdorf ad conventum Franciscanorum veni, ibique in ambitu interiori permultos homines festivo modo vestitos, et alta voce ante venerandas reliquias V. Servi Dei preces recitantes invenimus. Deinde arca a sacerdotibus C. SS. Redempt. quorum multi ex diversis Provinciis advenerunt in ecclesiam conventus portata, ibique funus a P. Josepho Kassewalder tunc Rectore nunc Provinciali, solemniter absolutum est. Peracta absolutione Patres C. SS. R. comitante toto conventu Franciscanorum et multo populo, arcam sepulchralem usque ad limites parochiae Mariae-Enzersdorf portarunt, ibique in curru meo eam deposuerunt. Hac occasione plures homines lamentantes et moesto corde conquerentes audivi, propterea quod ipsis, uti dixerunt, Sanctus auferretur. Vespillo quoque mecum conquestus est, dicens, se plurimam partem de redditu perdere: multi enim homines in Mariam-Enzersdorf ad sepulchrum V. S. D. precatum venerunt, quibus portam coemeterii aperiebat, pro qua re gratos se exhibebant. Procedentes a Maria-Enzersdorf, ego et P. Rector in eodem curru sedimus, in quo venerandae reliquiae in arca aenea transferebantur. Iter prosequentes in Hitzing pervenimus, ubi D. Effenberger currum ascendit, ego vero ad dirigendos equos sedem anteriorem conscendi. Quamvis hora tarda esset et jam tenebrosum, tamen dum locum transveheremur campanas pulsarunt. Vindobonae prope ecclesiam ad Scalas Marianas tam ingens multitudo devotorum, qui depositioni assistere voluerunt, adunata fuit, ut vix ad portam ecclesiae pervenirem. Altero die per Em. Card. Rauscher, Princ. et Archiep. Vindobon. Missa solemnis de « Requiem » celebrata est. Reliquiae V. S. D. prope altare majus in latus Evangelii in sepulchro, solo effosso, depositae sunt. Supra sepulchrum hodie monumentum magnificum ex marmore erectum est, de quo id tantum dicere, possum: in ejus margine superiori litteris latinis inscriptionem inveniri, quam legi, et quae ut puto, ad V. Servum D. refertur. Monumentum sepulchrale magna lamina marmorea coopertum est, in qua figura V. Servi D. in habitu religioso, crucifixum manibus tenens et birretum in capite conspicitur. Veterem arcam sepulchralem elapso aliquo tempore a translatione corporis V. Servi Dei ipse a Maria-Enzersdorf in domum Congregationis ad Scalas Marianas Vindobonam transtuli, ibique uti postea saepius vidi, in proprio cubiculo servatur. »

§ 29. *Lamentabantur multi homines in Enzersdorf quod Sanctus ab ipsis auferretur.*

§ 30. *Translationi quoque ingens numerus populi assistebat.*

§ 31. *Describitur monumentum sepulchrale in ecclesia ad Scalas Marianas.*

II. Testis ex officio *juxta* 39. *et* 40. *Interr. fol.* 766. *ter. respondit*: « Cum funus primo in habitatione ejus expositum esset magna populi multitudo accurrebat, multique aliquam rem minutam, qua V. S. D. usus fuerat, in ipsius memoriam secum sumere quaerebant. Funeralia splendidissima fuisse dicunt. Personae cujuscumque conditionis eidem intervenerunt, V. Servo D. sic venerationem exhibentes. Fu-

nus ad ecclesiam S. Stephani portatum est, et aperta fuit porta gigantea, quae alias tantum in occasionibus extraordinariis reseratur. Cadaver ibi absolutum die sequenti in coemeterium Maria-Enzersdorf translatum, et in proprio sepulchro repositum est. »

§ 32. *Cum funus ad Metropolitanam portaretur, porta gigantea aperta est.*

« In hoc sepulchro permansit V. S. D. usque ad annum 1862. Sed anno 1846. prius sepulchrum in cryptam, ut dicunt, immutatum est, qua occasione reliquiae V. S. D. in nova arca sepulchrali depositae sunt. P. Weidlich et alia plura Coñgnis membra in hac exhumatione praesentes erant, et P. Carolus Zirnig mihi narravit se Patrem Weidlich a functione redeuntem stolam et birretum V. Servi D. portantem vidisse, cumque admiraretur, quod istae duae res post 25. annos adhuc optime conservatae essent, P. Weidlich respondit : « P. Hofbauer sacerdos sanctus fuit, propterea Deus haec insignia sacerdotii illaesa conservavit. » Recentissime hoc coemeterium visitavi : crux lapidea in basi saxorum quadrangulorum fixa ibi erecta est. Ad pedem crucis literis latinis haec legitur inscriptio : « Joannes Clemens Maria Hofbauer, Congr. SS. Redempt. Vicar. Generalis natus Tassovici in Moravia die 26. Decembris 1751, obiit Vindobonae die 15. Martii anno 1820. Fidelis servus et prudens. Matt. 24. 45. » Infra hanc inscriptionem tabula marmorea nunc apposita est, in qua literis latinis inauratis scriptum est : « Ossa V. Servi D. Clementis Mariae Hofbauer inde Viennam translata, et in Ecclesia B. M. V. ad litus deposita sunt die 4. Novembris 1862. » Sepulchrum clausum est lapide quadrato, de quo quatuor annuli pendent. Est quintum sepulchrum, si a Capella versus meridiem procedis. Die 4. Novemb. anni 1862. reliquiae V. Servi D. in ecclesiam ad Scalas Marianas Vindobonam translatae sunt. Amor fidelis et pietas membrorum Congregationis reliquiis V. Servi D. dignum sepulchrum praeparare voluit. Huic translationi ego interfui. Fui enim eo tempore confessarius apud serenissimum Archiducem Maximilianum, Magnum Magistrum Ordinis Teutonici in Austria superiori commorantem ; cumque idem pius Princeps V. Servum D. coram novisset, eumque magni aestimasset, de translatione gavisus est. Libenter ipse functioni adstitisset, sed id facere impeditus voluit, ut ego Vindobonam me conferrem et solemnitati adessem. Reliquiae V. Servi D. in arca a R. P. Provinciali sigillis clausa in presbyterio ecclesiae B. M. V. ad Scalas in sepulchro subterraneo depositae sunt, et super sepulchro pulchrum monumentum ex marmore Salisburgensi erectum est, cujus operculum ex marmore Carrarensi factum, figuram sculptam sacerdotis Congregationis SS. Redempt. scilicet V. Servi D. exhibet. »

§ 33. *Stola et birretum V. S. D. in sepulchro integra servata sunt.*

§ 34. *Ossa V. S. D. in ecclesia ad Scalas Marianas sub terra deposita sunt.*

« In superiori margine monumenti haec inscriptio legitur : R. P. Clemens Maria Hofbauer Vic. Gen. Congr. SS. Redempt. obiit 15. Martii 1820. » Die sequenti Emus Card.

Rauscher Missam solemnem de «Requiem» celebravit, sacerdos vero S. J. P. Staffler sermonem de vita et laboribus V. S. D. habuit.»

Et *juxta* 45. *Interr. fol.* 771. « Audivi etiam, die, qua reliquiae V. Servi Dei ad Scalas Marianas in ecclesiam transportarentur, personam quamdam a gravi infirmitate fuisse sanatam. Narratum mihi est in domo Congregationis nostra Vindobonensi, illam personam Graecii in Styria apud sorores charitatis curam infirmarum habuisse, et ab infirma furiosa dementi humi prostratam et pedibus conculcatam fuisse, unde sanguinis eruptionem passam frustra apud medicos auxilium petiisse. Non novi dictam personam, et nescio an adhuc vivat, vel an relapsa fuerit.»

§ 35. *In translatione V. S. D. quaedam infirma sanata est.*

Concordat Testis II. juxta 40. *Interr. fol.* 224. *ter. Testis IV. juxta* 40. *Interr. fol.* 259. *ter. Testis I. ex officio juxta* 39. *et* 40. *Interr. fol.* 695. *ter.*

(Ex Processu Ordinario)

XVII. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 453. *ter.* « Servi Dei cadaver simplici modo in habitatione erat expositum, absolutio data est in cathedrali ecclesia S. Stephani, ejus funus erat pulcherrimum, commoventissimum, solemnissimum, quod ego unquam vidi. Triumphus erat, tota quasi Vindobona erat adunata, cognoscens, mortuum esse suum Apostolum. Ejus cadaver in paupere habitatione juxta ritum ecclesiasticum simplicissime expositum ab ingenti hominum multitudine visitatum est, quae sese intrudebat, ut ejus deoscularetur manus, et rem aliquam parvam, qua erat usus, reliquiae instar acciperet. Vultus defuncti Servi Dei victoris christiani herois speciem praesetulit, laetus et tamquam transfiguratus. Servi Dei cadaver depositum est in parochiali coemeterio Mariae-Enzersdorf, secundum amicorum et cultorum desiderium. Inde cadaver magna cum pompa translatum est Vindobonam in ecclesiam Congnis SSmi Redemptoris, et Emus Card. Archiepiscopus Vindobonensis Rauscher, solemni missa funebri cantata, hanc translationem condecoravit die quarta Novembris anni 1862. cui testis interfui.»

§ 36. *Universus Vindobonae populus ad funus V. S. D. convenit.*

§ 37. *Solemnis corporis V. S. D. translatio Vindobonam.*

IV. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 190.« In habitatione sua expositus, in ecclesia Metropolitana absolutus, et in proprio sepulchro in Maria-Enzersdorf sepultus est. Populi concursus fuit extraordinarius; depositionis ejus dies erat dies memorabilis pro civitate Vindobonensi. Cum esset expositus, concurrentes abscindebant capillos et particulas de ejus vestibus, ut ipsius haberent memoriam, indicia satis clara, quid populus de eo senserit.»

§ 38. *Dies depositionis V. S. D. in civitate imperali memorabilis.*

§ 39. *Hominum multitudo ad corpus V. S. D. et funebrem pompam confluebat.*

III. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 178. « Cadaver in ejus habitatione in domo Ursulinarum in viculo Seilerstätte sita expositum, et in Metropolitana ecclesia ad S. Stephanum ab-

solutum fuit. Tum ad expositionem, tum ad funus frequens concurrit populus, et reliquias arripere, aut arcam defuncti tangere quaesivit. Hujus confluxus causa erat communis erga defunctum veneratio. Etiam ego inter ejus veneratores comparui. »

II. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 166. Cadaver in habitatione fuit expositum, et in metropolitana Ecclesia absolutum. Dies nubilus fuit et pluviosus; cum vero arca sepulchralis a solis conspicuis juvenibus per plateam carinthicam portaretur (quod de reliquo non est in usu, et ab hominibus fit mercede conductis) haec ipsa circumstantia magnam ciere poterat attentionem. Ego quidem jam antea in ecclesiam S. Stephani prope altare majus me contuleram, nec parum obstupui, cum amplissima ea ecclesia in momento tot impleretur hominibus, ut vix locus superesset sese movendi. Plures ignorabant omnino, cur se ingererent, quid demum ibi fieret. Ad cadaver in cubiculo expositum piorum hominum concursus certe continuus nominandus est confluxus, cum quilibet hilarem videre vultum, et reliquiae loco acquirere quidpiam desideraret. Cadaver in parochiali coemeterio Maria-Enzersdorf (in circulo, qui dicitur Unter-Wienerwald) fuit depositum, de quo integro actu qua testis nihil possum deponere, funeri intervenire impeditus muniis. Cadaver initio Novembris anni 1862. omni cum pompa Vindobonam in ecclesiam Congñis ad Scalas Marianas fuisse translatum, res est omnibus nota.».

§ 10. *Juvenes illustres arcam funebrem gestabant.*

§ 11. *Hilarem demortui vultum videre gestiebat ingens hominum turba.*

VIII. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 261. « Servi Dei cadaver ex habitatione in ecclesiam S. Stephani portatum, ibique absolutum fuit. Populi ad funus concursus erat insolitus. Principalem portam istius ecclesiae Metropolitanae aperiri oportebat, ut intrare posset multitudo, alia cadavera per lateralem portam in ecclesiam portantur. Omnes plateae, per quas funus procedebat, plenae erant Nobilium curribus et ipsis militibus. Omnes illam, quam animo fovebant, defuncto exhibere volebant venerationem et amorem. In mentem mihi hoc loco veniunt Servi Dei verba dicta Patri Martino Stark sollicito de honesto funere: « *Esto quietus*, inquit, *de illo Deus providebit* ». Omnes has circumstantias nos Moniales audivimus ex optimis fontibus, exempli gratia ex relatione sacerdotum ejusdem. Relatum est nobis etiam, cadaver tumulatum fuisse in proprio sepulchro in Maria-Enzersdorf. A personis fide dignissimis pariter nobis est dictum, post Dei Famuli obitum ingentem hominum copiam ad ejus accurrisse cubiculum, ut denuo eum viderent, manus deoscularentur, capillos abscinderent, et res parvas, quibus ille fuerat usus, arriperent, quas reliquiarum loco servarent, ita ut apponenda esset custodia, ne omnia ex cubiculo auferrentur.»

§ 12. *Corpus V. S. D. per majorem portam in templum metropolitanum introducitur.*

§ 13. *Funus honoratum V. D. Famulus sibi praedixerat.*

X. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 303. « De visu testari possum, post Servi Dei mortem plurimos homines ad cadaver in

habitatione expositum, accurrisse, qui manus deosculabantur, capillos abscindebant et res minutas, quibus usus fuerat, auferebant, ut memoriam haberent. Pariter etiam vidi cadaver retinuisse colorem et jucundum vultum viventis, ita ut adstantes mirarentur et laetabundi Servum Dei sanctum appellarent. Scio etiam de visu et propria participatione, funus extraordinario populi concursu fuisse peractum. Nonnulli nobiles et eximii viri solemne funus instituendo amorem et venerationem portendere contendebant, quibus in Servum Dei ferebantur. Seminarii Archiepiscopalis alumni et magna sacerdotum copia illi interfuerunt. Absolutio cadaveris data est die 16. Martii post meridiem in Metropolitana S. Stephani ecclesia, quo facto, cadaver repositum fuit in camera mortuaria ad S. Stephanum, quo portari vidi ipsa cadaver. Sequenti die in Maria-Enzersdorf transvectum, ibique celebrata solemni missa funebri, in proprio conditum est sepulchro. »

§ 44. *Jucundus mortui color et vultus devotionem excitabat.*

XX. Testis *juxta* 7. *Interr. fol.* 459. « Ad ejus cadaver magno cum populi dolore in plano domus (piano terreno) expositum ego oravi. Solemni etiam et frequentissimo funeri interfuisse credo. Paulo post ejus mortem recepi (a praefato Domino Horni, ni fallor) in memoriam capillos de Servi Dei capite in fasciculum collectos, et chartae inclusos cum hac inscriptione: « De capite venerabilis P. Clementis Mariae Hofbauer, Congregationis Clericorum regularium SS. Redemptoris Vicarii generalis, pie defuncti die 15. Martii anni 1820. » Hanc chartam cum capillis inclusis ad hanc usque diem uti caram memoriam sollicite conservavi. »

§ 45. *Capilli V. Servi Dei ad instar pretiosae reliquiae asservantur.*

XXIX. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 602. « Cadaver de lege hic vigente expositum in habitatione, et die 16. Martii hora quarta pomeridiana transportatum in Metropolitanam S. Stephani ecclesiam, ibi absolutum et in cella mortuaria ibidem pro tumulatione sequenti die statuta asservatum est. Praeterquam expectabatur, ad funus magnus Sacerdotum et Clericorum cucurrit numerus ex diversis Seminariis Vindobonae existentibus. Maxima hominum copia, praesertim pauperes ex dissitis Vindobonae suburbiis, quorum confessarius et benefactor fuerat Pater Hofbauer, implebant plateam Carinthiorum dictam, unam e principalioribus Vindobonae, ita ut currus in cursu suo per eam impedirentur. Discipulorum duodecim arcam ad ecclesiam portarunt, et admirantes vidimus (cum et ego essem e numero portantium defunctum) apertam portam giganteam quam vocant, et paratam ad excipiendum conductum funebrem, quamvis illius portae aperitio, utpote destinatae pro solis principalioribus personis, denegata fuisset a respectivo ecclesiae praeside, cum funus ei denuntiaretur. Iste concursus diversorum sacerdotum et laicorum funus comitantium, neque postulatus neque expectatus erat, quod eo magis erat mirum, cum non solum sacerdotes comitantes, sed et clerici asportarent

§ 46. *Sacerdotum et clericorum numerus ingens funebri pompae interfuit.*

secum cereos. Copiosus iste comitatus hoc funus, quantum ego meminerim, solemnissimum reddidit et aedificantissimum, cui unquam interfui. Insequenti die 17. Martii cadaver in Maria-Enzersdorf ad montes transportatum, ibi solemni celebrato Sacro funebri a concionatore Friderico Zacharia Werner in coemeterio parochiae et Conventus RR. PP. Franciscanorum est depositum, data absolutione sepulchri a Patre Werner. Sepulchrum simplicissimum erat, cui postea lapis fuit impositus cum simplici inscriptione, cujus non memini amplius. Praeter extraordinariam fidelium copiam ad tumulationem commemorare adhuc possum, die funus praecedente magnam hominum multitudinem in habitationem sese intrusisse, ubi expositum erat cadaver, multosque ex iis capillorum vel vestis particularum abscissione reliquiam acquirere fuisse conatos, ita ut cadaver custodiri deberet ad homines a tali conatu arcendos. »

§ 47. *Cadaver depositum in coemeterio ad S. Mariae-Enzersdorf.*

Et *juxta* 35. *Interr. fol.* 604. « Defunctus post mortem a tunc temporis capellano ad parochiam in Aula P. Friderico Rinn delineatus eaque imago, optime vultum exprimens, lithographica arte multiplicata est. Omnes ejus cultores, qui ipsum noverant, talem imaginem comparare sibi satagebant. »

§ 48. *Plurimae V. Servi Dei effigies certatim quaesitae et retentae.*

XXIV. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 504. « Tametsi ipse ego funeri P. Hofbauer non interfuissem, tunc tamen omnibus erat notum, et ego ipse, ni fallor, in ephemeride Vindobonensi legi, populi concursum ad Patris Hofbauer funus praeter modum magnum fuisse; portam giganteam fuisse apertam, cum agmen ad ecclesiam S. Stephani perveniret, ubi absolutio fuit data, ingressum in ecclesiam factum fuisse per eam portam, nec fuisse cognitum, a quo et quo auctore porta fuisset aperta. Depositio facta est in proprio sepulchro parochialis coemeterii Maria-Enzersdorf. Ipse ego sepulchrum visitavi, et legi epitaphium latinum, omnino simplex, nomen et diem obitus continens. »

§ 49. *Ephemerides Vindobonenses celebritatem funeris tamquam insigne factum vulgarunt.*

XXX. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 619. *ter.* « Funus Servi Dei fe. me. ab habitatione in viculo Seilerstätte per totam Joannis et Carinthiorum plateam magna cum pompa, et extraordinario populi procedebat concursu. Plurimi eorum, qui agmen infinitum et immensum comitabantur, cereos portabant ardentes, et cum vesperae jam essent, solemnem hoc praebebat aspectum. Funere ad portam giganteam ecclesiae S. Stephani adveniente, cum respicerem in Carinthiorum plateam, agmen procedebat lucens, quoadusque oculi mei pertingerent, et mecum ipse cogitabam: « Hic verus est triumphus. » Firma fide testari possum, neminem ad solemne hoc funus invitasse, sed omnes Servi Dei fuisse cultores, qui ad istam solemnitatem contribuerunt, et prout audiveram praeprimis erat Comes, Szechenyi, qui plurimum contribuit. »

§ 50. *Innumeri fideles agmine longo funus prosequebantur.*

XXVI. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 549. *ter* « Ex relatione testis oculati D. Josephi Willim, Parochi ad S. Petrum Vindobonae, haec tantum verbo tenus referre possum: « Ego

eo tempore alumnus adhuc fui in Archiepiscopali Seminario ad S. Stephanum Vindobonae, cum Servus Dei, in hoc nostri imperii capite laborans, attentionem omnium proborum in se converteret. Mihi non arrisit fortuna noscendi Servum Dei viventem, vidi autem eum mortuum, magnaque cum devotione inter medios defuncti cultores oravi, quorum nonnulli capillos aliasque minutias ejus tamquam reliquias sibi assumere curabant. Postridie erat funus, et in Alumnatu ferebatur vox, nos Alumnos cadaver P. Hofbauer debere comitari, quod et factum est. Ingredientes S. Stephani ecclesiam nos omnes attoniti eramus videntes apertam portam giganteam, quod (uti notum est) nonnisi in funeribus eximiis fieri solet. Nemo sciebat, quis portam istam aperiri jussisset; pari modo mira erat dispositio, nos Alumnos cadaver defuncti comitari debere. A funere in Alumnatum reversi singuli a tunc temporis Directore Alumnatus interrogati sumus, quis nobis permisisset defuncti cadaver comitari. Nullus nostrum aliquem indicare potuit, qui illam dederat dispositionem; Director Alumnatus de hoc comitatu indignatus erat. »

§ 51. *Seminarii alumni miro quodam impulsu funus V. S. D. comitati sunt.*

XXV. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 525. *ter.* « Servi Dei cadaver in habitatione expositum, et versus vesperam diei 16. Martii in Metropolitana S. Stephani ecclesia absolutum est. Juniores diversi ordinis viri, plerumque studentes, cadaver portaverunt in S. Stephani ecclesiam, haud ita parum distantem. Maxima hominum copia plateas occupabat, obstupescens, prout videbatur, de magna funeris solemnitate facta sacerdoti omnino humili. Valde autem erant omnes attoniti, cum funere appropinquante porta sic dicta gigantea ecclesiae S. Stephani aperiretur, quod nonnisi occasionibus valde extraordinariis fieri solet. Die 17. Martii ante meridiem cadaver in Maria-Enzersdorf translatum, et in coemeterio ibi est depositum. Ego eorum studiosorum unus fui, qui cadaver portabant tum in funere die 16. tum in depositione die 17. Martii anni 1820. »

§ 52. *Stupebant homines, quod humilis sacerdos tanta funeris solemnitate honestaretur.*

I. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 117. « Defuncti cadaver in cubiculo, in quo obierat, fuit expositum et ad illud invisendum plerumque solos Servi Dei poenitentes vidi venire. Tanto magis omnem expectationem superabat funus! mira res, copiam cernere praesentium, praesertim juvenum cereos gestantium, quin (quod ego quidem noverim) hac de re inter se convenerint. Concurrit magnus numerus eorum, qui Servum Dei venerabantur, et cadaver per portam, quam vocant giganteam, in Metropolitanam S. Stephani ecclesiam portatum, et absolutio a Zacharia Werner fuit data. Conditum est in coemeterio parochiali Maria-Enzersdorf, et lapidi sepulchrali simplex superposita inscriptio; quis eum posuerit nescio; sicut etiam ignoro, mirabilia accidisse tum in expositione, tum in funere ipso. »

§ 53. *Anno 1862 corpus V. S. D. magna pompa fuit Vindobonam translatum.*

Et *infra fol. eodem ter.* « Anno 1847. (prout mihi videtur)

corpus e sepulchro elatum, sepulchrum ipsum muro obductum, et ossa inventa absque dubio in pulchra arca reposita, et in eodem sepulcro condita fuere. Hujus facti testis oculatus non fui. Die quarta novembris anni 1862. corpus Patris Hofbauer magna pompa Vindobonam in ecclesiam suae Congregationis translatum, ibique in splendidissimo marmoreo sepulchro repositum fuit. Qua occasione die quinta Novembris Card. Rauscher, Archiepiscopus Vindobonensis, solemne Sacrum de Requie celebravit, praemissa oratione in laudem Servi Dei, habita a Patre Staffler Societatis Jesu coram frequenti auditorio. »

§ 54. *Translationis splendor auctus praesentia Nuntii Apostolici et Archiepiscopi Olomucensis,*

XIX. Testis *juxta* 33. *Interr. fol.* 433. *ter.* « Referre possum me in solemni Servi Dei cadaveris translatione in ecclesiam ad Scalas Marianas coram fuisse. Magno mihi fuit solatio, quod in isto triumphali ingressu cari Patris mei Hofbauer crucem portare mihi fuerat concessum; hoc etiam referre possum, tum Nuntium Apostolicum, nunc Card. de Luca, tum hodiernum Archiepiscopum Olomucensem e Landgraviis Fürstenberg isti solemnitati praesentiae suae splendorem addidisse. »

DE FAMA SANCTITATIS V. S. D. POST OBITUM.

Num. 25. De fama sanctitatis post obitum.

ARTICULUS I.

Memoria V. S. D. defuncti in magno honore habita est.

(Ex Processu Apostolico)

§ 1. *Fama sanctitatis Testi Imperatrici Austriae innotuit.*

Augustissima Imperatrix Austriae CAROLINA AUGUSTA, Francisci I. Imperatoris Vidua, *Pr. fol.* 268. *ter.* « Iterum attestor, quod quamvis praedictum V. S. D. coram non cognoverim, tamen testimonio summa fide digno ejus fama, tamquam sacerdotis in vita et in operibus apostolici, mihi innotuerit.»

§ 2. *Sanctitas V. S. D. summopere laudatur ab Auctore historiae ecclesiasticae.*

§ 3. *Eum Apostolum, alterum Joannem in deserto, stellam in tenebris etc. nominat.*

II. Testis ex officio *juxta* 43. *Interr. fol.* 769. *ter.* « Paulo post obitum V. S. D. Sebastianus Wittmann ex-jesuita in sua historia ecclesiastica, quae anno 1832. iterum typis mandata est, ejusdem mentionem facit; appellat enim V. S. D. virum omnino apostolicum, operarium indefessum in vinea Domini, poenitentem zelo plenum et poenitentiae praedicatorem, qui per totam vitam vere zelans et semper fidelis famulus Dei fuerit. Dicit, V. S. D. Vindobonae tamquam Apostolum operatum fuisse, et commune refugium peccatorum se exhibuisse, ipsum verbo et exemplo poenitentiam praedicasse, millia hominum convertisse, et ad perfectionem de-

duxisse; illum Joannem in deserto fuisse, ejusque verbis peculiarem vim magnas conversiones efficiendi infuisse, peccatores obstinatissimos ab eo fuisse conversos; a multis quidem virum sanctum fuisse despectum, et a multis persecutiones tulisse; at hunc heroem virtutum contemni amasse, et nunquam de aliis fuisse conquestum: ipsum solummodo honorem Dei, et salutem animarum quaesivisse, praefulsisse, sicut stellam in tenebris, et continue pugnasse contra tenebras et impietatem saeculi ». Cum V. S. D. vitam valde simplicem duceret, nunquam honores apud homines quaereret, haec alta opinio, quam omnes de eo habebant, ad ejus tantum virtutes referenda est, et toto tempore, quo in Congñe vivo, mihi et omnibus confratribus meis semper persuasum fuit, V. S. D. virum vere sanctum et apostolicum fuisse. »

Et *juxta* 40. *Interr. fol.* 770. *ter.* « Nunquam audivi, quemque huic persuasioni sive scripto, sive verbo contradixisse. »

§ 4. *Die post obitum V. S. D. pius Orator ejus laudem enuntiavit.*

I. Testis ex officio *juxta* 43. *Interr. fol.* 697. *respondit*: « Haec fama V. S. D. usque ad hanc horam non solum duravit, sed etiam aucta est, et explicatur tantummodo sanctâ vitâ ejusdem V. S. D. Sequentem rem hic adhuc referre possum. Rev. Franciscus Sebastianus Job, capellanus aulicus et confessarius Caesareae Majestatis Carolinae Augustae, tempore quadragesimali anni 1820. alumnis conventus nostri spiritualia dedit exercitia. Die proximo post obitum V. S. D. in fine sermonis sui haec dixit verba: « Elevate manus vestras ad Dominum, ut mittat operarios in vineam suam; heri enim fortissime percussit nos, cum Apostolum Vindobonae, columnam dioecesis Vindobonensis ad se vocaret. Rogate eum ut pro tanto damno indemnes nos reddat, et gratiam nobis concedat imitandi virtutes servorum suorum, ut aliquando cum eis uniti eum in coelis laudemus in saecula saeculorum. Amen ». Ex ore Caesareae Majestatis Imperatricis, viduae Carolinae Augustae, referre possum, ipsam V. S. D. virum sanctum aestimasse. Ita effata est eo tempore cum propter sanationem Agnetis Fiath, alumnae nostri Instituti, quae ad invocationem V. S. D. salutem recepit, summopere animo occuparetur. »

§ 5. *Communiter vir sanctus vocatus est.*

XVII. Testis *juxta* 43. *Interr. fol.* 603. *respondit*: « Attestari possum statim post obitum V. S. D. dictum esse, fuisse eum sacerdotem sanctum: sic dixerunt virgines religiosae, quae viventem noverant, et aliae personae, quae in nostrum collocutorium venerunt: nomina afferre non possum. »

§ 6. *Archiepiscopus Vindob. statim post obitum tenuit, V. S. D. gloria coelesti perfrui.*

I. Testis *juxta* 43. *Interr. fol.* 201. *ter. respondit*: « Pulchrum testimonium sanctitatis V. S. D. dedit pius Archiepiscopus Hohenwart. Cum enim elapsis sex hebdomadibus ab obitu V. S. D. Imperator Franciscus I. scriberet eidem; suam esse voluntatem, ut Congregatio in statibus suis constitui possit, gaudio perfusus ad Patrem Madlener dixit: « Vide, care Madlener, quam efficaces jam sint preces P. Hofbauer».

Credidit igitur ipsum jam esse inter beatos, qui ante thronum Dei pro nobis orant. Ejus quoque confessarius statim post ejus obitum edixit, ipsum esse sanctum. Dictum Archiepiscopi Hohenwart mihi a Patre Madlener, testimonium confessarii Schmidt ab ejus nepte, domina Gussel, relatum est. Hodie adhuc V. S. D. apud omnes fama sanctitatis gaudet. Narrantur etiam miracula, quae ad ejus intercessionem facta sunt; haec autem fama temporis decursu non modo non diminuta, sed potius aucta est, et fundatur in sanctis et apostolicis operibus V. S. D. nec non in precum exauditionibus miraculosis, quae ad invocationem ejus patrocinii evenerunt. Ex omnibus quae hucusque de V. S. D. deposui satis apparet, a me V. S. D. virum sanctum aestimari, qui dum viveret virtutibus heroicis et gratiis supernaturalibus ornatus erat, et hodie gloria coronatus est, atque apud Deum potens intercessor existit.»

§ 7. *Idem sensit confessarius Ven. S. D.*

§ 8. *Haec fama semper crevit, in V.S.D. virtutibus fundata.*

Et *juxta* 44. *Interr. fol.* 202. *ter.* « Nihil mihi unquam innotuit, nec factum nec scriptum, nec verbum, quo famae sanctitatis et virtutibus heroicis fuisset contradictum.»

II. Testis *juxta* 43. *Interr. fol.* 225. *ter. respondit*: « Scio V.S.D. dum in vivis ageret, tamquam virum sanctum in veneratione habitum fuisse, hancque famam sanctitatis etiam post obitum et usque in hanc diem conservatam esse; et huic tot hominum persuasioni ego pariter adhaereo. »

III. Testis *juxta* 43. *Interr. fol.* 244. *ter. respondit*: « Jam dixi Ven. Servum Dei ab ipsa hora obitus fama sanctitatis gavisum esse, et persuasionem meam enuntio dicens, hanc famam non solum non esse diminutam, sed ultimo tempore, maxime ex quo causa Beatificationis incepta est, novum incrementum cepisse. »

VII. Testis *juxta* 43. *Interr. fol.* 325. *respondit*: « Ex propria scientia confirmare possum, Ven. Servum Dei cum fama sanctitatis mortuum esse, eamque famam sine diminutione usque ad hanc horam perdurare; et huic famae equidem ex toto corde assentio, nec non persuasum mihi est, hanc famam ortam esse ob ejus sanctam vitam, et opera extraordinaria in servitio divino. »

VIII. Testis *juxta* 43. *et* 44. *Interr. fol.* 371. *respondit*: « V.S.D. dum viveret, apud multos fama sanctitatis gaudebat, et haec quidem fama non solum usque ad hanc horam perduravit, sed etiam continue aucta est. »

« Aestimatus est, et adhuc aestimatur tamquam sanctus propter extraordinarias virtutes, quibus ornatus fuit. Et non solum apud plebejos, sed etiam apud personas cultas, et conspicuas fruitur hac fama. Ex numero personarum, quae magna aestimatione erga Ven. Servum Dei affectae erant, nominare possum mulierem Principis Jablonowsky Polonam, quae V. Servum Dei jam Varsaviae cognoverat, totam familiam comitis Szecheny, Baronem Penkler. Alia nomina perillustrium personarum in mentem mihi hodie non veniunt. »

« De sanctitate V. Servi Dei persuasum mihi fuit et adhuc est, et hanc meam persuasionem hisce quae deposui sufficienter probasse credo. »

« Contra famam Ven. Servi Dei a quocumque et quovis tempore quidquam fuisse dictum, scriptum vel factum, ignoro. »

§ 9. *Alius pius Sacerdos V. S. D. Stellam fulgentem Ecclesiae vocavit.*

§ 10. *Testis in omnibus necessitatibus Ipsum invocavit et exaudita est.*

IX. Testis *juxta* 43. *Interr. fol.* 437. *ter. respondit* : « Georgius Uhl, Canonicus honorarius ad ecclesiam metropolitanam S. Stephani nunc jam defunctus, nos moniales de obitu Ven. Servi Dei hisce verbis consolatus est: » Ecclesia Dei in hoc digno sacerdote fulgenti stella orbata est; sed non desinit in aeternum coruscare. « Mihi quidem, nec non aliis monialibus plene persuasum fuit, Ven. S. Dei sanctum fuisse, et propterea post ejus obitum in omnibus necessitatibus meis cum fiducia ad eum refugi, et semper feliciter exaudita sum. Ven. Servus Dei hodie quoque apud alios fama sanctitatis gaudet. Intimas cordis necessitates ei exponunt, et sicut pluries audivi, saepe preces perfecte exaudiuntur. Ad famam sanctitatis Ven. Servi Dei fundandam, conservandam et augendam nemo mediis minus justis usus est; solum sancta vita et extraordinaria industria ac opera Ven. Servi Dei causa sunt, quod fama sanctitatis subsistit. »

§ 11. *Nec qui V. S. D. contrarii erant, ejus sanctitatem negare poterant.*

Juxta 44. *Interr. fol.* 438. « V. S. D. dum inter vivos ageret, utique adversarios habebat: nimis severa et rigorosa eis videbantur, quae praedicabat, et quae quoad vitam catholicam inculcabat; sed ne minimum quidem audivi, quod sanctae vitae Ven. Servi Dei maculam inurere possit; imo ipsi ejus contrarii post ejus obitum non haesitaverunt firmiter asserere, Ven. Servum Dei sanctum sacerdotem fuisse. Nomina et alias res particulares afferre non possum. »

Concordat Testis IV. juxta 43. *Interr. fol.* 260.

(Ex Processu Ordinario)

§ 12. *Fama sanctitatis, quae in vita V. S. D. vigebat, aucta post obitum.*

I. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 118. *ter.* « Sicut Servum Dei, cum viveret, sanctum reputavi, ita etiam nunc idem de eo sentio, et ea intima sanctitatis persuasio, quam de eo vivente fovebant alii, summopere aucta est post mortem, et speciali modo his diebus. »

§ 13. *Viri perillustres prope corpus V. S. D. sepeliri voluerunt.*

Et *juxta* 33. *Interr. fol.* 117. *ter.* « Scio, viros eximios uti Zachariam Werner, Kliukowström pro ea, quam erga Servum Dei nutriebant, pietate prope demortuum voluisse sepeliri, sicuti et factum est. »

§ 14. *Opinio sanctitatis V. S. D. a coaevis ad posteros manavit.*

II. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 156. *ter.* « Post Servi Dei mortem opinio de ejus magna virtute et sanctitate non solum apud omnes, qui eum noverant, perduravit, sed et ad eos pertransiit, qui multi postea Congregationi nomen dedere. Cujus opinionis propagatio et incrementum in populo, nonnisi per ipsam Congregationem ejusque apostolicos labores fieri poterat, nam ab anno 1820. plurimi qui coram eum noverant, vita erant functi, et ex altera parte incolae Vindobonae in

sequenti generatione magnum fermentum fidei oppositum experti sunt cum maximo fere spiritus catholici detrimento. Hisce diebus per causam beatificationis introductam tam Servi Dei memoria, quam animorum in eum propensio de novo summopere crevit. »

III. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 178. *ter.* « Opinio ea, in qua defunctus habebatur, dum viveret, et post ejus mortem perduravit. Quam ego de ejus sanctitate, dum viveret, habebam opinionem, eamdem inconcussam in hanc usque diem servavi. »

VIII. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 262. *ter.* « Quod ego sciam, bona opinio, quae de vivo eo vigebat, post obitum ejus non solum non diminuta, sed etiam aucta est. Ego eum ita hodiedum sanctum, et quidem magnum sanctum reputo, quemadmodum eum vivum jam talem reputavi. »

X. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 303. *ter.* « Servi Dei sepulchrum in Maria-Enzersdorf, quamvis tribus vel quatuor leucis Vindobona distante, a multis tamen visitatum et floribus ornatum est. Ipsa ego saepius eo migravi, ut Servo Dei cordis angustias aperirem ejusque implorarem intercessionem. Permulti Servi Dei cultores nunc ejus sepulchrum in ecclesia Patrum Redemptoristarum frequentant. »

§ 15. *Sepulchrum a multis visitatum et ornatum floribus.*

Et *juxta* 35. *Interr. fol. eod.* « Alta opinio, quae de vivo viguit P. Hofbauer, post ejus obitum conservata, imo aucta est, idque non solum de sacerdotibus, sed etiam de saecularibus valet, quin imo de omnibus hominum classibus. Mea de Servi Dei sanctitate persuasio magis semper magisque est consolidata. »

XII. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 329. *ter.* « Bona fama, quae de Servo Dei vigebat vivo, post mortem non solum non decrevit, sed etiam aucta est. Ego reputo, Patrem Hofbauer sanctum esse, et intercessorem in coelis, ideoque saepe ejus imploravi patrocinium. »

XV. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 380. *ter.* « Eadem fama, qua Servus Dei ob virtutes suas fruebatur in vita, sequebatur eum etiam post mortem absque ulla diminutione, nec ignoro multos ejus intercessionem implorasse, repetens hos etiam pertinere ad omnes classes societatis. Eadem opinio, quam immediate post Servi Dei obitum de ejus sancta vita et industria in publicis ephemeridibus (Observatore Austriaco) edisserui, quamque ad prius Interrogatorium jam deposui, usque in praesentem horam perduravit, etiam nunc virum extraordinarium et sanctum eum reputo. »

§ 16. *Multi Ven. S. D. auxilium implorant.*

XVII. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 454. « Mox post ejus mortem omnium, qui Servum Dei vivum cognoverant, animos persuasio invasit eum vivum fuisse omnino sanctum; praesertim verba « *Observatoris Austriaci* » ab Adamo Müller simpliciter, classice et vere exarata digna sunt, quae asserventur tamquam ex corde omnium discipulorum, amicorum et poenitentium Servi Dei transcripta. Haec fama sanctitatis

§ 17. *Statim post obitum V. S. D. communis invaluit persuasio eum sanctum esse.*

Servi Dei non solum usque in praesentem duravit horam, sed de anno in annum est aucta. Ego ipse de ejus sanctitate intime etiam convictus sum, et enixe desidero, ut hoc judicium etiam ab Ecclesia sancta confirmetur. »

XVIII. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 407. *ter.* « Ego Patrem Hofbauer reputo sanctum, huicque meae opinioni omnes adhaerent, quibuscum de eo loquendi occasionem habui. »

§ 18. *Fama late diffusa etiam apud viros nobiles, doctos, et dignitate illustres.*

XX. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 462. « Servi Dei famam, magnamque sanctitatis opinionem post mortem longe sparsam et conservatam fuisse, nec apud vulgus tantum, sed et apud viros nobilitate, doctrina et dignitate conspicuos, confirmare possum. Mea opinio etiam post Servi Dei mortem ad praesens usque tempus eadem semper integra permansit. »

XXI. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 476. « Quantum mihi innotuit, Servus Dei in fama sanctitatis obiit, eaque fama ad novissima usque tempora semper est aucta, et ea opinio est multum diffusa, cui et ego adhaereo. »

XXII. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 485. « Servi Dei fama post mortem non deperiit, sed etiam, praesertim novissimo tempore, tali modo aucta est, ut id iis solis personis contingere dicendum sit, quas exaltare vult Deus, et grati animi sensu erga Dei famulum motus, quem spiritualis vitae meae patrem agnosco, intimam nutrio persuasionem, Deum pro misericordia sua exaltaturum esse Servum suum Clementem Mariam Hofbauer, et per hunc valde venerabilem Congregationem SSñi Redemptoris. »

§ 19. *Historia vitae V. S. D. polonice edita.*

XXIII. Testis *juxta* 6. *Interr. fol.* 489. *ter.* « Ego enim Servi Dei biographiam in polono idiomate edere constitueram, quod etiam factum est. »

XXIV. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 504. *ter.* « Non solum vivente P. Hofbauer praefatum hominum genus pronuntiavit opinionem, eum sanctam egisse vitam, sed ista opinio post ejus obitum usque ad hodiernum diem magis magisque semper facta est communis . . . fama sanctitatis P. Hofbauer tantum abest, ut decrescat, ut crescat. »

§ 20. *Ecclesiastici et laici, nobiles et plebeji, sanctum reputant V. S. D.*

XXVI. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 551. « Opinio de Servi Dei sanctitate post ejus mortem non solum non imminuta, sed etiam aucta est, quod scio ex relatione omnis conditionis hominum conspicuorum et plebejorum, sacerdotum et laicorum; omnes eum reputant sanctum, a Deo glorificatum et exaltatum. Quod ad me attinet, etiam nunc eum habeo verum apostolum nostri temporis, a Deo suscitatum, et continuatorem et cooperarium S. Alphonsi. »

XXIX. Testis *juxta* 35. *Interr. fol.* 604. « Saepe ea in publicum prodiit persuasio, Servum Dei immediate post obitum aeternam mercedem in Dei visione, et qua Dei amicum fuisse nactum. Praecipue introductio Congregationis praeter expectationem celeriter facta, et multorum in hoc negotio emergentium impedimentorum amotio, tribuebatur virtuti

orationis defuncti, ita ut ipse senex Archiepiscopus Vindobonensis Comes Hohenwart tali in occasione diceret: « *Servum Dei bene orare posse apud Deum* ». Quae fama ad hanc usque horam non solum perduravit, sed praesertim ex translatione ossium Vindobonam, crescente fiducia in ejus potenti intercessione, magis est aucta. Eamdem de Servi Dei sanctitate opinionem et ego teneo.»

§ 21. *Archiepiscopus Vindob. deprecatorem apud Deum V. Clementem censuit.*

XXX. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 620. *ter.* « Servi Dei sepulchrum in Maria-Enzersdorf saepius visitavi ob venerationem erga eumdem, qua occasione sepulchrum etiam Patris Friderici Zachariae Werner visitavi. Prout ab aliis audivi (quos vero nequeo nominare) Servi Dei sepulchrum ab ejus cultoribus saepe fuit frequentatum, quae quidem visitationes absque interruptione continuabantur. Uti ejus cultores ex quovis erant ordine, ita etiam visitatores isti ex quovis societatis erant ordine. »

§ 22. *Visitationes ad sepulchrum absque interruptione frequentes.*

Et *juxta* 35. *Interr. fol.* 620. *ter.* « Eo defuncto omnes ejus cultores indubitatae erant opinionis, Patrem Hofbauer sanctum esse in coelis, ac certo magis ad eum, quam pro eo fundebantur preces ex eadem persuasione; cujus rei alia non erat causa, nisi virtutes ab eo in hoc mundo semper exercitae. Ad hanc opinionem augendam absque dubio plures etiam contribuerunt gratiae eo invocato impetratae, imo mirabiles sanationes factae (prout a pluribus audivi) praesertim ultimo hoc tempore. Mea opinio nec momentum erat dubia, Patrem Hofbauer nempe sanctum fore in coelo et potentem Ecclesiae, praesertim in Austria, advocatum et intercessorem pro suis cultoribus. Quoties post Servi Dei obitum juxta ritum Ecclesiae recitabam pro ejus anima: « De profundis » semper cogitabam: non indigebit hoc suffragio, et simul etiam addidi « Pater noster » ad ejus intercessionem impetrandam pro me, mea familia et pro incremento Congregationis ab ipso in Austria fundatae. Postea etiam precatiunculam composui, quam quotidie recito, in qua Servi Dei specialiter peto intercessionem, ut Deus Societatem Jesu et Congregationem SS. Redemptoris praesertim in Austria conservare dignetur ad peccatores convertendos et juvenes pie educandos. »

§ 23. *Gratiae a fidelibus impetratae per ejus invocationem ad augendam famam contulere.*

Concordat Test. VII. fol. 248. *ter. - Test. IX. fol.* 286. *ter. - Test. XI. fol.* 322. *ter. - Test. XIV. fol.* 370. *- Test. XVI. fol.* 390. *- Test. XIX. fol.* 434. *ter. - Test. XXV. fol.* 526. *ter. - Test. XXVII. fol.* 563. *ter. - Test. XXVIII. fol.* 370. *ter. - Omnes juxta* 35. *Interr.*

ARTICULUS II.

Sepulchrum V. S. D. frequenti devotorum visitatione honoratur.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 41. *et* 42. *Interr. fol.* 199. *respondit*: « Cum corporis reliquiae adhuc in coemeterio ad Mariam-Enzers-

§ 24. *Cum corpus V. S. D. adhuc in Maria Enzersdorf quiesceret, non obstante magna distantia, a multis visitatum est.*

dorf deposita essent, sacerdos saecularis adhuc juvenis quotannis semel vel bis sepulchrum Ven. Servi Dei visitavi. Cumque coemeterium a pago aliquantum distet, et ingressus semper clausus esset, semper sine mora murum transilivi. Quod vero ejus sepulchrum non jam uti amici aut mihi noti visitavi, forsitan ut unum « de profundis » pro eo recitarem, sed uti sancti, jam visione coelesti gaudentis, hoc probare potest, quia semper ejus intercessioni apud Deum me commendavi. Memini praecipue una vice Ven. Servum Dei in gravi causa a me invocatum et preces meas auditas esse. Ven. Servo Dei gratum acceptumque referendum esse puto, quod sum membrum Congregationis SS. Redemptoris. Testari etiam possum ejus sepulchrum ibidem frequentissime a multis hominibus semper fuisse visitatum, etiam a personis bene cultis. »

§ 25. *Sepulchrum in ecclesia ad Scalas Marianas assidue visitatur.*

« Etiam in nostra ecclesia Ven. Servi Dei sepulchrum frequenter visitatur, cujus rei quotidie testis sum, et in signum manifestum, quo honore Ven. Servus Dei habeatur, flores memorandi sunt, quibus ejus sepulchrum continue a cultoribus ornatur. Ibi auxilio indigentes cujuscumque conditionis inveniuntur; omnibus classibus societatis pertinent, qui Ven. Servum Dei implorant, ut ad thronum divinae gratiae intercedat, et in necessitatibus auxilium obtineat; aut etiam ut pro precibus exauditis gratias referant. Ex numero visitantium familiam Hungaricam Fiath adducere possum. Quaedam hujus familiae membra quotannis veniunt, ut ad Ven. Servi Dei sepulchrum pro miraculosa sanatione filiae, quae ad invocationem Ven. Servi Dei paucis ante annis evenit, ferventissimas gratias agant. Dictum mihi est, sepulchrum Ven. Servi Dei in Maria-Enzersdorf statim post depositionem funeris a cultoribus et auxilium petentibus frequentatum esse, istaeque visitationes sine intermissione continuatae sunt usque ad translationem reliquiarum Ven. Servi Dei in nostram ecclesiam. Ex eo tempore etiam auctae sunt, quia multo facilius accedunt ad nostram ecclesiam, quam ad sepulchrum in coemeterio parochiali Maria-Enzersdorf quod nonnullis horis a Vindobona distat. »

§ 26. *Vestigium cultus prohibiti non invenitur.*

« Vestigium cultus prohibiti V. Servo Dei exhibiti nunquam vidi. Ad sepulchrum nec lumina accenduntur, imago Ven. Servi Dei in ecclesia non existit, et parvae illae aeri incisae imagines, quae figuram Ven. Servi Dei repraesentant, nec aureolam habent, nec titulum prohibitum; nec etiam publicae processiones ad ejus sepulchrum instituuntur; sed privatim preces novemdiales fiunt, ut intercessio Ven. Servi Dei obtineatur, et praedicto modo ejus sepulchrum exornatur. Sepulchrum Ven. Servi Dei in nostra ecclesia sub terra est, et ex parva crypta consistit, quae juste sufficit ad sustinendam arcam ex metallo confectam sepulchralem, in qua ossa Ven. Servi Dei inclusa sunt. Supra sepulchrum, et circum illud erectum est monumentum marmoreum, de quo jam dixi. »

II. Testis *juxta* 41. *Interr. fol.* 225. *respondit* : « Sepulchrum Ven. Servi Dei in ecclesia Congregationis SS. Redemptoris aliquoties visitavi; etiam ab aliis visitari solet. Audivi etiam sepulchrum in Maria-Enzersdorf visitatum fuisse. Quantum scio, visitantes ad quamcumque classem societatis pertinent. Ulteriora dicere nequeo. »

§ 27. *Visitantes sepulchrum ad omnes ordines societatis pertinent.*

III. Testis *juxta* 41. *Interr. fol.* 244. *respondit* : « Sepulchrum Ven. Servi Dei in Maria-Enzersdorf saepius cum patre meo jam defuncto visitavi. De aliorum visitatione nihil scio. Sepulchrum Vindobonae existens, ut propriis oculis vidi, a plurimis visitatur, et visitantes ad omnes classes pertinent. »

IV. Testis *juxta* 41. *Interr. fol.* 260. *respondit* : « Ad sepulchrum Ven. Servi Dei in Maria-Enzersdorf saepius veni preces fusurus; ibi etiam occasio data est considerandi vanitatem mundi, ibi enim cadavera plurium, qui magni laudantur, reposita sunt. »

VII. Testis *juxta* 41. *Interr. fol.* 322. *respondit* : « Quamvis locus sepulturae Ven. Servi Dei in Enzersdorf pluribus leucis Vindobona distaret; tamen saepissime aliqui cultores ejus et grati filii eo se contulerunt, ut patrem spiritualem et directorem animarum cujus memoriam indelebilem retinuerunt, visitarent ejusque intercessionem in variis causis et necessitatibus implorarent. Saepissime etiam ejus sepulcrum pulcherrimis vivis floribus magnifice exornatum est. Ego et soror mea Rosalia amatissimum et Ven. Patrem Hofbauer, cujus memoria semper in nobis viget, in coemeterio Enzersdorf visitavimus. »

§ 28. *Confirmatur quod habetur* § 24.

VIII. Testis *juxta* 41. *Interr. fol.* 370. *ter. respondit* : « Per se intelligitur me ad unum alterumve sepulchrum Ven. Servi Dei non fuisse, status enim religiosus nobis non permittit e domo exire. Saepissime audivi, multas alias personas sepulchrum Ven. Servi Dei ad Mariam-Enzersdorf, et ad Scalas Marianas Vindobonae visitasse, et visitare, et potenti intercessione Ven. Servi Dei confisas salutem corporis, vel alias gratias expetiisse et expetere. »

« Ex relationibus mihi factis concludere licet, visitationes hujusmodi non esse diminutas, sed e contra decursu temporis auctas. »

IX. Testis *juxta* 41. *Interr. fol.* 436. *respondit* : « Ego nec unum nec alterum sepulchrum Ven. Servi Dei visitare potui; attamen dictum mihi est, eadem sepulchra ab aliis saepe fuisse visitata et adhuc visitari. Hoc fecerunt fidentes, se intercessione Ven. Servi Dei gratias a Deo esse obtenturos. Quantum mihi relatum est, statim post depositionem cadaveris Ven. Servi Dei ejus sepulchrum visitare coeperunt, et usque in hunc diem absque intermissione visitatio perdurat. Quae hic depono, scio ex relationibus, quae religiosis nostri conventus ab earum propinquis et a cultoribus Ven. Servi Dei factae sunt. Duae mulieres quae in domo nostra alebantur, sed hodie jam defunctae sunt, mihi de

sepulchro Ven. Servi Dei in Maria-Enzersdorf terram portaverunt quam adhuc teneo, et magno honore habeo. Nemo artificio effecit, ut sepulchrum Ven. Servi Dei visitaretur: omnes, qui Ven. Servum Dei noverant, felices se existimabant, si ejus sepulchrum visitare et ornare poterant. »

XVIII. Testis *juxta* 41. et 43. *Interr. fol.* 618. *ter. respondit*: « Sepulchrum Ven. Servi Dei in Maria-Enzersdorf frequenter visitatum est. Venerunt foeminae et viri cujuscumque conditionis, saepe per integras horas ad sepulchrum V. Servi Dei preces fundebant, flores vel simplices herbas ad sepulchrum natas decerpebant, et in memoriam secum portabant. Quasi quotidie visitatores veniebant, et mihi quidem translatio corporis V. Servi Dei causa lamentandi est, quia inde quotannis redditus 30. florenorum perierunt, ego enim claves coemeterii tenui, et a visitantibus parva dona recepi. »

§ 29. *Multi per integras horas ad ejus sepulchrum preces fuderunt.*

« Confitendum mihi est, omnes, qui sepulchrum V. Servi Dei in Maria-Enzersdorf visitabant, ipsum tamquam sacerdotem sanctum depinxisse. Argumentum bonae opinionis, quam qui Ven. Servum Dei propius noverant, de eo habebant, id quoque est, quod plures ejus amici et cultores prope sepulchrum V. Servi Dei sepeliri voluerunt. Inter hos nominandi sunt: Fridericus Zacharias Werner, Dñus et Dña de Klinkowstroem, Liber Baro Penkler, Adamus de Müller, consiliarius aulicus, Eques de Buchholz, Nobilis de Pilat, Liber Baro de Hübner. »

§ 30. *Plurimi V. S. D. cultores juxta eum sepeliri voluerunt.*

I. Testis ex officio *juxta* 41. *Interr. fol.* 696. *respondit*: « Sepulchrum V. Servi Dei in Maria-Enzersdorf valde frequentatum est, maxime ab ejus cultoribus et poenitentibus. Ego etiam saepius illud visitavi. Alia hic deponere non possum, nisi quod ex ore testium oculatorum audivi, praesens sepulchrum V. Servi Dei saepe a personis auxilium V. Servi Dei implorantibus visitari. »

II. Testis ex officio *juxta* 41. *et* 42. *Interr. fol.* 768. *ter. resp.*: Quantum scio, sepulchrum V. Servi Dei in Maria-Enzersdorf a multis personis frequentatum est, et sorores Biringer mihi dixerunt, ipsas quotannis eo se contulisse, et in omnibus necessitatibus intercessionem V. Servi D. invocaverunt, et semper exauditae sunt. Cum ego quasi semper Vindobona abfuerim, hac de re particularia referre non possum. Ex quo tempore sepulchrum ad Scalas Marianas habetur, illud a personis cujuscumque conditionis visitatur, et quod ipse oculis meis vidi, semper sertis florum a cultoribus V. Servi Dei oblatis ornatum est. Minime mihi innotuit, has frequentes sepulchri visitationes artificio esse provocatas. »

« Nunquam mihi innotuit, V. Servo Dei cultum publicum, ab Ecclesia Dei prohibitum, fuisse tributum. Nunquam ex. gr. figuram, sanctorum aureola ornatam, nunquam ad sepulchrum luminaria accensa, aut tabellas votivas suspensas inveni. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 31. *Confirmantur dicta in processu Apostolico.*

X. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 303. *ter. respondit*: « Servi Dei sepulchrum in Maria-Enzersdorf, quamvis tribus vel quatuor leucis Vindobona distante, a multis tamen visitatum et floribus ornatum est. Ipsa ego saepius eo migravi, ut Servo Dei cordis angustias aperirem ejusque implorarem intercessionem. Permulti Servi Dei cultores nunc ejus sepulchrum in ecclesia PP. Redemptoristarum frequentant. »

XVI. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 389. *ter.* « Confirmare possum, Servi Dei sepulchrum tum in Maria-Enzersdorf, tum hic ad hanc usque horam a numerosis visitatum fuisse cultoribus, quorum multi Servi Dei intercessionem apud Deum implorant. Ipse ego Servi Dei sepulchrum in Maria-Enzersdorf semel visitavi. »

XVII. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 454. « Sepulchrum in Maria-Enzersdorf a multis, qui vivum eum noverant, lubenter fuit visitatum, ipseque ego pluries fui in coemeterio, ad sepulchrum Servi Dei. Complures eximiae personae specialissima ipsi conjunctae relatione etiam in sepulchro prope eum esse cupiebant, ac tali modo praesertim D. de Klinkowström ejusque uxor, tum uxor D. de Pilat et Zacharias Werner, inflammatus ejus discipulus, sepulchra sua prope sepulchrum Patris Hofbauer habere desideraverunt. »

XIX. Testis *juxta* 34. *Interr. fol.* 433. *ter.* « Saepe audivi, Patris Clementis cultores ejus sepulchrum in Enzersdorf visitasse, floribus decorasse, Servique Dei intercessionem implorasse. Ipse ego sepulchrum illud non visitavi. Omnibus est notum, inde a mortalium ejus reliquiarum translatione sepulchri visitationes in ecclesia nostra, in qua nunc Servus Dei depositus est, fuisse auctas. Cultus prohibiti vestigium nullum observavi. »

Concordat Testis XXX. juxta 34. Int. fol. 620. ter.

DE MIRACULIS POST OBITUM

Num. 26. *De Miraculis post obitum.*

ARTICULUS I.

Post obitum diversis personis apparuit et auxilium praestitit.

(Ex Processu Apostolico)

IX. Testis *juxta* 45. *Interr. fol.* 438. *ter. respondit* « Quamvis de certo miraculo V. S. D. referre non possim, tamen obligatam me sentio, sequentia duo facta extraordinaria hic referre. Erat in conventu nostro soror conversa, valde pia nomine Sebastiana; haec nobis omnibus in exemplum fuit,

§ 1. *Morienti Moniali S. Ursulae adstitisse creditur.*

et etiam V. S. D. eam propter pietatem suam, magni aestimavit, ita ut eam aliquando jocose sanctam diceret. Hunc vero titulum illa decise rejiciens: « Quid, inquit, ego sum? Vermis miserabilis. Sed Reverentia Tua magnos peccatores convertit, Judaeos baptizat, populum edocet, Dominum et Salvatorem nostrum in domos morientium portat, et alios sacerdotes instruit, ut eadem faciant: haec sunt quae sanctum constituunt ». Ad quae V. S. D. respondit: « Nunc mihi vices reddidisti, addiditque ad sororem Sebastianam versus: » Tibi morienti assistere, teque in coelum injicere volo; « et illa: » Optime, dixit, oppignorasti te pro mortis meae articulo, de hoc pacto te monebo. « Pluribus annis post obitum V. S. D. soror illa moritura decubuit, et morti jam vicina recordata est promissionis a V. S. D. acceptae, et ejus auxilium imploravit. Extemplo in verba prorupit: » P. Hofbauer, P. Hofbauer, « et post haec laeta obiit, pacem Dei in vultu exhibens. »

§ 2. *Zachariae Werner gloriosus apparuit et vicinam mortem praedixit.*

» Zacharias Werner, notus ille scriptor, antea acatholicus, qua talis caput erat persecutorum, qui V. S. D. ejusque discipulos Varsavia expulerunt. Postea Romae fidem catholicam amplexus est, et specialis gratia divinae providentiae fuit, quod hic quondam adversarius V. S. D. postea ejus discipulus, amicus et cultor factus est. Per plures annos usque ad obitum V. S. D. ejus directioni tamquam infans se subjecit. Erat Dominica prima Adventus, ut certe scire puto, cum concionem sequentibus verbis, quae adhuc memoria teneo incepit: « Non amplius diu vivam, hoc enim P. Hofbauer, mihi indicavit. Peractis orationibus vespertinis jam in lecto jacebam, cum repente cubiculum clara luce illuminaretur, quae solis lucem superabat. Et in splendore vidi P. Hofbauer, patrem, amicum et praeceptorem meum. Habuit manibus suis lilium, ramum olivae et palmam, et sic me allocutus est: « Zacharia, veni, veni, post breve tempus veni ». Quibus dictis evanuit. Haec comparitio non est imaginatio. Non enim somniabam, et ita certum est, me P. Hofbauer vidisse sicut certum est me vivere, et in ecclesia ante Deum meum eucharisticum praesentem esse. Relicta mihi est etiam usque ad hanc horam debilitas quaedam. et certum scio, me post breve esse moriturum ». Et ut Werner dixit, ita accidit. Post paucas hebdomadas, in quantum hodie memini, post festum Epiphaniae anno 1823. (ni fallor) obiit. »

§ 3. *Paucis mensibus post obitum gloria circumfusus apparuit.*

III. Testis *juxta* 43. *Interr. fol.* 245. *respondit*: « Ad probandam famam sanctitatis, qua pollebat V. S. D. ex scriptis defuncti patris mei haec adhuc depono: mense Julio anno 1820 (paucis igitur mensibus post obitum V. S. D.) pater meus in suo diario notavit: « Hodie fui cum P. Rinn apud Dominam Rizy, quae hodie Clementem Mariam Hofbauer cum S. Alphonso coelesti gloria circumfusum vidit ». Pater Rinn eo tempore Sacerdos saecularis, et Dña de Rizy mulier advocati, jam defuncti sunt. »

(Ex Processu Ordinario)

XXVI. Testis *juxta* 37. *Interr. fol.* 552. « Factum ex propria experientia hic referre mihi liceat. Paulo post Servi Dei obitum Deus (prout opinor) P. Hofbauer, una cum S. Fundatore Alphonso, ab Ecclesia jam canonizato, non somnianti, sed uti persuasum habeo, vigilanti mihi ostendit glorificatum. Quod accidit hoc modo: jam tunc constitueram, non solum munus meum in consilio aedilium aulicorum deponere, sed etiam me totum consecrare Deo in statu clericali. In domini de Klinkowstroem instituto tunc habitans, et secundum P. Hofbauer fel. rec. spiritum educatus, vitam egi christianam et piam. Auctoritas vero civilis ob studia philosophica non in hujus civitatis Universitate, sed in Hungaria privatim a me persoluta, obstacula mihi posuit insuperabilia. Quae calamitas adeo oppressit me, ut absque peculiari divinae gratiae auxilio certo occubuissem, vel propositum, Congñi SSñi Redemptoris nomen dandi, deserere debuissem. Eo ipso tempore P. Passerat Vindobonam venerat. Eo in statu eoque tempore factum est, ut quodam die in domo Klinkowstroem ante lectum in genua procumberem, solitam meditationem vespertinam instituens (ex libro P. Crasset, ni fallor). Ante me pendebat S. Josephi imago, infantem Jesum in brachiis tenentis. Omnino persuasum habeo, me in ista meditatione minime cogitasse vel meminisse defuncti P. Hofhauer, vel S. Alphonsi, vel P. Passerat, memini me aspicere solummodo S. Josephi imaginem. Insuper advertere debeo, me nec physice nec moraliter hallucinari, e contra visionum naturale habeo et fastidium et incredulitatem. In ista corporali et spirituali conditione positus repente vidi (an in corpore, an extra corpus, nescio, Deus scit) sequentem apparitionem. Ex adverso vidi S. Alphonsum in sua propria positione, sed coelesti suavi luce circumfusum, qui directe me aspexit. Ad ejus dexteram prope eum eoque tempore vidi P. Hofbauer fel. rec. quem illico cognovi, qui etiam me aspexit; erat autem totus transfiguratus, et eodem quasi suavi coelesti splendore circumfusus, uti S. Fundator. Uterque mihi videbatur, quin loqueretur, indicare P. Passerat ad sinistram S. Alphonsi se conferentem, deinde vidi P. Passerat modo omnino spirituali post S. Alphonsum comparere ejusque personam spiritualiter quasi transire in eam S. Fundatoris. Deus, prout opinor, ostendere mihi voluit, Patrem Hofhauer fel. rec. eadem quasi gloria frui in coelo ac S. Alphonsum, eum Congñis suae, ejusque filiorum specialem habere curam, et S. Fundatorem et Patrem Hofhauer fel. rec. ad R. P. Passerat me direxisse, meque per eum omnia obstacula mihi posita, quominus ingrediar in Congregationem, esse superaturum. Et revera per P. Passerat vocationem meam assecutus sum. Ipse mecum Imperatorem Franciscum adiit, qui illico

§ 4. *Testi V. S. D. cum S. Alphonso se videndum dedit.*

vere paterna charitate mandatum emisit, ut studia mea privata agnoscerentur valida, ita ut P. Hofbauer filius effici possem. Quadraginta et duo jam elapsi sunt anni, semperque adhuc ista apparitio adeo viva versatur ante oculos meos, ut semper adhuc eam perfecte in mente retineam ».

ARTICULUS II.

Plures sanationes miraculosae referuntur.

(Ex Processu Apostolico)

I. SANATIO AGNETIS FIÁTH

§ 5. *Multae gratiae invocatione V. S. D. obtentae narrantur.*

I. Testis *juxta* 45. *Interr. fol.* 202. *ter. respondit:* « Saepe narrantur gratiae, invocatione V. S. D. obtentae. Quod si vero de hisce precum exauditionibus particularia deponere non possum, id explicari poterit ex multitudine hujusmodi gratiarum, quae audiuntur, quin tamen audiens impulsum se sentiat, ut de iisdem inquirat. Possum tamen de quadam sanatione referre, quam in sensu jam exposito tamquam verum miraculum teneo.»

§ 6. *Miraculosa sanatio Agnetis Fiath magnam ubique admirationem excitavit.*

§ 7. *Ephemerides publicae de ea narrabant.*

» De hac sanatione igitur miraculosa in persona Baronissae Agnetis Fiáth facta, sequentia referre possum. Ea magnam admirationem excitavit, saepe de ea Vindobonae sermo fuit, nec non in aliis locis: imo folium publicum, quod Pragae in lingua bohemica editum est, de hoc facto notitiam retulit absque ulla maligna observatione. Haec notitia deinde in folio Vindobonensi valde divulgato, dicto « Presse » germanice relata est, pariter sine ulla odiosa annotatione. Mea cognitio maxime fundatur in quadam relatione, quam Superiorissa Ordinis S. Francisci Salesii circa miraculum scriptam ad Collegium nostrum Vindobonense misit, quam relationem deinde P. Jentsch, tunc Provincialis Austriae, omnibus domibus communicavit.»

§ 8. *Narratur dicta sanatio infirmae coxalgia laborantis.*

« Agnes Fiath, filia insignis Baronis Hungarici, ab autumno anni 1863. in instituto Salesianarum Vindobonae vivebat, ibidem versus festa nativitatis Domini aegrotavit, et in valetudinarium portata est. Cum medicus eam examinaret, tumorem et parva ulcera in regione inguinum invenit. Ulcera mox evanuerunt, sed dolores sentiebat ad coxam et genu, et puella non absque difficultate incedebat, et notabiliter claudicabat, quia pedem sinistrum figere, vel etiam movere tantum dolores ei procreabat. Jam antea tempore hiberno in domo sua paterna doloribus affecta erat, ex quo scilicet fossam supersiliens ceciderat. Cum vero antea dolores usu fomentorum frigidorum ablati fuissent, hac quoque vice illa fomenta applicabantur, sed sine effectu. Dolores ad coxam sinistram et claudicatio de die in diem augmentabantur, unde medicus ordinarius instituti Doctor

Eichhorn Doctorem Schuh, celebrem chirurgum nunc jam defunctum, ad instituendam consultationem advocavit; timuit enim ne malum in claudicationem spontaneam, ut ajunt, degeneraret. Adhaerebat Schuh opinioni Doctoris Eichhorn quantum ad morbi indolem, et dixit exitum pessimum esse timendum, nisi malum infra tres hebdomadas remediis (quieti scilicet perfectae in lecto, frigidis fomentis, et dosibus homoeopathicis ferri carbonici) cederet. Medio Januario adhuc Doctor Fleischmann, celeber medicus homoeopathicus ad consilium vocatus est, et credo, jam ex ipso facto, quod tres famosi medici, chirurgiae et medicinae Doctores, de statu infirmae consultationem inter se instituerunt, concludendum esse characterem infirmitatis gravissimum fuisse. Voluerunt medici, ut infans tentamen eundi faceret, sed gravissimi dolores inde secuti sunt, unde mandarunt, ut iterum in lecto recumberet, declarantes adesse inflammationem in articulo femoriali, et praescribentes, ut media hucusque adhibita continue applicarentur. Cum vero malum de die in diem cresceret, Doctores Eichhorn et Fleischmann (Schuh enim non amplius vocatus est) remedia mutaverunt; loco ferri carbonici bella-donna, et balnea calida cum sale fossili ordinata sunt. Interim malum adeo progressum fuerat, ut pes penitus ad extra tortus appareret, unde amplius dubitari non poterat, veram coxalgiam esse formatam. Die quinta Februarii anni 1864. aegrota in balneum delata est. Cum vero ex eo tolleretur, pene animi defectum passa est, et cecidit statimque in lecto reposita est. Eadem die quinta Februarii, feria sexta, infirma cum infantibus instituti preces novendiales in honorem V. Servi Dei incepit. Reliquiam ex arca sepulchrali Patris Hofbauer in lecto posuerunt, quam aegrota saepe devote osculabatur. Usque ad meridiem diei Dominicae nulla immutatio in ea observata est; sed ipsa die septima Februarii, cum aegrotarum curatrix non esset in valetudinario, de repente advertit, se sine dolore moveri posse; cumque curatrix rediret, declaravit infirma se esse sanatam, pedibus se erexit, de loco exsiliit, cumque surgere ei negaretur, in lecto exsiliens et pedem undequaque vertens deambulavit. »

§ 9. *Preces in honorem V. S. D. institutae sunt.*

§ 10. *Tertia die precum sanatio instantanea secuta est.*

« Altero mane a surgendo retineri non poterat; cumque infantes per cubiculum eam deambulantem viderent, alta voce exclamaverunt: Miraculum! Miraculum! Doctor Eichhorn eodem die eam invisens perfecte sanam eam invenit, mirabilem manum Dei in hoc recognovit, et omnia remedia removit. Cuidam ex Patribus nostris dixit: Nullum remedium, etiam optimum et efficacissimum tam brevi tempore morbum auferre potuisset. Etiam Doctor Fleischmann de perfecta sanatione stupefactus erat. Paulo post sanata a duabus portinariis deducta in nostram ecclesiam venit, ut ad sepulchrum Ven. Servi Dei gratias ei ageret. »

§ 11. *Medicus perfectam sanationem per manum Dei factam recognovit.*

« Etiam in cubiculum colloquiis destinatum venit, et monstrare voluit, quomodo pes ad extra tortus fuisset. »

« Postea cum matre quae ad invisendam filiam aegrotam Vindobonam profecta erat, et cum laeto stupore sanam repererat, iterum venit. Usque ad hanc horam perfecta sanitate gaudet, et paucis tantum abhinc diebus mater Missae stipendium misit, ut die septimo Februarii, anniversario miraculi in gratiarum actionem missa celebraretur. »

§ 12. *Imp. Carolina Augusta et Nuntius Ap. propriis oculis de sanatione perfecta convicti sunt.*

« Sanatio, uti dixi, magnam admirationem excitavit. »

« Imperatrix Carolina Augusta de eo certior facta, in conventum Visitationis B. Mariae V. se contulit, ut sanatam videret. »

« Nuntius quoque Apostolicus eo se contulit, et cum infante prae gaudio exsiliente in horto deambulavit. Cum in Collegio nostro infirmorum praefectus sim, et aliquot libros de re medica tractantes possideam, cumque sanatio haec prodigiosa laete me afficeret, aliquos libros egregiorum Doctorum perlustravi, et in libro cujusdam auctoris, nomine Rednar cui titulus est: « Lehrbuch der Kinderkrankheiten » (idest Pathologia infantium) coxalgiam plane cum iis signis descriptam inveni, quae in Agnete observata sunt. »

§ 13. *Omnia indicia verae coxalgiae in infirma aderant.*

« Dicit exempli gratia: hunc morbum in infantibus et personis tenerae aetatis haud raro inveniri, et scrophula particulariter ad eum inclinare: sed Doctor Riedlinger, qui Agnetem Fiath examinavit, confirmat eandem nec non alteram sororem scrophulosae esse indolis. Doctor Rokytansky opinionem Doctoris Rednar confirmat. Dicunt etiam Doctores Bednar et Rokytansky, declinationem spinae dorsi in regione lumborum causam esse luxationis femoris, et Doctor Riedlinger revera talem declinationem spinae invenit. Dicunt insuper Bednar et Rokytansky, in hac infirmitate saepe abscessum ab extra, aliquando in inferioribus partibus erumpentem formari; unde ulcera in regione inguinum Agnetis Fiath observata, tamquam cum femoris morbo conjuncta consideranda sunt. Si dispositioni internae causa externa accedit, morbus celeriter formari potest: sic exempli gratia casus, qui in persona robusta vix momentaneam contusionem effecisset, in personis scrophulosae indolis gravem coxae infirmitatem afferre potest. Et Rokytansky dicit, saepe parvam violentiam causam esse coxalgiae. »

§ 14. *Sanatio perfecta perduravit.*

Et *juxta* 50. *Interr. fol.* 213. *ter.* « Quantum scio in sanatione Agnetis Fiath nulla unquam crisis (quam dicunt) intercessit; sanatio erat instantanea, et usque ad hanc horam perduravit, nec loco infirmitatis, a qua sanata est, aliud malum successit: sanatio erat perfecta, nullum vestigium infirmitatis relinquens. »

Juxta 52. *Interr. fol.* 214. « Sanata Baronissa Fiath et omnes, qui circa eam sunt, cum gaudio profitentur, sanationem esse miraculum invocatione Ven. Servi Dei secutum. »

II. Testis *juxta* 45. *Interr. fol.* 225. *ter. respondit*: « Ex propria quidem scientia nihil deponere possum, sed utique tres

vel quatuor sanationes, quae intercessioni Ven. Servi Dei gratae et acceptae referuntur, mihi relatae sunt. »

§ 15. *Testes de diversis sanationibus miraculosis audierunt.*

Et *juxta* 47. *Interr. fol.* 226. « Hic tantum audivisse memini, alumnam Conventus Visitationis B. Mariae V. Vindobonae miraculose sanatam fuisse. Sed particularia referre non possum. »

VIII. Testis *juxta* 45. *Interr. fol.* 371. *ter. respondit* : « Saepius quidem audivi, ad invocationem Ven. Servi Dei sanationes miraculosas fuisse factas, uti exempli gratia refertur de alumna quadam in instituto, et de aliis quoque personis. Sed particularia quoad rem deponere non possum. »

X. Testis (Emus Cardinalis Rauscher) *fol.* 452. « Relationes fide dignae habentur de mirandis sanationibus Ven. Servi Dei intercessione obtentis. »

§ 16. *Imperatrix Austriae Carolina sanationem Agnetis Fiath attestatur.*

V. Testis, Augustissima Austriae Imperatrix Carolina Augusta, *fol.* 268. *ter.* « Attestor simul me in Conventu RR. Sororum Visitationis B. Mariae V. infantem Agnetem Fiath, quae miraculose a claudicatione spontanea sanata erat, in meam praesentiam admisisse, eamque prae laetitia, et gaudio exultantem vidisse, et cum religiosis virginibus, ex quarum ore percepi, illam puellam invocatione Ven. Servi Dei Clementis Mariae Hofbauer instantanee a claudicatione spontanea esse sanatam, communis gaudii me fuisse participem. Ad confirmandam hanc meam depositionem manu propria subscribo, et meum sigillum appono. »

« Ex castello Bersenbeug in Austria die 7. Augusti anni 1868. »

« Carolina Augusta, manu propria. »

II. Testis ex officio *juxta* 45. *Interr. fol.* 770. *ter. respondit*: « Quantum audivi, V. S. D. post obitum et maxime post translationem ad Scalas Marianas plura miracula fecit. Audivi de talibus miraculosis sanationibus in conventu Visitationis B. M. V. Vindobonae factis. »

Circa sanationem Agnetis Fiath concordant Testis XI, XII, XV, XVI, XVII, XXIII, omnes juxta 45. et seqq. interrog. foliis 534. ter., 544, 577 ter., 588 et 603, nec non Contestes I et III juxta art. 148 et seqq. fol. 784 et 854, ac medici experti fol. 861 et 863 ter., et in Processu Ordinario Testis XLV fol. 715, et Test. IL. fol. 770.

2. SANATIO MARIAE HOFFMANN AB HERNIA INCARCERATA ET MALO QUOD VOCANT *MISERERE*

(Ex Processu Apostolico.)

XX. Testis *juxta* 45. *Interr. fol.* 634. *respondit* : « Jam dixi, juxta meam persuasionem in Nosocomio Widensi ad intercessionem V. S. D. sanationem miraculosam contigisse. De ista sanatione tamquam testis oculata referre possum, cum eo tempore in dicto nosocomio Widensi infirmarum curatrix fuerim. Sanatio miraculosa ea mihi videtur, quae non jam

viribus naturae aut medicorum remediis, sed a Deo tantum effici potest. Tali modo miraculoso certa Maria Hoffmann ab hernia sanata est. »

§ 17. *Nomen, aetas, conditio infirmae refertur.*

Et *juxta* 47. *Interr. eod. fol.* « Nomen sanatae est Maria Hoffmann, et juxta meum judicium ultra 40. annos aetatis habebat. Virum habuit, et ex matrimonio plures filii nati erant. Duros labores sustinuit, ut sibi et suis victum necessarium pararet. Catholicam religionem profitebatur, et certo nosocomium ingressa secundum usum communem S. Communionem recepit. Sanatio primis diebus Octobris anno 1864. contigit. »

§ 18. *A multis annis malum herniae patiebatur.*

Et *juxta* 48. *Interr. eod. fol. ter.* « Maria Hoffmann parvae et debilis constitutionis fuit, indolem habuit hilarem, pietatis et Religionis studium prae se tulit, cumque tam graviter infirmaretur, numquam impatientem eam vidi. Scio, Mariam Hoffmann initio Octobris anni 1864. jussu medici sui in nosocomium Wieden fuisse portatam, nomen medici tunc non cognovi, dixit vero Hoffmann eumdem medicum jam antea pluries suae herniae curam habuisse, nunc autem non amplius curare voluisse, sed mandasse ut in nosocomium transferretur. Cum enterocele incarcerata in sinistra parte prominente in nosocomium venit. Uti dixit, jam a pluribus annis (exactum vero numerum annorum nescio) eodem malo laborabat, unde semper fasciam hernialem portabat.

§ 19. *Describitur status infirmitatis.*

Propter duros, quos sustinuit labores, enterocele saepius prolapsa est, eam vero vel propria opera, vel medici adjutorio iterum remisit; hac vero vice omne studium reponendi herniam irritum fuit. Testimonium Gulielmi Schmid, Chirurgi et artis obstetriciae periti, qui antea Mariae Hoffmann saepius curam adhibuerat, ad acta deponere possum. Enterocele prolapsa magnitudinem habuit pugni; sed continuis tentaminibus illam reponendi, pressione et similibus actionibus usque ad magnitudinem duplicis pugni aucta est. Hoc scio, quia ipsa enterocelem vidi et apprehendi; nam per diem et noctem, et iterum per diem medium servitium ei praestiti.

§ 20. Miserere *jam accesserat.*

Cum ei adsistere inciperem (nescio quo die) graves dolores sustinuit, de vehementibus doloribus conquesta est, et jam *Miserere* patiebatur, id est stercus humanum evomitavit. Hoc *miserere* usque ad sanationem perduravit, et aliquoties vomitus stercoris valde abundans fuit. Ex iis, qui in nosocomio erant, nemo sanationem per media naturalia sperabat; sic caeterae praesentes infirmae, sic nos curatrices, quae in hisce rebus multa expertae sumus, medici quoque declararunt, operationem esse faciendam.

§ 21. *Varia remedia applicata sunt.*

Applicata sunt fomenta calida humida, panni calidi, clysteria et etiam medicamenta: optime scio laurum cerasi infirmae fuisse praescriptum: credo, aliquando etiam medicamentum clysterio fuisse immissum. Per totam noctem, quae sanationi praecedebat, diligenter unum clysterium post aliud dedi, sed penitus inutiliter, et curatrices saepe inter se dixerunt: in hac infirma omnis opera nostra irrita est, et

aliae quoque infirmae, quae eam videbant, dixerunt: in tali conditione omnem laborem nostrum inutilem esse. Unus medicus post alium defatigatus est, ut enterocelem manibus immitteret, sed frustra. Medicus cui per noctem invigilare incubuit (fuit credo. D. Weinreb, hebraeus) in nocte ante sanationem saepius tentamen herniam immittendi fecit; cum vero omnia tentamina irrita essent, infirmam interrogavit, an non operationi se subjicere vellet, ad quod infirma respondit, si aliud non remaneret, velle se propter filios suos illi se subjicere, quamvis sciret, agi de vita et morte. Jam a pluribus diebus medici inter se dicebant, in Maria Hoffmann necessario operationem esse faciendam; cumque omnia remedia inutilia essent, operatio praescripta est, et omnia ad eam faciendam parata sunt. Ultimo autem die ante visitationem, postquam operatio facienda erat, Clara Wodsedalek infirmarum curatrix, in cubiculum infirmae venit, miraculum narravit, quod ad intercessionem P. Clementis M. Hofbauer apud Salesianas factum erat et infirmam interrogavit, an non etiam in intercessione V. S. D. magnam fiduciam reponere vellet. Infirma statim ad hoc paratam se declaravit, et preces novemdiales in ejus honorem fundendas promisi. Ni fallor, (nam certitudinem non habeo) quotidie 9. *pater noster* cum *credo* recitare statuit. Infirma preces statim recitare coepit. Wodsedalek nos curatrices et infirmas hortata est, ut ad eamdem intentionem preces funderemus: infirmae pariter statim ad recitandas preces paratae erant, quia Mariae Hoffmann valde miserabantur. Deinde medici ad instituendam visitationem venerunt (mihi eo die officium inserviendi incubuit); medici visitantes denuo enterocelem immittere tentaverunt, sed frustra. »

§ 22. *Constituerunt medici, operationem esse faciendam.*

§ 23. *Infirma cum aliis V. S. D. auxilium invocat.*

Juxta 50. *Interr. fol.* 637. « Paulo post discessum medicorum visitantium, cum infirmae fomentum (nescio an secundum, an vero tertium) applicarem, subito enterocelem plane mollem inveni, et infirmae dixi: « Ecce enterocele tua subito plane mollis est: » et cum vix haec dixissem, singultum, quasi si ex lagena aqua emittitur, audivi, enterocele vero unico tractu penitus retrogressa, et hernia cum strepitu clausa est. Statim enterocelem attrectare volui, enterocelem autem amplius non inveni, et infirma gaudio plena exclamavit: « P. Hofbauer auxiliatus est mihi! » Ego quoque eo tempore Patrem Hofbauer saepe invocavi. »

§ 24. *Post preces enterocele subito recessit et hernia clausa est.*

« Per breve post medicus Weinreb ad infirmam venit, quin vocatus fuisset; statum infirmae explorare voluit, sine dubio ut novum tentamen remittendi enterocelem faceret: sed antequam herniam examinaret, infirma ei dixit « enterocele introgressa est » cumque eam attrectaret, dixit: « Ubi est enterocele? » et caput quatiens abiit. Nos omnes maxime vero infirmae, quae erant in cubiculo, diximus. « Hoc miraculum est. » Altero die etiam medicus primarius, nomine Lewinsky, acatholicus, qui anno elapso, (ni fallor) sibi

§ 25. *In hoc omnes miraculum recognoverunt.*

ipsi mortem conscivit, cum medicis secundariis, quorum duo, Weinreb scilicet et Flesch hebraei, tertius nomine Conrad, quantum scio acatholicus fuit, venit, iterum Mariam Hoffmann exploravit, et audita sanatione dixit: « Est res memoranda. » Deinde latine inter se conversati sunt. Jam dixi, herniam instantanee et penitus evanuisse. Infirma dixit, nunquam se tam bene valuisse, uti nunc; se nullos dolores sentire, cibos appetere, et statim surgere valere; omnino bene valebat, et nihil mali manserat. Die sanationis infirma per me nullum clysterem receperat, nec antequam hernia evanuit, ventris evacuationem habuerat. »

« Volvulus (miserere) quantum novi, mane diei sanationis ultima vice evenerat. Postquam enterocele ablata fuerat, evacuatio facilis et sine doloribus secuta est. Sanatio facta est versus meridiem, operatio juxta praescriptum medici primarii in visitatione datum, post meridiem facienda erat. Postea, (fuit circa horam primam pomeridianam) medicus Weinreb cum D. Flesch iterum venit, et uterque sibi persuasit, enterocelem revera immissam esse. Loquebantur latine, quod non intellexi, sed brevi post cubiculo exierunt, et foris cum pluribus medicis verba fecerunt; sed quid locuti sint nescio. Quantum tempus Hoffmann post sanationem in nosocomio manserit, nescio; sed diu non mansit. Certum est, post secutam sanationem nulla omnino medicamenta fuisse adhibita. Loco herniae parva prominentia videbatur, quae tamen semper decrescebat, ita quidem ut fascia hernialis, quam Hoffmann etiam post sanationem portabat, plane superflua fieret, quia inter eam et corpus post discessum prominentiae spatium vacuum existebat; sed medici voluerunt, ut Hoffmann ad cautelam fasciam portaret. Hoffmann ipsa mihi dixit, herniam antea nunquam ita evanuisse sicut nunc, alias enim semper quaedam prominentia remansit, nunc vero hernia penitus evanuit. Erat credo (certitudinem enim non habeo) tempore hiberno, elapso jam longo tempore a sanatione, cum aliquando cum Hoffmann apud Wodsedalck convenirem cumque eam interrogarem, quomodo valeret, mihi respondit, optime se valere, nunquam tam bene valuisse, jam omnes duros labores sine metu perficere posse, herniam a tempore sanationis nunquam erupisse, et propter liberos tantum, semper de sua salute inquietos, cum hernia antea saepissime erumperet, se fasciam portare. Multo tempore post audivi, Hoffmann ex cholerae morbo obiisse. »

Et *infra fol.* 51. *et* 52. *Interr.* « Jam dixi, preces ad V. Servum D. fundendas decretas, et ab infirma Maria Hoffmann etiam inceptas fuisse; alia devotio non est facta. »

« Bene videbas in medicis, ipsos de secuta sanatione stupefactos fuisse. Infirmae et infirmis cubiculi ac nobis curatricibus persuasum fuisse, sanationem esse miraculum, ad intercessionem V. Servi D. referendum, jam dixi. »

Concordant Testes VI et XXI, juxta 45. *et seqq. Interr. fol.* 283. 646, *Contestis II. juxta art.* 186. *et seqq. fol.* 789, *et medicus peritus fol.* 811. *ter.*

3. SANATIO ANNAE BERGER A PARALYSI ET TRISMO.

(Ex Processu Apostolico)

XXII. Testis *juxta* 45. *et* 47. *Interr. fol.* 663. *respondit:* « A pluribus audivi, ad invocationem V. Servi Dei plures miraculosas sanationes factas esse, et etiam meam ipsius sanationem miraculosam i. e. non viribus creatis, sed a Deo factam reputo. »

§ 26. *Testis de propria miraculosa sanatione refert.*

« His quae de mea persona dixi, id tantum adjungere debeo, sanationem meam in fine Julii anni 1864. in Altensam secutam esse, »

Juxta 48. *Interr. eodem fol. ter.* « Videor mihi mediae altitudinis et satis fortis constitutionis, nec non animi hilaris: a Deo etiam gratiam accepi, ut dolores cum animo submisso supportarem. Usque ad annum XIII. optima fruebar valetudine: ab eo vero tempore saepius vehementia sanguinis profluvia ex ore et naribus passa sum. Eo anno prima vice menstrua evenerunt, quae exinde semper valde abundantia erant. Annum vero XVI. vel XVII. agens, tam vehementes convulsiones passa sum, ut horrendum in modum huc illuc jactarer. Cum istae dolorosae convulsiones me invaderent, duo vel tres viri me tenere non valebant; et saepe quidem hoc malo laborabam, ad quemque etiam levem terrorem, ad quemvis strepitum, vel altercationem subito concidebam: medici malum inflammationem medullae spinalis vocabant, saepius venam incidebant, sanguisugas vel cucurbitulas admovebant, et quamvis hisce mediis vis morbi leniretur, tamen semper propter debilitatem per aliquod tempus in lecto manendum mihi erat. Tamen semper eatenus restituta fui, ut aliquos labores in agro vel domi peragere valerem. Anno 1844. per decem hebdomadas in nosocomio S. Elisabethae Lincii jacebam: eo enim tempore Lincii famulabar. Die videlicet 2. Februarii ejusdem anni, repente animi defectum passa sum, ita ut nescirem, quae circum me agerentur: sed post nonnullas venae incisiones ad me reversa, iterum labores domesticos assumere potui; at vero die 4. Februarii iterum sensibus destituta in nosocomium portata sum. In nosocomio trismo laborare incepi, et hoc malo multa passa sum; labra erant distorta et dentes arcte compressi, ita ut tantum per vacuum, quod erat inter dentes posteriores, jusculum mihi dare possent. Huic malo etiam vocis defectus accessit, et si quid desiderabam, scriptis sensa mea exprimere opus erat. Ab eo tempore infirmitates meae semper auctae sunt, et tali quidem malo usque ad annum 32. laborabam paucis tantum interjectis pausis, cum interdum

§ 27. *Jam ab anno XIII infirmabatur.*

§ 28. *Convulsiones, inflammationem medullae spinalis passa est.*

§ 29. *Anno 1844 ad alia mala trismus accessit.*

§ 30. *Loquelam perdidit.*

per 14 dies doloribus morbi minus cruciarer, sine impedimento cibos sumerem, et saltem voce remissa loqui valerem. Postquam anno 1844. per decem hebdomadas in nosocomio jacueram, ex eodem dimissa sum dicentibus medicis, nosocomium non mihi esse locum sperandae salutis.

§ 31.
Annum 32. agens apoplexiam sanguineam passa, quae deinde sexies repetita est.

Annum 32. agens, apoplexiam sanguineam passa sum; quamvis enim per aliquot dies vertigine laborassem, tamen vena non statim fuit incisa. Medicus campestris loci Leim, qui me curavit, dixit, adesse apoplexiam sanguineam. Tales accessus apoplectici inde usque ad annum 1862. saltem sexies repetiti sunt; iidemque necessario quamdam paralysim adduxerunt, ita ut labores peragere amplius non valerem. Vox penitus perierat: cumque laborum agrestium impos facta essem, tempus lintea suendo transegi, quavis vero aëris mutatione graves dolores in articulis persensi. Fortiorem paralysim in crure sinistro sensi, illud non sine labore post me trahere valui. Die 6. Januarii 1862. viscerum inflammatione infirmata sum, quae mihi graves dolores creavit. Dñus Stoeger, medicus in Attnang in hac infirmitate curam mihi adhibuit; medicamenta liquida et pulveres recepi, et magni dolores morbi mitigati sunt, sed quamvis viscerum inflammatio evanuerat, tamen in lecto erigere me non potui; tumorem enim habui, qui tamquam circulus corpus meum cingebat, et deinde die 13. Februarii apoplexia me tetigit: nullum verbulum proferre potui; os penitus clausum, totum corpus paralysi debilitatum fuit, nullum membrum movere valui. »

§ 32.
Novus apoplexiae accessus: status infirmae tempore sanationis.

« Talis status salutis meae cum parvo levamine usque ad sanationem secutam duravit. Medicus Knöppel pluries venam aperuit, sed prima vice omnino sanguis non exivit, et ultima vice ex brachio sinistro vix tantum, quantum ad implendum cochlear sufficit. Nullum verbum proferre potui, et trismus adeo fortis fuit, ut sanctam Communionem tantum per illud vacuum inter dentes, per quod etiam jusculum sumpsi, dare mihi possent; dexterum brachium movere non valebam. Totum quidem corpus paralysi debilitatum fuit, maxime vero brachium dexterum, et etiam pede sinistro uti non potui. Si fulcro innixa incedere volebam, sinistrum post me trahere debebam. Saepius sanguinem e vena emiserunt, et ultimo quidem die 17. Aprilis anni 1864. »

§ 33.
Medici omnem spem sanationis deposuerunt.

« Anno 1863. medicus Pausinger ex Schwanenstadt mihi dixit, inutilia esse quaecumque remedia mihi applicarentur: si in balneum Gastein irem, fortasse fieri posset, ut per duas horas pedibus stare valerem, minime vero sperari posse fore, ut laborum fierem capax. Etiam medici Knöppel et Riedlinger mihi dixerunt, infirmitatem adeo jam esse progressam, ut sanatio sperari non valeat. »

Et *juxta* 50. *Interr. fol.* 666. *respondit*: « Erat mense Julio anno 1864. quo omnis spes obtinendae per media humana salutis deponenda mihi erat. »

In tali necessitate consilium cepi confugiendi ad Matrem Dei, et adeundi hunc in finem sanctuarium Bmae Virginis Mariae Auxiliatricis in loco dicto Schmolln.»

« Hanc intentionem confessario meo P. Toechterle Congnis SSmi Redemptoris communicavi, qui mihi consilium dedit antea preces novendiales instituendi, quo intercessione V. S. D. Clementis Mariae Hofbauer salutem recuperarem et tum post obtentam salutem, piam peregrinationem in Mariam Schmolln facerem; vidit enim vires ad hanc peregrinationem necessarias mihi deesse. Erat die 22. Julii, quo P. Toechterle hoc consilium mihi dedit, et reliquiam ex arca sepulchrali V. S. D. tradidit, et die octavo subsequenti, videlicet die 29. Julii V. S. D. ita me sanaverat, ut ab hora 9. matutina usque ad horam 6. cum dimidia vespertina durum laborem metendi frumentum possem perficere, et etiam labore peracto viribus optime valentem me sentirem. Die 30. Julii pedibus et absque fulcro ad confessarium meum in Puchheim me contuli, qui locus ab habitatione mea una hora cum quadrante distat, eidem sanationem meam narratura, et pro reliquia ab eo accepta gratias relatura. Eodem die redii, et longius adhuc ire potuissem, adeo viribus refecta fui. Die 1. Augusti ad sanctuarium B. M. V. in Schmolln me contuli, et totum iter decem leucarum (tantum distat Schmolln ab habitatione mea) non interjecta noctis quiete, pedibus perfeci. Jam antea postquam V. S. D. invocavi, cum voce remissa loqui potui, sed in Schmolln vires loquendi cum alta voce recepi, et inde reversa plenum usum vocis iterum habui: die enim 4. Augusti canticum in honorem Deiparae cum alta voce cantare potui. Semper adhuc tres digitos manus dexterae aperire non potui; sed etiam in hoc exaudita sum. Feria IV. a Maria Schmolln redieram, et feria II. hebdomadis sequentis hi digiti aperti sunt; ab eo tempore perfecte sana sum: omnes homines, qui meam perpetuam infirmitatem noverant, obstupescunt, affirmantque certe me nunc optime valere, cum antea nunquam tam diuturnos labores perficere potuerim, sicut nunc post obtentam sanationem. Infra tempus, quo preces novendiales ad V. S. D. recitavi, sanata sum, et propterea Deo gratias ago.»

§ 34. *Preces ad V. S. D. instituit.*

§ 35. *Infra preces novendiales per gradus sanata est.*

§ 36. *Durissimos labores et longum iter pedibus perficere potuit.*

» A die 17. Aprilis 1864. nullam medicinam ore sumpsi, nec aliud medicamentum applicatum mihi est. Nec alia res quae crisis vocari possit, intercessit, nec tempore sanationis menstrua habui. »

Et *juxta* 51. et 52. *Interr. fol.* 667. *ter.* « Tempore precum novendialium quotidie ad V. S. D. 9. *Ave* et totidem *Gloria Patri* recitavi. Ad Mariam Schmolln non me contuli, ut ibi intercessione Deiparae sanationem reciperem, sed ut ibi obtenta miraculosa sanatione gratias agerem, quia confessarius, cum reliquiam mihi daret, dixit, peregrinationem in Mariam Schmolln instituendam mihi esse post ob-

tentam sanationem, ut ibi gratias agerem. Hodie adhuc in gratiarum actionem quotidie decies *Ave Maria* et *Gloria Patri* dico.»

« Post meam sanationem tantum cum medico Riedlinger locuta sum, qui disertis verbis declaravit, sanationem miraculosam reputare. Equidem sanationem miraculum V. S. D. gratum acceptumque referendum reputo, et omnes homines quicumque me noverunt sanationem miraculum tenent. »

Concordant II. Testis ex officio *juxta* 47. *et seqq. Interr. fol.* 771. *et medici experti fol.* 802. *et* 810. *et in Processu Ordinario* XLIX. Testis *juxta* 37. *Interr. fol.* 773. *et seq. et* L. Testis *juxta* 37. *Interr. fol.* 786.

4. SANATIO SOR. ALOYSIAE ELISABETH REVICZKY A CHLOROSI VALDE OBSTINATA ET COMPLICATA.

(Ex Processu Apostolico)

XIV. Testis *juxta* 47. et 48. 50. et 51. *Interr. fol.* 568. *ter. respondit*: « Quod ad sanationem Aloysiae Elisabeth Reviczky spectat sequentia deponere possum. »

« Aloysia Elisabeth Reviczky nata est Leopoli, mense Novembri anni 1837. Parentes erant Adamus Comes Reviczky, Cancellarius aulicus Hungariae et Sidonia Szumlanska, ambo catholici. Mater adhuc vivit. Eadem anno 1849. alumna in institutum ingressa est et in eodem mansit usque ad diem 17. Julii anni 1853. quo in novitiatum transivit. Vota religiosa emisit die 26. Decembris anni 1861. Tempore sanationis alumnarum magistra fuit, et hoc officium usque ad hanc horam retinuit. Ea satis altae staturae est, sed debilis constitutionis: usque ad sanationem variis infirmitatibus praecipue inflammatoriis laborabat, qua de causa ei parcendum erat, nec laboribus corporis vires defatigantibus applicari poterat. Indolem habet valde suavem, sed magis ad tristitiam quam ad jucunditatem propensam: quod maxime de prioribus annis dicendum est. Eam valde piam aestimo: de vocatione sua valde contenta: ob infirmitatem suam, qua impediebatur, quominus obligationibus vocationis suae plene satisfaceret, valde afflicta erat. Jam antequam proprie infirmabatur, diminutio virium apparebat: die vero, qui immediate votorum emissionem sequebatur, videlicet 27. mensis Decembris anni 1861. infirmitas apparuit. Cum mihi invigilare injunctum esset, ne supra vires occuparetur, observavi, eam ita macescere, ut tabe laborantem illam crederes. Propter vehementes capitis dolores nonnisi cum gravi difficultate obligationibus vocationis suae satisfacere poterat, et pectoris angores ei eunti et cantanti impedimento erant. Ipsa ego eam per scalam ascendentem saepius adjuvi. Frequenter cordis fortem palpitationem et generalem debilitatem, et talem ciborum inappetentiam tolerabat, ut ad prandium ob ciborum fastidium fleret, et ad edendum cogere

§ 37.
Variis infirmitatibus fuit obnoxia.

se deberet: vertiginem quoque et insomnia, ut ex ejus ore audivi, passa est. Totus ejus status ita affecit, ut crederem post breve eam esse morituram. Cum parva intermissione sive diminutione tales infirmitatis conditiones fere usque ad ejus sanationem duraverunt. In laboribus vocationis suae per infirmitatem valde praepedita, obligationibus suis in schola et in choro obeundis non sicut ante satisfacere poterat. Malum cum patientia et quiete sustinuit, quamvis ex amore vocationis suae ab eo liberari desideraret. Cogitatum reprimere non potuit, malum suum viam esse ad sepulchrum. Scio, medicum Eichhorn eam curasse, sed de remediis applicatis nihil edicere possum, nec mihi compertum est, quid medicus de natura morbi enuntiaverit. Certum autem est, malum medici remediis non cessisse, omnia enim morbi symptomata usque ad secutam sanationem eadem permanserunt. »

§ 38. *Mors proxime imminere videbatur.*

« Sanatio erat subitanea, perfecta, et usque ad hanc horam perdurans. Nihil scio, aliquam bonam crisin quoquo modo ad sanationem referendam successisse: secuta est autem sanatio durante devotione novendiali ad Ven. Servum Dei instituta. »

§ 39. *Sanatio subitanea, perfecta et constans ad invocationem V. S. D.*

« Preces novendiales ab ipsa infirma dictae sunt: invocando V. Servum Dei ter *Ave Maria* et totidem *Gloria Patri* recitabat. Alumnae quoque juxta hanc intentionem preces ad V. Servum Dei fudisse mihi videntur, sed cum certitudine hoc dicere nequeo. Alia devotio facta non est. Infirma etiam reliquiam ex arca sepulchrali Ven. S. D. secum super corde portabat. »

§ 40. *Describitur sanatio.*

Et *juxta* 52. *Interr. fol.* 570. *ter. respondit*: « Sanatio die 5. Julii anni 1864. versus finem precum novendialium secuta est, et quidem, uti jam dixi, instantanee. Erat infra meditationem, cum repente novo robore vivificari se sentiret: sic ipsa mihi et alumnis rem narravit. In domo nostra omnibus constat, sanatam usque ad illud momentum, quo nova vita animari se sentiebat, omnibus symptomatibus malorum affectam fuisse. Immediate ante sanationem ipsi res impossibilis erat, absque summa defatigatione et pluries repetita respiratione scalas ascendere, vocem instruendo elevare, vel longius perorare, cantui chori diutius incumbere; ad haec enim vox sufficienter fortis deficiebat. At vero post sanationem omnes istae miseriae evanuerant: multo robustior erat quam unquam antea; sine difficultate sicut aliae sorores scalas ascendebat: cum voce valde valida cantabat, et sine defatigatione labores spirituales sustinebat. Hodie etiam labores corporales, quos antea propter virium deficientiam ne tentare quidem poterat, perficit: sic ex. gr. per integras horas lavare et immediate post in choro cantare et deinde in schola instructiones dare potest. Uno verbo, perfecte sana dicenda est: semper cum ea iisdem laboribus occupata fui, et nunquam aliquod vestigium mali re-

§ 41. *Nunc etiam duros labores assumere potest.*

§ 42. *Sanata et ejus sorores sanationem verum miraculum esse reputant.*

divivi in ea observavi. De medici judicio id tantum deponere possum, ipsum sanationem perfectam dixisse, sed addidisse: Videamus, an perduret, et revera usque ad hanc horam perduravit, ita quidem, ut nunquam antea sanior fuerit quam hodie, nec unquam sanior aspectui compareret. Sanatae plene persuasum est, sanationem ad intercessionem Ven. Servi Dei secutam et miraculum dicendum esse. Sorores, inter quas et ego, ejusdem plane persuasionis sunt, nec dubitant, sanationem miraculum profiteri. »

Concordant Testis XI. fol. 536. *ter.* « *Testis XII. fol.* 544. « *Testis XIII. fol.* 553. « *Testis XV. fol.* 582 « *Testis XVI. fol.* 592. *ter.* « *Testis XXIII. fol.* 801. *et* 808. *ter.*, *et in Processu Ordinario Testis XLV. fol.* 725. *ter.*

5. SANATIO VINCENTII FELBER AB HYDROPISI.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis *juxta* 45. *Interr. fol.* 209. « Quamvis supra dixerim, me de gratiis certam depositionem facere non posse, tamen hodie de tali gratia sequentia edicere possum. »

§ 43. *Infirmitas describitur.*

« Notum mihi est, Vincentium Felber fabrum claustrarium, caelibem, annorum quadraginta trium aetatis suae, mense Maji anno 1866. hydropisi laborare incepisse. Tantopere in pectore intumuit, ut vix respirare posset. Malum post breve per totum corpus diffusum est. Doctor Herz medicamentum quidem ei praescripsit, sed sine ullo effectu: imo ita malum auctum est, et tam periculosum devenit, ut medicus crederet, necessario monendos esse infirmi cognatos, ut sacramentis morientium muniretur, quod etiam factum est. Cum prior medicus contra malum nullum jam remedium sciret, uxor patroni Vincentii alium medicum, Doctorem Kosmadowsky vocavit, qui fama gaudet, quod hydropicos cum bono successu sanare sciret. Hic infirmo unguentum ad infricandum corpus, et aliam medicinam mihi ignotam praescripsit, sed sine effectu. Cum jam in ventre maculae, quae gangraenae suspicionem praebent, comparerent, pulverem, quem Benzoë vocant ad eum infumigandum, et unguentum contra gangraenam praescripsit. Attamen malum ita auctum est, ut idem Doctor uxori heri praecisis verbis declararet, Vincentio Felber duos ad summum adhuc dies vitae superesse, et sorori infirmi dixit, se jam omnia remedia applicasse, quae in similibus casibus applicari possent; exhaustam esse suam scientiam; exitum Deo remittendum esse; interim tamen pulvere Benzoë eum infumigaret: quod tamen soror omisisse videtur, quia infirmus post talem infumigationem semper pejus se sentiebat. In tam desperata conditione infirmus Patrem Hofbauer implorabat, reliquiam ex arca sepulchrali Ven. Servi Dei collo suspendebat, et cum sorore ejusque amica preces noven-

§ 44. *De medici mandato Sacramenta infirmo administrantur.*

§ 45. *Medicus de sanatione plane desperat.*

§ 46. *Infirmus Ven. S. D. auxilium implorat.*

diales fundere incepit. Verum jam nocte, quae preces novendiales inceptas secuta est, cum dormiret, Patrem Hofbauer ipsi benedicentem et pulverem in eum spargentem, clare conspicere sibi visum est. Cum evigilasset, multo meliorem se sentiebat, et facilius respirabat: aquae tamen parum adhuc defluebat. Post tres dies iterum Ven. Servum Dei in somno videbat, hac vice aqua cum perlustrantem, et eadem die et sequentibus duabus aqua ita ab eo decurrebat, ut etiam medicus id sibi explicare nesciret. Maxime memoranda illi erat circumstantia, quod aqua in qualibet ex quatuor lagenis, quae quotidie implebantur, alium colorem haberet, quam circumstantiam medicus (sicut dixit) nunquam adhuc in hydropisi observaverat. Aegrotus igitur sanatus est, et hodie adhuc optima valetudine gaudet, persuasum habens, solum per Ven. Servum Dei auxilium sibi allatum fuisse, non vero remediis a medico sibi praescriptis et applicatis. Voluit statim ad labores suos redire, sed medicus non statim id facere ei permisit: secunda tamen die sine difficultate laboribus suis iterum se dedit. Hoc adhuc animadvertere debeo: Cum videlicet Pater Zirnig Congregationis nostrae sacerdos, Doctori Herz qui primus infirmo curam suam adhibuerat, narraret, Doctorem Kosmadowsky sanationem Felberi suis medicamentis adscribere, Doctor Herz respondit: Hoc impossibile esse, talem infirmitatem infra dies octo vel novem perfecte sanari non posse: quia Felber non solum cute et ventre, sed etiam pectore et corde hydropisi laborasset. »

§ 47. *Infra paucos dies perfecte sanatus est.*

6. SANATIO ADELAE HENNLEIN, ET VERONICAE KOHLBECK A MALIGNIS TUMORIBUS.

(Ex Processu Apostolico)

I. Testis ex officio *juxta* 45. *Interr. fol.* 697. *ter. respondit*: « Nos moniales testes oculatae sumus plurium sanationum miraculosarum, quae intercessioni V. Servi Dei gratae acceptaeque referendae sunt... Nec omittenda mihi est declaratio, sanationes Adelae Hennlein a magno tumore, quem habuit ad genu, et sororis Mariae Veronicae Kohlbeck a magno tumore manus, pariter ad invocationem V. Servi D. secutas, saltem valde miras, et modo naturali vix explicabiles mihi videri. »

§ 48. *Plures sanationes miraculosae intercessione V. S. D. factae sunt apud Salesianas.*

Et *fol.* 702. « Primo de sanatione Adelae Hennlein et nostrae sororis Mariae Dominicae Kohlbeck eas, quas possum, relationes facere volo. »

« Adela Hennlein alumna erat instituti nostri et nunc annum 19. agit. Puellula in circuitu conventus lapidibus strato prociderat; sed lapsum celaverat, inde die 29. Martii 1864. paucis post lapsum diebus tumor dolorosus supra dextrum genu se formaverat, qui ejus incessum impediebat. Doctor

§ 49. *Adela Hennlein a gravi tumore ad genu sanata est.*

Eichhorn, tunc conventus nostri medicus ordinarius declaravit, malum quidem non esse periculosum, affirmavit vero longum tempus ad illud sanandum requiri, et fieri posse, ut quaedam debilitas in dicto genu esset remansura. Applicata sunt fomenta frigida cum arnica et quaedam infricationes: nescio tamen quae remedia in infricatione adhibita sunt. Aegrotae praescriptum fuit, ut continue jaceret: ad summum a duabus personis suffulta cum dolore paucos passus facere poterat. In tali statu perseverabat usque in diem 14. Maji 1864; dicto die juxta consilium Matris, quae tunc conventui praesidebat, preces novendiales ad V. Servum Dei institutae sunt; imago V. Servi Dei juxta lectum infirmae apposita erat, nec non etiam reliquia ex ejus veste. Remedia a medico ordinata durantibus precibus novendialibus continuata sunt, sed ne minimam quidem levationem attulerunt. Devotio uno die propter aliquod impedimentum interrupta decimo tantum die terminata est. Status infirmae idem permanserat. Cum vero infirma die 24. Maji mane evigilaret, advertit, dolorem et tumorem penitus evanuisse; sanatio erat perfecta et instantanea; nam aegrota praecedenti vespere, absque minimo levamine obdormierat, et nullum crisis vestigium praecesserat. Cum medicus Eichhorn sanatam libere perambulantem videret, statim: « Certe, inquit, preces ad Patrem Hofbauer fudistis. » Sanatae patruus, vir proh dolor omnino incredulus, eam paulo ante sanationem, cum eam non sine multo labore in collocutorium portavissent, viderat; cum vero eam paulo post sanatam conspiceret, dixit: « Hic miraculum manifestum est, nemo de contrario mihi persuadebit, nam propriis oculis vidi. »

§ 50. *Post preces novendiales in honorem V. S. D. factas.*

§ 51. *Sanatio fuit instantanea et perfecta.*

§ 52. *Etiam vir omnino incredulus sanationem miraculosam dixit.*

« In nostro conventu omnibus tum sororibus, tum alumnis persuasum fuit sanationem fuisse miraculosam. Hoc etiam familiae sanatae persuasum erat, unde ex eo tempore, sepulchrum Ven. Servi Dei visitant, ibique preces fundunt. Ipsa Adela exinde in Ven. Servum Dei fiduciam vere filialem concepit, cujus rei hoc quod sequitur, documentum est. Libentissime in conventu nostro morabatur: parentes vero deciderant, ut die statuto eam inde levarent, qua de causa valde afflicta, Adela cum fiducia ad Ven. Servum Dei se vertit, desiderium suum cum filiali fiducia ei exposuit; supplicavitque, ut sicut antea ipsam sanaverat, nunc quoque faceret, ut in conventu remanere adhuc posset. Hac cum intentione nemine suadente preces novendiales ad Ven. Servum Dei fundere incepit, quin cuiquam verbum diceret. Die nono mater inexpectata in collocutorium venit, et dixit, propter circumstantias inopinatas exoptandum esse ut Adela diutius in conventu maneret; imo R. M. Superiorissam humiliter supplicavit, ut filiam adhuc retineret. Haec audiens Adela gaudio plena enuntiavit, se iterum a P. Hofbauer exauditam esse, et tunc demum manifestavit, se in hunc finem preces novendiales instituisse. »

§ 53. *Alia gratia a V. S. D. obtenta refertur.*

« Maria Dominica Kohlbeck, soror conversa nostri conventus, quae die 9. Martii 1867. defuncta est, die 11. Aprilis 1864. dexteram manum ad ferrum inconsiderate offendit. Usque ad diem 28. Aprilis in exteriore parte manus nihil mali advertit, et parum doloris sensit. At vero vespere dici modo dicti vehementissimos dolores sensit, qui per noctem ita aucti sunt, ut totam noctem insomnis et in lecto sedens consumeret. Sequenti die 29. Aprilis, magnus tumor comparuit, et in loco offensi articuli ulcus se formaverat. Tumor et dolores de hora in horam aucti sunt, infirma sine gravi dolore manum · movere non poterat. Doct. Eichhorn ipso die advocatus declaravit malum valde grave esse; timuit, ne inflammatio in periesteo fieret, et protracta sine dolorosa operatione sanari non posset. Unguentum ordinavit, quod in nostra propria pharmacia praeparatum est, (erat unguentum mercuriale, et unguentum digit. partibus aequalib.) et quietem rigorosam, nec non continuam manus infirmae erectionem. Cararum sororum nostrarum una aegrotam ita patientem videns, dixit: « Cur non applicas reliquiam Patris Hofbauer, qui certe auxilium suum praestabit? » Aegrota deinde reliquiam sumpsit, quin tamen medicamina omitteret, et res semper deterior facta est, dolore et tumore adeo crescente, ut aegrota quasi sui impos fieret. Talis erat conditio infirmae usque ad horam sextam vespertinam ejusdem diei. Tunc infirma remotis omnibus medicinis reliquiam tantum V. Servi D. in manu aegrota tenuit, moxque aliquod sensit lenimen: cumque die proximo, sabbato scilicet 30. Aprilis medicus venisset, dempto vinculo, dolor, tumor et ulcus absque hujus crepatione penitus disparuerant, ita ut solummodo parvum punctum rubrum, quod nullum creabat dolorem, in loco ulceris appareret. Eodem adhuc die Soror Maria Dominica manu sanata diversa negotia facere, imo etiam per mediam horam suere, et elapsis paucis diebus omnes labores domesticos sine impedimento perficere potuit. Omnibus nobis persuasum fuit, sanationem esse miraculosam, unde fiducia, qua in V. S. D. jam affectae fuimus, adhuc aucta est. »

§ 54. *Soror conversa a gravi tumore in articulo manus dexterae liberata est.*

§ 55. *Applicata reliquia V. S. D. tumor et ulcus penitus disparuerunt.*

Concordant in Processu Ordinario Testis XXXII. « *Testis XXXIV. fol.* 657. *fol.* 646. *Testis XXXVI. fol.* 680. « *Testis XXXVII. fol.* 676. « *Testis XXXVIII. fol.* 682. « *Testis XLV. fol.* 718. *ter. omnes juxta* 37. *Interr.*

7. SANATIO ROSALIAE DALLINGER A MORBO GUTTURIS.

(Ex Processu Ordinario)

XIX.Testis *juxta* 37. *Interr. fol.* 434. «Commemorare hic debeo, jam ante duos annos, nempe festo Purificationis B. M. V. anno 1862. quamdam Rosaliam Dallinger innuptam, quadraginta annos natam, Eggenburgii prope conventum nostrum parvam domum possidentem, per Servi Dei intercessionem

§ 56. *Sanatio Rosaliae Dallinger a morbo gutturis.*

instantanee a gravi malo gutturis fuisse sanatam, per septem vel octo jam annos isto laboraverat malo, et ulcera in faucibus habebat, quibus accesserat caries. Saepius parva ossula magnis cum doloribus eructare debebat, saepe rata, mortem suffocationis sibi imminere. Ultimis tribus ante sanationem diebus, nec purum jusculum gustare poterat. Institutis autem de confessarii Opitz consilio novendialibus precibus in Patris Clementis honorem, celebratisque nonnullis missis, tertio novendialium precum die instantanee est sanata, ita ut illico absque difficultate posset manducare, et usque ad hanc horam omnibus cibis posset vesci.»

8. ET 9. SANATIO ROSAE REGINAE KANDL A VEHEMENTI CORDIS PALPITATIONE, NEC NON MONIALIS AB ARTHRITIDE

(Ex Processu Ordinario)

§ 57. *Sanatio Rosae Reginae Kandl a vehementi cordis palpitatione.*

§ 58. *Sanatio Monialis e Cong. S. Josephi ab arthritide.*

XXVI. Testis *juxta* 37. *Interr. fol.* 551. *ter.* « Per intercessionem P. Hofbauer multae sanationes miraculosae et gratiae sunt secutae. Sic his demum diebus Vindobonae cum valde honorabili muliere, nomine Rosa Regina Kandl, uxore officialis domestici Vindobonae habitantis locutus sum, quae mihi narravit, se a vehementissima cordis palpitatione, qua plures jam annos laboraverat, fuisse liberatam applicata Reliquia P. Hofbauer, et precibus ad eum persolutis. Ejus etiam intercessione a pluribus aliis angustiis liberata fuit. — In Gallia quoque, nempe Bononiae ad mare (Servus Dei) hoc anno die 15. Martii (die obitus sui) sororem ex S. Josephi Congregatione vehementi inflammatoria arthritide decumbentem in fine novendialium precum sanitati instantanee restituit. P. Srna exemplar relationis a respectiva religiosae familiae Superiore domui nostrae Bononiae ad mare factae, paucis abhinc diebus misit Congregationi ad Scalas Marianas. »

10. SANATIO CATHARINAE SEIDEL CLAUDICANTIS.

(Ex Processu Ordinario)

§ 59. *Sanatio Catharinae Seidel claudicantis.*

XLVI. Testis *juxta* 37. *Interr. fol.* 728. « De infantis meae Catharinae sanatione, quae sequuntur, deponere possum. Infans ista usque ad mensem Martium anni 1864. nullo laboraverat unquam morbo. Eo vero tempore morbillis correpta est, ita ut novem circiter dies lecto affixa esset. Cura autem Doctoris Pletner id effecit, ut mox perfectae iterum restitueretur valetudini. Festo corporis Christi Catharina integrae adhuc interfuit processioni, jam vero conquerens de doloribus in crure sinistro. Iidem dolores mox etiam in dextero apparuerunt. Dolores continue durabant, paulatim vehementiores redditi, et mox eum attigerunt gradum, ut

infans claudicando tantum incedere posset. Tandem usque eo processit malum, ut ne claudicando quidem meare amplius posset. Quum die 31. Maii anni 1864. Catharinam mecum conduxissem ad conclusionem devotionis in honorem B. M. V. mense Majo celebratae in ecclesia Benedictinorum Scotorum, inde domum jam portari eam oportebat. Maritus meus, qui nos inde abducebat, eam reportavit domum. Ex eo die in lecto manere debebat usque ad eum, quo secuta est sanatio, quae contigit (prout opinor) versus finem Junii, qua de re maritus meus optime referre poterit. Etiam in lecto malum magis semper crescebat, et dolores adeo facti sunt vehementes, ut infans clamare inciperet, si quis ejus tantum tangeret crura. Aegroti crura haud parum tumida erant ad genua, et ambo valde curvata retrorsum, ita ut stare omnino non posset (prout patet). Praeterea crus sinistrum multo brevius erat ob contractionem nervorum, uti opinor, et si quis tentamen vellet facere pedes extendendi, infans illud recusavit ob magnos dolores inde provocatos. Non erant tamen detorti, sed nervi omnino contracti, ac eorum inflexio erat res impossibilis. In hoc statu permanserunt usque ad sanationis horam. Medico non sumus usi, ad id enim opes non habemus, et debitores adhuc sumus Doctoris Pletner. Mulier quaedam consilium mihi dedit, Tyrolensem quemdam nomine Bauer adeundi, qui certo sciret salutare remedium. Eum etiam audivimus et aegrotam infantem magnis cum incommodis ad eum portavimus, qui ea inspecta declaravit infantem laborare morbo claudicationis, suamque medicinam fore efficacem. Deinde unguentum nobis dedit ad ungendum, ac pulverem ad sumendum, nobis mandans, ut quoties fieret unctio, toties recitaremus quinque *Pater noster* ad Salvatorem dolorosum. Unguentum vero, et pulveres, quibus partibus essent compositi, nobis non indicavit. Orationem (istam) non persolvimus, cum propter afflictionem et continuum aegrotae infantis clamorem orare omnino non possemus. Unguentum totum infantis corpus unxi, cum dolores sese extendissent super totum corpus; item etiam pulveres dedi. Hoc feci quotidie et etiam pluries uno die, sed omnia ista non solum nihil profuere, sed malum etiam crevit, ita ut infans ipsa rogaret, ut horum remediorum omitteremus usum, quod et factum est, cum exhausta esset unguenti capsa liniendo, ita ut remedium nonnisi aliquot diebus fuisset adhibitum; etiam pulveres non amplius praebebantur sumendi. Maritus quidem meus alteram unguenti capsam petiit, ego vero eam in ignem projeci, quia nihil profecit, et malum etiam quovis unguenti usu crevit. Filios meos generatim saepius lavare solebam aqua tepida, in qua herba quaedam (polygonum aviculare) fuerat cocta: ac ita mihi in mentem venit, aegrotae Catharinae ejusmodi balneum vaporosum applicare sub genibus afflictis quod feci semel secundo quovis die, imo uno die post

secutam sanationem hoc balneum vaporosum adhuc applicavi, cum tumor nondum penitus evanuisset, quamvis infans stare et ambulare posset absque dolore. Die quadam, cum versus finem Junii huius anni (sex circiter nunc esse possunt hebdomadae) infra horam decimam et undecimam (erat, prout opinor, post horam decimam, cum quadrante) versarer prope Catharinae aegrotae lectum, ubi eo momento aliquid petere debebam, infans repente manus et pedes extendit, ita ut in pedum nervis fragor distincte audiretur. Eo momento perterrita aegrotam interrogavi: Catharina quidnam est tibi? Opinabar enim, eam valde vehementes sentire dolores, ejusque deteriorari conditionem, sed infans respondit: « Melius mihi est, nullos sentio dolores, possum surgere ». Sed ego, ut surgeret non permisi, cum ad eam in hac re adjuvandam (prout necessarium reputabam) tunc tempus mihi deesset. Altero vero die infans revera surrexit, absque doloribus in pedibus stare et ambulare poterat, et penitus sanam sese persensit. Maritus meus de more domum rediit hora dimidia post meridiem, eique laetabunda subito narravi, infantem se habere melius, et surgere velle, prout peculiares circumstantias meliorationis. « Deo gratias, respondit ille, ergo exaudita est deprecatio mea. Fui in ecclesia ad Scalas Marianas eo ipso tempore, quo infans in meliorem restituta est conditionem, et ad Patrem Hofbauer confugi. » Ipsi omnino erat persuasum, sanationem Servi Dei intercessione esse secutam. Infans usque adhuc perfecte est sana, hilaris, quasi maligna in laetitia de recuperata salute. Tumor penitus evanuit; infans ex multo jam tempore scholam iterum frequentat. Nec ego, nec infans scivimus, patrem eo die ire ad Scalas Marianas, ut Patris Hofbauer imploraret intercessionem. Nec die secutae sanationis, nec antecedentibus diebus, verbo, nunquam omnino sudor comparuit, nec vomitus vel alia evacuatio aut aliquid aliud accidit, ut morbus sese fregisse dici posset. Plures personae infantem claudicare viderunt, crurum vero conditionem praeter praefatum Tyrolensem nemo vidit. Sanatione secuta infans a certo Doctore Lowy fuit explorata. »

Concordat Testis XLI. fol. 695, « *Testis XLVII. fol.* 738, « *Testis XXXIX, fol.* 803, « *Testis LII. fol.* 807, *omnes juxta* 37. *Interr.*

II. DE ALIIS SANATIONIBUS

(Ex Processu Ordinario)

§ 60. *Sanationes aliae recensentur.*

XXII. Testis *juxta* 37. *Interr. fol.* 485. *ter.* « Certe audivi de talibus miraculosis sanationibus, uti exempli gratia, de una in conventu Salesiano, de altera Eggenburgii, de alia facta cuidam Franciscae Zadny (Vindobonae Lichtenthal Thurygasse N. 4.) et iterum de quadam Theresia Weyer. »

XI. Testis *juxta* 37. *Interr. fol.* 322. *ter.* « Scio valde miram sanationem immedicabilis mali pedum, quam quaedam Magdalena Kunz sartrix, habitans in parochia ad novem choros angelorum Vindobonae obtinuit. Etiam monialis SSmi Redemptoris nomine Augustina de Mertens, narravit mihi, se a diuturnis et magnis capitis doloribus per intercessionem Servi Dei fuisse liberatam. Ea novendialibus precibus S. Alphonsum frustra imploraverat; sed precibus per novem dies in Servi Dei honorem fusis a malo fuit liberata, et usque ad hanc horam libera mansit. Etiam de aliis audivi sanationibus, quin peculiare quid de iis deponere possim. »

12. EX PROCESSU APOSTOLICO SUPER FAMA SANCTITATIS

§ 61. *Sanatio miraculosa Romae facta.*

I. Testis ex officio *juxta* 29. *Interr. fol.* 190. *respondit* : « Plurima miracula Vindobonae facta sunt : generaliter enim contingit, ut sancti in iis locis, ubi vixerunt, et ubi eorum ossa reposita sunt, plurima operentur miracula. Sed etiam in regionibus remotis intercessione V. S. D. sanationes miraculosae obtentae sunt. Romae in conventu monialium a bono Pastore dictarum, sito prope S. Clementis Basilicam anno 1865. Novitia fuit, quae ab anno circiter tam vehementem haemorrhagiam passa est, ut cadaveri videretur similis. Omnia remedia a medico applicata inutilia fuerunt, et jam eam e religione dimittere voluerunt, cum, facta juxta consilium confessarii devotione novendiali in honorem V. S. D. Clementis Mariae Hofbauer, repente et perfecte sanaretur. De hac miraculosa sanatione Romae in domo nostra generalitia narrari audivi, et etiam scripturam medici curantis, Doctoris Scalzaferri, hanc sanationem attestantis legi, in qua hanc infirmitatem nominat « una imponente metroragia » et dicit, eam ab anno omnibus remediis artis restitisse, et tandem modo quasi miraculoso sine medicamentis fuisse ablatam. Personam non novi, sed solummodo ita in domo nostra narrari audivi.»

13. DIVERSAE GRATIAE RECENSENTUR.

(Ex Processu Apostolico)

§ 62. *In gravi necessitate invocatus V. S. D. auxilium fert.*

VII. Testis *juxta* 41. *Interr. fol.* 322. *respondit* : « Ego et soror mea Rosalia amatissimum et Ven. Patrem Hofbauer, cujus memoria semper in nobis viget, in coemeterio Enzersdorf visitavimus. Voluimus enim signa filialis gratitudinis ei exhibere, ejusque perennem intercessionem implorare, et semper ad ejus sepulchrum consolationem invenimus, et preces nostrae exauditae sunt. Aliquando magnam angustiam expertae sumus, merces pro habitatione solvenda erat : tempus jam urgebat, et plenam summam colligere non potuimus. Distulimus quemdam rogare ut quod sum-

mae deerat, nobis mutuum daret. Repente utrique cogitatio in mentem venit adeundi dilectissimum Patrem Hofbauer, visitandi ejus sepulchrum in Euzersdorf, exponendi ei necessitates nostras, implorandi ejus auxilium. Venimus igitur ad sepulchrum, cum magna fiducia preces fudimus et Ven. Servum Dei supplicavimus, ut nobis, quippe quae ab infantia tamquam filiae spirituales ei commissae essemus, in praesenti necessitate intercessione sua auxilium ferret. Penitus tranquillae et consolatae, et plenae fiducia a sepulchro Ven. Patris discessimus. Et quam celeriter fiducia nostra coronata est! Nam altero jam die literas minime expectatas accepimus, in quibus dictum fuit: « Forsitan haec summa vobis ad solvendam mercedem habitationis opportuna erit. » Et revera summa quinquaginta florenorum ea erat, quae de mercede solvenda nobis adhuc deerat. Postea quidem cognovimus, quis nobis illam pecuniam miserit, eo vero tempore minime cogitavimus, nos ex ea parte aliquid esse habituras. Persuasum nobis fuit, illud auxilium intercessioni Ven. Servi Dei gratum acceptumque habendum esse. Ex quo cadaver Ven. Servi Dei in ecclesia ad litus requiescit, sepulchrum floribus et sertis pulcherrimis ornatur, plurimaeque piae animae eo accedunt, preces fundendi et auxilium Ven. Servi Dei implorandi gratia. Visitantes ad omnes classes societatis pertinent. Dicendum est, visitantium numerum semper adhuc crescere, et minime dici potest, hunc concursum artificio esse provocatum et servatum. Narrantur etiam multae precum exauditiones, imo et miraculosae sanationes intercessione Ven. Servi Dei obtentae; sed particularia circa hoc punctum deponere non possum. »

(Ex Processu Ordinario)

§ 63. *V. S. D. post obitum a variis necessitatibus liberat qui invocant ejus intercessionem.*

IX. Testis *post absolutum examen fol.* 867. « In necessitatibus meis ad P. Hofbauer semper confugi, et saepissime ejus experta sum auxilium. Propinquus meus Joseph Czerny, SS̄mi Redemptoris Congregationem ingressurus, acerrimam passus est parentum et fratrum oppositionem, et cum eorum assensum nancisci res videretur impossibilis, ei dixi, ut invocaret P. Hofbauer, et instituta a nobis ambobus novendiali comprecatione, nonnullis diebus post eam Czerny nuntium mihi tulit, totam tempestatem transiisse et omnibus ipsius in Congregationem probari ingressum. Die 15. Augusti anni 1824. vestitus est, et obiit admodum pie die festo S. Patroni sui baptismatis S. Josephi anni 1842. in Vindobonensi Congregationis domo.»

REVISA

Laur. Salvati S. C. Adv. et S. F. Prom. Coad.
S. R. C. Assessor.

ERRATA				CORRIGE
Pag.	27	lin.	10 anteult. Snras . .	Srna
»	48	»	31 Italiam	Thabor
»	67	»	8 monticolorum . .	monticolarum
»	95	»	13 IV Testis. . . .	VI Testis
»	155	§	26 praedicationem .	praedictionem
»	157	lin.	12 anteult. producere.	perducere
»	176	»	21 magna	magnae
»	177	»	7 fundisse. . . .	fudisse
»	238	»	penult. II Testis . .	IX Testis
»	286	»	7 anteult. ali- . .	aliquando
»	293	»	14 anteult. erat . .	erit
»	297	»	17 tsipem.	stipem
»	306	»	12 cum	eum
»	320	»	25 servato. . . .	servatis
»	358	»	14 anteult. XI Testis	IX Testis

ROMA 26 LUGLIO 1871.
TIPOGRAFIA DI BERNARDO MORINI
Piazza di S. Ignazio 127.